NALE
VITT. EMANUELE
2
C
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

METAPHYSICA GENERALIS

juxta principia Ariſtotelis,

IN DUOS TOMOS DIVISA.

Auctore P. JAC. CHANNEVELLE, *Societatis* JESU *Sacerdote.*

TOMUS II.

BIBL. ROM. SOC. JESU

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PARISIIS,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, viâ Jacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LXXVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX METAPHYSICÆ.

PARS TERTIA.

De primo ente, ſeu de Deo. *pag. 1.*

DISPUTATIO PRIMA.
An ſit, & quid ſit Deus. p. 2.

ART. I. *De exiſtentia Dei.* p. 3.
§. I. *Exiſtentia Dei probatur argumentis moralibus.* ibid.
§. II. *Exiſtentia Dei argumentis metaphyſicis aſtruitur.* p. 12
§. III. *Quædam conſectaria.* p. 29
§. IV. *An Deus ſit unicus & ſingularis.* p. 35
§. V. *Conſectaria ex Dei unitate.* p. 42
§. VI. *Diluuntur objecta.* p 46
ART. II. *Quænam ſit Dei eſſentia metaphyſica, ſeu quid ſit Deus.* p. 50
§. I. *Quæ ſit ratio divina eſſentia conſtitutiva.* p. 51
§. II. *Explicatur magis in quo conſiſtat illud eſſe ſimpliciter, per quod natura divina conſtituitur.* p. 56
§. III. *Diluuntur objecta.* p. 64

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISPVTATIO II. De perfectionibus, ſeu attributis divinis univerſim ſpectatis. p. 70

ART. I. *Quomodo attributa divina ab eſſentia divina diſtinguantur.* p. 71

§. I. *Quid ſit attributum & quotuplex.* ibid.

§. II. *An attributa divina diſtinguantur realiter ab eſſentia aut inter ſe.* pag. 74

ART. II. *An attributa diſtinguantur formaliter & ex natura rei, an tantum virtualiter aut ſola ratione.* p. 80

§. I. *An detur diſtinctio formalis & ex natura rei inter eſſentiam & attributa abſoluta.* ibidem.

§. II. *An attributa abſoluta diſtinguantur ab eſſentia & inter ſe ratione ratiocinante, aut ratione ratiocinata ſeu virtualiter* p. 84

§. III. *Quomodo attributa includantur in eſſentia divina & in ſe invicem.* p. 91

§. IV. *Diluuntur objecta.* p. 97

DISPVTATIO III. De attributis Dei tranſcendentalibus. p. 106

ART. I. *De unitate Dei.* ibid.

§. I. *An Deus ſit unus unitate ſingulari, eaque perfecta.* ibid.

§. II. *Conſectaria ex unitate.* p. 110

§. III. *An Deus habeat aliquam unitatem convenientia cum creaturis.* p. 112

ART. II. *De veritate & bonitate Dei.* p. 113

§. I. *De veritate.* ibid.

§. II. *Conſectaria ex veritate.* p. 117

§. III. *De bonitate Dei.* pag. 118

§. IV. *Quæ ſint affectiones divinæ bonitatis.* p. 121

APPENDIX. *De pulcritudine Dei.* p. 124

DISPVTATIO IV. De attributis Dei negativis ſeu modalibus. p. 131

ART. *De aſeitate Dei & abalietate creaturæ.* ibid.

§. I. *De aſeitate Dei.* pag. 132

§. II. *Conſectaria ex aſeitate.* p. 134

§. III. *De abalietate creaturæ, ejuſque conſectariis.* p. 136

ART. II. *De ſimplicitate Dei.* p. 149

§. I. *An Deus ſit ſimplex.* ibid.

§. II. *Summa Dei ſimplicitas amplius aſtruitur.* p. 152

§. III. *Conſectaria.* pag. 158

ART. III. *De infinitate Dei.* p. 163

§. I. *De infinitate ſimpliciter dicta.* p. 164

§. II. *Conſectaria ex infinitate ſimpliciter dicta.* p. 170

§. III. *De infinitate ſecundum quid.* p. 174

§. IV. *Conſectaria.* pag. 176

ART. IV. *De immutabilitate Dei.* p. 181

§. I. *Quid ſit immutabilitas, & an Deo vni conveniat.* p. 182

§. II. *Conſectaria ex immutabilitate.* p. 189

ART. V. *De immenſitate & æternitate Dei.* pag. 199

§. I. *De immenſitate Dei.* p. 200

§. II. *Explicatur magis, quid ſit immenſitas, & quæ illius conſectaria in prima ſententia.* p. 206

§. III. *Explicatur magis quid ſit immenſitas, & quæ illius conſectaria in ſecunda ſententia.* p. 219

§. III. *De natura æternitatis divinæ.* p. 228

§. IV. *De modo æternitatis divinæ.* p. 2 9

§. V. *Conſectaria ex natura æternitatis.* p. 245

ART. VI. *De inviſibilitate, incomprehenſibilitate & ineffabilitate Dei.* p. 252

§. I. *De incomprehenſibilitate Dei.* ibid.

§. II. *De inviſibilitate Dei.* p. 259

§. III. *Diluuntur objecta.* p. 267

§. IV. *An Deus ſit ineffabilis & innominabilis.* p. 271

DISPVTATIO V. De attributis affirmantibus & quaſi categoricis, præſertim de ſcientia. p. 279

ART. I. *An ſit in Deo ſcientia, quid ſit, & quotuplex.* p. 280

§. I. *An qualitas Deo inſit, & quæ ſpecies qualitatis Deo conveniant.* ibid.

§. II. *An ſit in Deo ſcientia.* p. 283

ART. II. *De objecto divinæ ſcientiæ.* p. 294

§. I. *An & quomodo Deus ſe cognoſcat.* ibid.

§. II *An Deus cognoſcat poſſibilia & alia extra ſe exiſtentia.* p. 300

§. III. *An & quomodo Deus cognoſcat non entia & mala.* p. 305

ART. III. *Qualis ſit ſcientia Dei & quotuplex.* p. 314

§. I. *Dotes divinæ ſcientiæ.* p. 314

§. II. *Partitio divinæ ſcientiæ.* p. 318

§. III. *De ſcientia ſimplicis intelligentiæ.* pag. 320

§. IV. *Affectiones ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.* p. 331

§. V. *De ſcientia viſionis.* p. 337

§. VI. *De ſcientia conditionata ſeu media.* pag. 353

Quædam obſervanda circa ſcientiam me-

diam. p. 354
Datur in Deo ſcientia futurorum ſub conditione. p. 360
In quo medio Deus non videat futura conditionata. p. 369
Variæ quæſtiones de ſcientia media. p. 378
APPENDIX. *De ideis divinis.* p. 380
§. I. *An ſint ideæ in Deo, & quid ſint.* ibid.
§. II. *Quæ ſint munera idearum, & quarum rerum Deus ideas habeat.* p. 389
§. III. *Conſectaria ex triplici Dei ſcientia & ideis.* p. 393

DISPVTATIO VI. De voluntate Dei. p. 398

ART. I. *An ſit in Deo voluntas, & quodnam ſit illius objectum.* p. 399
§. I. *An ſit in Deo voluntas, & quomodo ſit.* ibid.
§. II. *De objecto voluntatis divinæ.* p. 406
§. III. *Quo amore Deus ſe amet.* p. 413
§. IV. *Quo amore Deus amet creaturas poſſibiles.* p. 419
§. V. *Quo amore Deus amet creaturas exiſtentes.*
§. VI. *De partitione divinæ voluntatis in ſuas ſpecies.* p. 432
Dei voluntas antecedens & conſequens. p. 439
Voluntas efficax & inefficax. p. 440
ART. II. *De libertate Dei.* p. 444
§. I. *An ſit in Deo libertas indifferentiæ.* ibidem.
§. II. *Circa quæ objecta Deus ſit liber.* p. 451
§. III. *Quid ſit actus liber in Deo.* p. 455
§. IV. *In quo libertas divina cum creata conveniat, & in quo diſcrepet.* p. 462

DISPVTATIO VII. *De attributis quæ ſequuntur voluntatem.* p. 472

ART. I. *De bonitate morali, ſeu de ſanctitate Dei.* ibid.
§. I. *Quid ſit Dei ſanct.* 473
§. II. *An Deus ſit ſanctus, & quomodo.* pag. 475
§. III. *De ſanctitate participata.* p. 483
§. IV. *Conſectaria ex ſanctitate Dei & creatura.* p. 490
ART. II. *De omnipotentia Dei.* p. 495
§. I. *An Deus ſit omnipotens.* ibid.
§. II. *Quid ſit omnipotentia Dei & quotuplex.* 498
§. III. *De obiecto omnipotentiæ diuinæ.* p. 503
§. IV. *Affectiones diuinæ omnipotentiæ.* p. 510
§. V. *Conſectaria ex omnipotentia diuina.* pag. 514
ART. III. *De prouidentia Dei.* p. 517
§. I. *An ſit in Deo prouidentia.* p. 518
§. II. *Quid ſit prouidentia, & quotuplex.* pag. 531
§. III. *Quæ ſint functiones diuinæ prouidentiæ.* p. 539
§. IV. *De obiecto diuinæ prouidentiæ.* p. 542
§. V. *Affectiones diuinæ prouidentiæ.* p. 552
§. VI. *Conſectoria ex dictis de prouidentia.* p. 556
§. VII. *Diluuntur obiecta contra diuinæ prouidentiæ extantiam.* p. 561
ART. IV. *De iuſtitia Dei.* p. 571
§. I. *An ſit in Deo iuſtitia generalis ſeu legalis.* ibid.
§. II. *An ſit in Deo iuſtitia ſtrictè ſumpta ad creaturas.* 585
§. III. *De iuſtitia vindice.* 593

§. IV. *Qualis ſit juſtitia vindex.* 600
§. V. *De miſericordia Dei.* 607
§. VI. *Divina miſericordia affectiones & effecta.* 612
§. VII *De miſericordia & juſtitia inter ſe comparatis.* 616
§. VIII. *Confectaria ex juſtitia & miſericordia.* 622
Art. V. *De dominio Dei.* 629
§. I. *Quædam prænotanda circa naturam dominii, ejuſque diviſionem.* 630
§. II. *An Deo conveniat dominium juriſdictionis.* 633
§. III. *Confectaria ex dominio juriſdictionis.* 642
§. IV. *An ſit in Deo dominium proprietatis.* 648
§. V. *Confectaria ex dominio proprietatis.* 653
Art. VI. *De Deo ut eſt finis ultimus.* 662
§. I. *Solvitur prima quæſtio variis pronunciatis.* ibid.
§. II. *Confectaria ex variis pronunciatis.* 670
§. III. *Solvitur altera quæſtio variis pronunciatis.* 676
§. IV. *Canones in uſu mediorum ad Dei gloriam conducentium ſervandi.* 693

PARS

PARS TERTIA METAPHYSICÆ,

DE PRIMO ENTE,

ſeu

DE DEO.

DE ente ab alio hactenus diſſeruimus, nunc de ente à ſe, dicere aggredimur; ſcelus enim foret longè maximum, de creaturis agere, & opificem earumdem omittere, in quem vt creata omnia, ita hæc noſtra tractatio tanquam in finem ſuum deſinere debuit. Cùm autem in Deo quædam ſint quæ lumine naturæ pateant; quædam autem quæ lumine fidei detegi tantùm poſſint: hæc ad Theologiam ſacram remittimus, de iis tantùm acturi, quæ lumine naturæ cognoſci queunt, atque adeo Theologiæ naturalis objecti finibus continentur.

Porrò cùm divina non tam ſint diſcutienda, quàm credenda, juxta illud monitum Concilii

Toletani : *Deus qui non ſe juſſit diſcuti, juſſit credi*; ac proinde ſumma à nobis cum reverentia attingi debeat, vt rectè obſervat Seneca ex Ariſtotele 7. natural. quæſt. c. 33. *Egregiè Ariſtoteles ait nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de diis agitur* : hinc patet, quanta cum religione & cautione hæc pars à nobis diſputanda ſit, ne quid temere, *ne quid impudenter aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur.*

Quatuor autem hîc de Deo potiſſimùm quæremus. Primum, an ſit Deus : ſecundum, quid ſit, ſeu in quo conſiſtat propria divinitatis ratio : tertium, qualis ſit, ſeu quas habeat proprietates : quartum, quid operetur, ſeu quæ ſint illius operationes, tum ad intrà, tum ad extrà.

DISPUTATIO I.

An ſit, & quid ſit Deus.

DUo dixit Philo Judæus lib. 1. de Monarch. in iis quæſtionibus quæ de Deo inſtituuntur, dubitationem afferre eorum animis qui ſincerè philoſophantur : alterum, an ſit Deus, propter eos qui eſſe vllum negantes, impietatis genus ſuſcipiunt longè omnium maximum; alterum, quid ſit in ſubſtantia ſua. Nos vt hanc vtramque dubitationem tollamus ex animis, primùm Deum demonſtrabimus eſſe aliquem, cujus providentia vniverſa regantur; deinde quæ ſit natura illius, vtcunque declarabimus.

Articulus I.

De exiſtentia Dei.

DE exiſtentia Dei duo examinabimus. Primum, an verè Deus ſit: alterum, an ſit vnicus. Sed vtramque hoc articulo quæſtionem includo, quòd poſterior priori ſit affinis, & ex ea conſequens: quare ſit

§. I. *Exiſtentia Dei probatur argumentis moralibus.*

DEI exiſtentiam probare cum Phyſicæ, tum Metaphyſicæ facultatis partes eſſe pugnavit olim Soncinas lib. 12. Metaphyſ. c. 1. addiderim ego, etiam & moralis, imò & cujuſlibet diſciplinæ, vt rectè probat F. Marinus Merſennus, Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, in celeberrimis, quibus ſacrum Geneſeos librum illuſtrat, quæſtionibus, qu. 1. art. 1. qui ex ſingulis diſciplinis, præcipuè verò ex Mathematicis, ad aſtruendam Dei exiſtentiam argumenta ſolertiſſimè ducit. Nos ex trium dumtaxat diſciplinarum, nempe Moralis, Phyſicæ & Metaphyſicæ penu argumenta depromemus, ita vt Moralis inchoet, Phyſica confirmet, Metaphyſica perficiat. Sed quoniam Dei extantiam jam argumentis ex natura primi motoris & munere cauſæ primæ petitis aſtruximus part. 2. Phyſ. vniverſ. diſp. c. tom. 1. ſatis nobis impræſentiarum erit argumentis moralibus & metaphyſicis evincere. Quod vt clariùs fiat, ſit

I. Observatio. Ut probetur Dei exiſtentia, non opus eſt oſtendere totum illud exiſtere, quod Deus eſt; quæſtio enim, an ſit, confunderetur cum quæſtione, quid ſit. Sed ſatis eſt, ſi oſtendatur aliquid exiſtere quod Dei proprium ſit, cujuſmodi eſt ratio entis à ſe & cauſæ primæ rerum omnium.

II. Observatio. Non poteſt Dei exiſtentia argumentis ex antecedentibus & prioribus ductis evinci. Ratio eſt, quòd Deus ſit primum ens & prima omnium cauſa, natura ſuprema & increata, à qua aliæ omnes naturæ ſeu entia tanquam à ſuo fontali principio trahunt originem, & habent eſſe: ac proinde cauſam ſe priorem, per quam ſit aut demonſtretur, nullam habet; hinc explicabis SS. Patres, præſertim D. Athanaſium, cùm ait *divinitatem non demonſtratione rationum tradi, ſed fide & pia cogitatione.* Vult enim Deum à priori demonſtrari non poſſe, aut ſaltem de Deo ſupernaturaliter cognito intelligendus eſt. Item explicabis Ariſtotelem, cùm ait 2. Phyſ. c. 1. tex. 6. ridiculum eſſe *naturam demonſtrare velle.* Non enim negat ex effectis aut ex iis incommodis & abſurdis, quæ in contradicentium parte altera cernuntur, argumenta poſſe colligi, quibus Dei exiſtentia demonſtretur.

III. Observatio. Neque etiam hîc quærenda demonſtratio, quæ ſit in ſummo gradu evidentiæ: quia demonſtratio, quæ eſt in ſummo gradu evidentiæ, neceſſitate quadam rapit intellectum, etiam repugnante & obluctante voluntate; nulla autem eſt talis demonſtratio, quæ Dei exiſtentiam conficiat; ſiquidem ex antiquis plures Deum funditus negarunt, inter quos re-

cenſet Sextus Empiricus Diagoram Melium, Theodorum cognomento Atheum, Protagoram Abderitam, & Epicurum. Nec deſunt etiam noſtra ætate, qui non palam quidem ac præ ſe, vt illi veteres, ſed tecti occultique in corde ſuo dicunt: *Non eſt Deus.* His ita obſervatis, ſit

I. Assertio. Verè Deus exiſtit. Probatur multis argumentis moralibus, quorum primum ſit.

Nemo Dei extantiam negare poteſt, niſi ſui impos & demens ſit: ergo Deus verè exiſtit. Antecedentis veritas ex hoc principio ducitur: Verum illud eſt, quod nullus niſi demens, negare poſſit. Inſipiens enim opponitur ſapienti; ſapiens autem ille cenſetur, qui veritatem ſectatur, & falſitatem reſpuit: itaque cùm oppoſitorum oppoſita ſit ratio, deſipere is cenſendus eſt, qui à veritate deflectit, & falſitati adhæret. Probatur antec. poſitis his principiis.

1 Princ. Quod vniverſis videtur, eſt verum. Hoc principium petitur ex lib. 10. Ethic. Tum quia vniverſorum judicium quoddam eſt naturæ judicium: at naturæ judicium ſemper eſt verum, nec fallere poteſt, nec falli; aliter natura ſe ipſam deſtrueret: tum quia, ſi quod vniverſis videtur, verum non eſt, nec quod ab vniverſis appetitur, erit bonum, & ita nec morum probitas, nec vita, imò ne ipſa quidem felicitas erit bona, quo nihil inſulſius dici poteſt; ruit enim principium in Morali, quo ſemel ſublato, inanis erit conatus omnis, quo ad felicitatem enitimur: Ipſe naturæ auctor minùs ſapiens videbitur, qui appetitum boni nobis ingenerarit. Meritò itaque Cicero pronuntiat: *De quo omnium natura conſentit, id*

verum eſſe neceſſe eſt : opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.

11. Princ. Univerſis videtur ſemperque viſum eſt, Deum exiſtere aliquem, à quo vniverſa regantur. Id viſum quippe Patriarchis, Prophetis omnibus, Sapientibus apud Hebræos, Sacerdotibus apud Ægyptios, Magis apud Chaldæos, Gymnoſophiſtis apud Indos, Druidis apud Gallos, & præcipuis Philoſophorum ſectis apud Græcos, Pythagoreorum nempe, Platonicorum, Stoïcorum & Peripateticorum. Quin & omnium mortalium mentibus innatum atque inſculptum à natura judicium, numen aliquod exiſtere, quod rebus humanis præſit, & quod noſtri curam gerat. *De hominibus*, inquit Tullius lib. 1. de leg. *nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non etiam ſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Tullio conſentit Damaſcenus lib. 1. de fide c. 1. vbi ſic loquitur: *Nemo eſt mortalium, cui non hoc adeo naturaliter inſitum ſit, vt Deum eſſe perſpectum habeat. Quin & ipſa quoque res conditæ, earumque conſervatio atque gubernatio divinæ naturæ majeſtatem prædicant.* Lactantius prævivit Damaſceno lib. 7. Inſt. cap. 9. *Vniverſum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Denique natura duce & magiſtra in repentinis periculis abſque vlla prævia deliberatione ſupplices ad Deum confugimus, vt ejus opem in hæc verba prorumpendo imploremus: O *Deus, ſuccurre! ô Deus, adjuva me! ô Deus, miſerere*; vt eleganter exponit Africanus Orator libell. de animæ teſtim. qui & lib. 1. contra Marcion. c. 10. hanc innatam Dei notitiam, *Dei dotem* nuncupat. Adeo verum eſt omnes gentes, quan-

umvis barbaras, tacito quodam naturæ inſtinctu, in divinitate quadam aſſerenda omnes conſpirare. Deinde cùm peccaſti, qui conſcientiæ clamor? qui latratus? gliſcit intimè, omneſque penitus animi receſſus pervadit inquietus horror, pavet ad omnia malè conſcium pectus, ſibique jugiter exprobrat: Quid egiſti? Deum offendiſti? parentem optimum violaſti, filius degener? &c. & quem voluntate nullum velles eſſe Deum, mente judicem ac ſcelerum tuorum vel invitus confiteris.

Ex his principiis ſic arguo: Ille verè inſipiens eſt, qui quod vniverſis videtur verum, falſum judicat; qui naturæ commune judicium ac propriæ teſtimonium animæ rejicit: qui Deum exiſtere negat, quod vniverſis videtur, falſum judicat, commune naturæ judicium, ac propriæ conſcientiæ teſtimonium abjicit: ergo planè inſipiens eſt. Jure igitur exclamat regius Vates Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* quæ verba explicans S. Anſelmus in Proſol. c. 3. *Ideo dixit, quia ſtultus & inſipiens.* Dixit in corde, id eſt, clam & tacitè apud ſe, ne videatur, ne audiatur, ſcilicet concoquit in corde ſuo hæc conſilia impia, ſecum ſolus tractat hoc ſummum impietatis crimen. O me miſerum, ſi eſt Deus! & quis ſcit an ſit Deus? non eſt aliquis Deus. Dixit corde, non mente aut ore; non mente, quæ cùm inſitam ipſis pæne in genitalibus matris Dei notionem habeat, eam exuere non poteſt: non ore, ne ſi ab aliis audiatur, communi omnium gentium conſenſu erroris revincatur.

Nec refert quòd aliqui ſecus ſenſerint: nam *inſania iſta paucorum eſt.* ex Auguſtino, ſerm.

10. de verb. Domini, licèt *magna ſit impietas*, quod veritatem pronuntiati non infringit; nihil enim tam inſulſum, quod ab aliquo non aliquando dictum ſit: an ideo verum? nihil tam fœdum, quod non amatum: an ideo amabile? nihil officit communi plurium judicio paucorum fatuitas. Quamvis nonnulli violentas manus ſibi intulerint, nemo ſapiens vitam ideo malam eſſe duxerit. Licèt Parmenides hoc pronuntiatum, *Impoſſibile eſt me ſimul nunc ſcribere, & non ſcribere*, falſum eſſe, pertinaciùs contenderit; ideo contradictoria ſimul eſſe vera nullus, niſi mentis impos, pugnabit vnquam. Stabit itaque ſemper inconcuſſa hæc veritas apud viros egregiè cordatos, *Deus eſt, qui bonis operibus debitam mercedem, malis verò pœnam rependat*; licèt quidam perditiſſimæ vitæ homines ſecus ſentire videantur, & affectu potiùs quàm mente Deum abnuant. Non enim curandum eſt, quid pauci homines, iique impiiſſimi, ſenſerint, ſed quibus rationibus nixi ita ſenſerint. Quidquòd ſi non eſt verum, Deum eſſe, vt rectè arguit Leſſius, ipſum aliquando exiſtere, contradictionem implicat, quia in divinis idem eſt eſſe actu, & poſſe eſſe; non eſſe actu, & eſſe impoſſibile: at quomodo fieri poteſt, id quod non ſolùm eſt falſum, ſed penitus impoſſibile, ita omnibus gentibus eſſe perſuaſum, ita omnium animis inſculptum, vt in illud conſentiant omnes, & ſemper vbique conſenſerint?

Probatur 2. eadem aſſertio: Illud pro vero ab omnibus haberi debet, quod ſine ſummo ſcelere negari non poteſt: Dei exiſtentiam negare nemo poteſt ſine ſummo ſcelere: ergo pro vero haberi debet, Deum exiſtere. Major per ſe patet

omnibus. Probatur minor : illud non poteſt negari ſine ſummo ſcelere, quo ſemel negato, omnis morum honeſtas funditus tollitur, & pronum eſt, vt in omne flagitium præceps ruat genus humanum : negatâ Dei exiſtentiâ, omnis morum honeſtas funditus tollitur, & pronum eſt, vt in omne flagitium præceps ruat genus humanum: ergo, &c. Minor patet ex regio Pſalte Pſalm. 13. Poſtquam enim *dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*, ſtatim ſubjungit Propheta : *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt : non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Tolle enim Deum ex rerum natura, tollis bonorum operum remuneratorem, & ſcelerum vindicem: itaque nec ſperanda ampliùs bonorum operum merces, nec metuenda debita criminibus pœna : at vbi nec remunerationis ſpes allicit ad virtutem, nec metus pœnæ à ſcelere avocat, jacet ſtudium honeſtatis, vitiorum cupiditas viget, in tanta præſertim impunitate ; hinc atheiſmus tanquam fons & origo vitiorum è regnis optimè conſtitutis ſemper proſcriptus fuit, & apud Gentiles ſeveriſſimis legibus prohibitus, ipſumque natale ſolum Protagoræ, teſte Joſepho lib. 2. contra Appion. ab Athenienſibus hoc ſolo nomine deletum eſt, quòd primus omnium Philoſophorum auſus eſſet aſſerere ſibi non eſſe compertum, vtrum eſſet aliqua divinitas, necne ; hinc qui Deum negarunt, ſceleratiſſimi iidem & impiiſſimi extitere. Quis Euhemero, qui primus atheiſmum dicitur inveniſſe, inquinatior ? quis Bione ad fœdiſſimas voluptates projectior? Hinc denique ipſi etiam athei ab iis qui populos regerent, opinionem de divinitate ſapienter excogitatam aiunt,

vt ea ratione homines in officio continerent, & ab omni vitio faciliùs avocarent : tantùm valet de Deo ad omnem honeſtatem præjudicata opinio.

Pergo, & rem penitius intro : Si non eſt Deus, hæc propoſitio, *Deus eſt*, falſa eſt : ergo propoſitio illi contradictoriè oppoſita, *Non eſt Deus*, vera eſt. Igitur notitia primæ veritatis eſt, ſcire Deum non eſſe, hoc eſt, non eſſe primam cauſam perfectiſſimamque ſubſtantiam, quæ omnibus præſit ſumma cum auctoritate, nulli ſubſit, omnia perfectiſſimè norit, omnibus & ſingulis rebus provideat, præmium juſtis, pœnam improbis decernat : at notitia hujus quam primam ſtatuunt athei, veritatis ex vna hominum improbitate fluxit, manavitque in hominum mentes, ſi Auguſtino fides eſt, qui docet, *exceptis paucis quorum natura nimiùm depravata eſt* omnes homines vnum Deum agnoſcere ac venerari. Rurſus ſi hæc propoſitio, *Deus eſt*, eſt falſa, primus & ſummus error eſt ei aſſentiri ; ſi è contrà hæc altera, *Non eſt Deus*, eſt vera, prima & ſumma veritas eſt, prima & ſumma ſapientia ei aſſenſum dare : ergo ſummus error in eo eſt, qui Deum exiſtere contendit : prima & ſumma ſapientia in eo, qui Deum exiſtere funditus negat : & tamen ſummus ille error homines induxit in ſanctitatem & vitam omni virtutum genere excellentem : prima & ſumma ſapientia ad omne nefas & flagitium viam ſtravit atheis : floruere miraculis & virtutibus, qui in ſummo errore verſati ſunt ; omnium vitiorum genere infames extitere, qui primam & ſummam ſapientiam coluerunt. Age porrò, quis credat vnquam, niſi amens ſit, tan-

tum valere ſummum errorem ad omnem virtutem morumque honeſtatem ; primæ & ſummæ veritati juxta ac ſapientiæ, tantam vim atque illecebram ad omne flagitium & animorum excidium ineſſe ? Quis animum inducat, ſumma ſapientia omnem poſſe extingui virtutem, & homines peſſimos effici ; ſummo autem errore ad omnem virtutem excitari eoſdem, & peſſimos evadere ? Mitto, quòd morum improbitas parens foret ipſius ſapientiæ ſimul & partus ; parens quidem, quia ſapientia morum corruptelam in voluntate gigneret ; partus autem, quia morum depravatio ipſam in mente pareret : itaque voluntatis depravatio menti foret maximè expetenda, ſine qua ſapere non poſſet ; ſapientiam verò quæ eſt maximum bonum mentis & pabulum, voluntas averſari maximè deberet, quia morum corruptrix foret, parenſque vitiorum.

Ex dictis patet 1. hanc propoſitionem, *Deus eſt*. eſſe primum principium, cui innititur univerſa morum honeſtas ; nam ex Platone lib. 10. de legibus, *qui Deum eſſe putat, non facit quicquam ſponte impiè, nec loquitur.*

Patet 2. quemlibet hominem eſſe quaſi naturaliter religioſum ; cum enim innatam atque inſculptam animo ſupremi numinis notitiam habeat, natura ipſa duce & magiſtra in cultum ejuſdem fertur, adeoque Critiam turpiſſimè erraſſe, cùm religionem à Politicis inventam ad homines in officio continendos ſomniavit ; hujus quippe ſenſus à Deo tanquam cauſa univerſaliſſima omni hominum generi impreſſus. Ut enim naturæ auctor Deus cæteras naturas ſuis virtutibus & nativis affectionibus donavit, ipſúmque

hominem, & quà vegetans, & quà ſentiens eſt, ſuis facultatibus munivit, quibus ſua munia rite obiret: ita eundem, quà intelligens eſt & rationis compos, adeóque vnum ex alio inferre poteſt; quibuſdam morum principiis, ne in infinitum diſcurrendo abiret, inſtruxit, imbuitque, inter quæ hæc principatum tenent in rebus moralibus: *Deus eſt aliquis: Deus eſt colendus: Homini cum religione vivendum.* Unde fit, vt quamvis religionem homines mutent identidem, veramque deſerant interdum, vt falſam amplectantur, nunquam tamen ſine religione ſint aliqua.

Patet 3. quanta cura atque diligentia pravas de Dei exiſtentia opiniones rerum publicarum moderatores, ipſumque atheiſmum procurare debeant, & ex ſubditorum animis evellere, vt veræ religionis amorem inſerant, quia ſine religione ſocietas nulla diu ſtare poteſt.

Patet 4. eum qui Deum neget, ſummæ eſſe ſuperbiæ vel amentiæ, qui judicium privatum judicio totius orbis & omnium ſæculorum anteponat; alios omnes deſipere, ſe vnum ſapere putet; ipſi naturæ judicio, quo nullum ſanius & conſtantius, pertinaciſſimè repugnet; qui denique homines ab omni metu liberare conetur, vt ſervos faciat omnis iniquitatis.

§ II. *Exiſtentia Dei argumentis metaphyſicis aſtruitur.*

TRIPLEX argumentum ad aſtruendam Dei exiſtentiam ſuffic t Metaphyſica, quorum primum ex conceptu Dei quidditativo, alterum ex contingentia rerum, tertium ex earumdem

productione ducitur. Ut à primo, quod ex conceptu eſſentiali Dei petitur, exordiar, ſit

UNICA OBSERVATIO. Nomine Dei intelligitur ſubſtantia vſquequaque perfecta, quæ proinde nihil ſit in natura perfectius aut eſſe poſſit; ens quod ſit ſimpliciter neceſſarium, primum, improductum, actus denique puriſſimus. Hanc notionem, in qua conveniunt omnes, inculcat D. Auguſtinus lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 7. *Cùm ille vnus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios & ſuſpicantur, & vocant, & colunt deos, ſive in cælo, ſive in terra, vt aliquid quo nihil melius ſit atque ſublimius, illa cogitatio conetur attingere.* Inculcant & Gentiles; Cicero lib. de nat. Deorum: *Talem eſſe Deum certa animi prænotione nos præſentimus, vt in omni natura nihil ſit eo præſtantius*; & Sextus Empyricus lib. 8. contra Mathemat. cùm Deum definit *naturam omnium optimam.* Hinc

Sic argumentum informo: Deus ex communi notione hominum eſt natura omnium optima, adeóque ſummè perfecta, quæ cogitari poſſit: datur natura omnium optima ſumméque perfecta, quæ cogitari poſſit: ergo datur Deus. Majoris veritas ex obſervatione eruitur. Probatur minor: natura omnium optima & ſummè perfecta non eſt quid chimæricum & impoſſibile: ergo nunc exiſtit. Probatur ant. nulla contradictio ex naturæ omnium optimæ extantia ſequitur; natura enim omnium optima ea eſt, quæ omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices in ſe complectitur & ſibi identificat: perfectiones ſimpliciter ſimplices nihil contradictionis iuvolvunt, quia vna non excludit alteram; neque enim ratio ſubſtantiæ rationem ſpiritûs excludit: ergo ex eo quòd eidem

naturæ inſint, & quidem per identificationem, nihil inde repugnantiæ & contradictionis inferri poteſt: ergo natura omnium optima non eſt chimærica & impoſſibilis: ergo poſſibilis eſt, ergo actu exiſtit.

Conſequentia patet. Nam ſi poſſibilis eſt, nec exiſtat, debet ex nihilo poſſe extrahi: at ex nihilo extrahi non poteſt; vel enim per propriam virtutem, vel per alienam extraheretur. Non per propriam virtutem, quia nihil poteſt ſibi dare eſſe, quia quidquid dat eſſe alicui, præſupponitur habere eſſe, ſi non priùs tempore, ſaltem natura; nemo enim dat eſſe alteri quod non præhabeat; ſin autem eſſe præhabeat, jam res erat, & tamen ſupponitur non eſſe: ergo priùs ſe ipſa exiſtebat, adeóque exiſtebat & non exiſtebat, quæ eſt manifeſta contradictio. Non per alienam virtutem, quia omnis cauſa efficiens princeps perfectior eſt, aut certè æquè perfecta atque effectus quem producit: at nulla cauſa perfectior eſt, aut æquè perfecta ac natura illa, cujus notionem informavimus, quia ſupponitur omnium optima, ſummè perfecta, adeóque nihil in ſe imperfectionis, ſed omnem potiùs puram & ſimplicem perfectionem continere. Hinc vides quàm jure dixerit Philoſophus in divinis idem planè eſſe *actu eſſe, & eſſe poſſe: non eſſe actu, & eſſe impoſſibile.* Deinde ens exiſtens melius eſt quàm non exiſtens, quia exiſtentia perfectio quædam eſt, vtpote vltima actualitas entis: ergo ens quo nihil melius cogitari poteſt, actu exiſtit; niſi enim actu exiſteret, poſſet aliquid melius cogitari, nempe ſubſtantia omnium optima actu exiſtens.

Ut vim argumenti effugiant athei, hanc propo-

ſitionem, exiſtit natura omnium optima, quæ cogitari poſſit, ita diſtinguunt: ſi cogitetur verè, concedunt; ſi fictitiè tantum, negant: at natura quam omnium optimam informamus, cogitatur fictè, non verè. Contrà ſic vrgeo: quod cogitatur verè, melius eſt quàm illud quod cogitatur fictè: ens de quo hîc agimus, eſt id quo nihil melius poteſt cogitari: ergo non cogitatur fictè, ſed verè.

Reſpondent 1. hoc argumento nihil confici, quia nimis probat; probat autem nimis, quia probat creaturam perfectiſſimam neceſſariò exiſtere debere; nam creatura exiſtens melior eſt quàm creatura non exiſtens: creatura quam nunc cogito, eſt omnium perfectiſſima, quæ cogitari poſſunt: ergo eſt exiſtens; ſed facilis reſponſio, quia creatura omnium perfectiſſima non poteſt niſi fictè cogitari. Ratio enim perfectiſſimi deſtruit rationem creaturæ, quæ cùm ſit ens ab alio, ex principiis intrinſecis limitata eſt, adeóque poteſt, qualibet creatura cogitata, adhuc verè cogitari perfectior, quia cùm Deus ſit infinitè participabilis, poteſt magis ac magis in infinitum participari: vnde conſequens illud eſt creaturam omnium perfectiſſimam non poſſe, niſi fictè cogitari.

Eodem recidit argumentum ex ratione actûs puriſſimi petitum, quod ſic informo: Hæc eſt Dei anticipata notio, vt cogitetur tanquam actus puriſſimus, ſeu ens ſimpliciter actuale, quod quàm abeſt à nihilo, tam abeſt à potentia paſſiva; actus ſcilicet purus, permiſcens & non permiſtus, limitans & non limitatus, contrahens & non contractus, finiens & non finitus, totus &

ex toto actus, qui non eſt niſi actus, non hujus vel illius, non hic vel ille, ſed abſolutè & ſimpliciter actus: at actus purus, cujus ideam hactenus expreſſi, non implicat contradictionem: ergo Deum exiſtere, non implicat contradictionem. Minor probatur, tum quia nulla implicantia afferri poteſt, quæ non ſolvatur: tum quia ratio actûs puri non includit in ſuo conceptu eſſe ſimul & non eſſe; ita enim dicit purum eſſe, vt excludat omne non eſſe.

Diſtinguunt athei: Ita dicit purum eſſe vt excludat omne non eſſe, prout concipitur in mente, concedunt; prout eſt à parte rei & in ſe, negant: vnde eſt actus purus in mente, non in re; fictè, non verè.

Contrà ſic vrgeo: Actus purus, quatenus eſt in mente, & ab ea concipitur, dicit ſolum eſſe: ergo non poteſt implicare ex parte rerum. Ut enim implicaret ex parte rerum, vtique includeret non eſſe ſimul & eſſe, & ita daret intellectui fundamentum affirmandi ſimul & negandi de eo ipſum eſſe: vt eſt in mente, non includit non eſſe ſimul & eſſe, affirmationem & negationem reſpectu ejuſdem, quia, vt concedunt adverſarii, includit purum eſſe in mente. Et verò ſi includeret non eſſe ſimul & eſſe, includeret vel formaliter & directè, vel conſequenter & obliquè: non formaliter & directè, quia affirmat purum eſſe, fatentibus adverſariis: non conſequenter & obliquè; nam ex eo quòd ſit actus puriſſimus, illud conſequitur vnum, quod excludat non eſſe: ergo ratio actûs puriſſimi ſeu purum eſſe actuale non importat conſequenter & obliquè non eſſe. Hæc demonſtratio non eſt à priori, licèt ſit per aliquid

Deo intrinſecum ; nam ratio actûs puri ſequitur ex ipſo eſſe ſimpliciter, vt poſtea oſtendam.

Alterum argumentum ex contingentia rerum ſic ducitur : Exiſtit aliquod ens ſimpliciter neceſſarium in rerum natura : illud ens eſt Deus : ergo exiſtit Deus. Probatur major : vel exiſtit aliquod ens ſimpliciter neceſſarium in rerum natura, vel omnia entia quæ nunc exiſtunt, ſunt contingentia, vel certè omnia ſunt neceſſaria : at omnia entia quæ nunc exiſtunt, non ſunt neceſſaria, nec omnia ſunt contingentia : ergo ſupereſt vt ſit aliquod ens ſimpliciter neceſſarium, à quo cætera quæ contingentia ſunt, producantur.

Probatur pars prima minoris ipsâ experientiâ, quia multa quæ exiſtunt, aut extitere hactenus, contingentia ſunt, quippe quæ ita ſint, vt poſſint non eſſe, aut ita fuerint, vt potuerint non eſſe.

Probatur pars ſecunda, & quidem duplici medio, quorum primum ſit : Si omnia quæ ſunt aut fuerunt, contingentia ſunt, potuit ab æterno nihil exiſtere, vt patet ex ratione entium contingentium : fieri non potuit, vt ab æterno nihil exiſteret ; aliter dari debuit aliquid per quod totum quod fuit, determinaretur ad exiſtendum ; quod enim eſt indeterminatum ad exiſtendum, debet determinari ab aliquo : nihil dari potuit per quod totum quod fuit, determinaretur ad exiſtendum ; à quo enim determinaretur ? à ſe ipſo : at hoc fieri non poteſt, quia præſupponeretur ad ſui determinationem : ergo, &c.

Confirmatur : quia ſi nihil omnino nunc exiſteret, implicaret vt aliquid determinaretur ad exiſtendum : ergo contingentia non magis ab

æterno ad exiſtendum determinari potuerunt: ecquæ enim ratio, cur ex hypotheſi, quòd nihil nunc exiſtat, collectio entium non poſſit determinari ad exiſtendum; potuerit autem determinari ab æterno, cùm fieri poſſet, vt nihil tum exiſteret?

Secundum, ſi omnia ſunt contingentia, ſunt tantùm poſſibilia per accidens; illud enim eſt tantùm poſſibile per accidens, quod potuit non eſſe poſſibile: at póſito quòd omnia ſint contingentia, potuerunt non eſſe: ergo nihil eſt, quod ſit poſſibile niſi per accidens. Addo & amplius, nihil eſſe poſſibile, quod non poſſit eſſe impoſſibile; nam ſi omnia ſunt contingentia, haud dubiè deſinere poſſunt: at ſi omnia deſinerent eſſe, nihil ampliùs eſſet poſſibile: ergo omnia poſſibilia poſſent fieri impoſſibilia, quo nihil abſurdum magis & abſonum.

Reſpondent athei, omnia quæ exiſtunt, diſtributivè & determinativè ſumpta, eſſe contingentia; collectim autem & indeterminatè ſumpta, eſſe neceſſaria: hanc vel illam collectionem eſſe contingentem, quia poteſt eſſe & non eſſe; collectionem autem eſſe neceſſariam.

Contrà: Tota collectio contingentium ſecundùm ſe eſt contingens: ergo non eſt neceſſaria. Probatur antecedens: illud eſt contingens, quod eſſentialiter non exiſtit, vt patet ex ipſa definitione contingentis: tota collectio contingentium non exiſtit eſſentialiter: ergo tota collectio contingentium eſt contingens. Probatur minor: ſi tota collectio contingentium exiſteret eſſentialiter, vtique ſingula individua exiſterent eſſentialiter, quia quod convenit eſſentialiter gradui ſu-

periori, putà ſpeciei, convenit omnibus inferioribus ſub eo contentis: v. g quia convenit ſpeciei humanæ eſſentialiter eſſe rationalem, convenit & ſingulis individuis eſſe rationalia: at exiſtere non eſt de eſſentia ſingulorum individuorum collectionis entium: ergo nec eſt de eſſentia totius collectionis entium exiſtere.

Confirmatur: Si ſingulis partibus collectionis ſecundùm ſe convenit eſſe contingentes; convenit etiam collectioni eſſe contingentem, etiam vt collectio eſt: v. g. ſi partes omnes totius collectionis ſunt eſſentialiter viventes, tota collectio eſt neceſſariò vivens: at eſſe contingens convenit eſſentialiter ſingulis individuis entium, vt volunt athei, & quidem ſecundùm ſe: ergo & eſſe contingens convenit toti collectioni eſſentialiter.

Dixi ſecundùm ſe; nam quædam attributa conveniunt ex accidenti, vel ratione quantitatis tum continuæ, tum diſcretæ, vel ratione qualitatis. In iis quæ conveniunt ratione qualitatis, valet conſecutio à partibus ad totum: v. g. ſi candelæ infinitæ albæ ſint vel accenſæ, tota collectio eſt alba vel accenſa; at ſecus ſe habet in accidentibus quæ conveniunt ratione quantitatis; in his enim non valet conſecutio à diſtributivo ad collectivum. Quare non bene infertur: ſinguli homines ſunt individua: ergo tota collectio eſt individuum; valet è contrà: ſinguli homines ſunt Chriſtiani: ergo tota collectio hominum eſt Chriſtiana; ſic à pari licet concludere: ſingula individua ſunt contingentia: ergo tota collectio eſt contingens. Certè in rebus quantitativis plura debent ſimul conjungi, vt ſe mutuò ad aliquid efficiendum juvent, quod ſingillatim ſumpta ne-

queunt : ſic Apoſtolos dicimus eſſe duodecim, non ſingulos, ſed vniverſos : ſic plures ſagittæ ſunt faſciculus, non ſeorſim, ſed collectim ſumptæ; hinc obſervat Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 5. eam civitatem beatam dici non poſſe, cujus nulla pars beata ſit. *Non enim eadem eſt*, inquit, *beatitudinis appellatio, quæ paris numeri, vt quemadmodum integer aliquis numerus (putà denarius) appellari par poteſt, licèt neutra id poſſit ejus medietas, ſed qualibet earum medietatum ſit impar.* ſic civitas ex gemina medietate conſtans poſſit appellari beata, licèt neutra medietas id poſſit, ſed quælibet earum medietatum ſit non beata.

Dices 1. Licèt ſingula individua vnius ſpeciei contingenter exiſtant, tamen ſpecies neceſſariò eſt ſic licèt quilibet homo in particulari poſſit non eſſe, tamen perſeverabit ſpecies hominis, quandiu aliquod ex individuis durabit : ergo licèt dicantur ſingula individua quæ exiſtunt, eſſe contingentia; non ideo tamen omnia poſſibilia fieri poterunt impoſſibilia 2. Duratio hodierna, poſito quòd hodie non producatur, nunquam poteſt produci, & ita ſit impoſſibilis : ergo aliquod poſſibile per ſuppoſitionem poſſibilem poteſt reddi impoſſibile.

Reſp. ad 1. nego ſpeciem hominis neceſſariò exiſtere: vnde enim illa neceſſitas peti poſſet? an à cauſa à qua pendet homo, & ita pendet, vt à productione aliquorum hominum ſibi temperare non poſſit? an à conceptu eſſentiali hominis? an ab aliquibus individuis hominibus qui neceſſariò exiſtant? Non à cauſa; vel enim eſſet extra collectionem hominum, vel intra collectionem hominum, ita vt homo C pendeat ab homine B,

& homo B ab homine A, & ita in infinitum, retrocedendo versùs æternitatem anteriorem. Non à cauſa quæ ſit extra collectionem illam, quia illa cauſa vel neceſſariò exiſtit, & ita eſt ipſe Deus; vel ſi contingenter exiſtit, tota quoque collectio eſt planè contingens, adeóque ipſa deſinente, tota collectio hominum reddetur impoſſibilis; à quo enim produceretur? Non à cauſa intra hominum collectionem poſita; nam cauſa illa eſſet homo B, à quo homo C eſſet, & homo A, à quo homo B eſſet, & ita in infinitum: at talis cauſa contingenter exiſteret & operaretur, quilibet enim homo contingenter exiſtit & operatur. Non à conceptu eſſentiali hominis, quia illa ratio ſpecifica vel eſt ens neceſſarium, vel contingens; non ens neceſſarium, alioqui ſingula individua neceſſariò exiſterent, vt jam conſecimus: at individua ſingula non neceſſariò exiſtunt, cùm quotidie quædam pereant, aliis naſcentibus; non ens contingens, quia ex ente contingente vt tale, neceſſitas exiſtendi peti non poteſt, nec ex ipſis individuis hominibus, quia nullus eſt qui non inceperit aliquando, & aliquando non deſinat, ex quibus & illud conſequens eſt, fieri non poſſe, quòd ſingula individua, quæ exiſtunt, contingentia ſint, & tota rerum collectio non ſit contingens, vt rectè arguit Joannes Ferrerius lib. 1. de Deo diſp. 1. c. 3. qui hæc omnia fuſiùs proſequitur.

Ad 2. etiam admiſſa hypoteſi, pugno durationem hodiernam non reddi impoſſibilem, ſed reſpectu hodierni temporis ſemper poſſibilem fore: at in alia hypotheſi longè aliter res ſe habet; ſi enim omnia quæ exiſtunt, ſint contingentia, &

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

deſinant hodie, vt deſinere poſſunt, vtique redduntur impoſſibilia pro eo tempore, pro quo poſſibilia ſupponuntur, quia nulla eſt cauſa per quam produci queant: quare neceſſariò aliquod ens exiſtit, à quo contingentia producantur; illud autem ens neceſſariò exiſtens eſt Deus.

Inſtabis: *Eſto*, detur ens neceſſarium ex quo omnia contingentia tanquam ex materia coaleſcant, cujuſmodi ſunt atomi, quas admiſit Epicurus, ex quarum concurſione omnia entia compingantur: at nego dari principium efficiens neceſſariò exiſtens, à quo producantur. Contrà. 1. atomi illæ ſeu corpuſcula, de ſe indifferentia ſunt ad componenda hæc vel illa corpora: ergo debet dari cauſa efficiens, & quidem intelligentiæ pleniſſima, quæ hæc corpora miſceat inter ſe ac ſolerter temperet, niſi fortè ex fortuito atomorum concurſu hunc coaluiſſe mundum putes, quod idem planè eſt, ac contendere, palatium multa arte confectum ex variis lapidum lignorumque fragmentis, ventorum impetu fortuito in vnum locum delatis, & inter ſe temerè concurrentibus exiſtere. Mitto quòd à ratione prorſus alienum ſit, materiæ, qua nihil imperfectius eſt, modum exiſtendi omnium perfectiſſimum, cujuſmodi eſt eſſe à ſe, ſeu eſſe independenter ab omni alio, velle tribuere.

Tertium argumentum ex productione rerum petitum ita informo: Dantur aliqua entia de novo producta: ergo datur aliquod ens improductum, quod ſit primum principium & cauſa cæterorum. Antecedens conſtat experientiâ, & jugi perennique rerum ſibi ſuccedentium generatione & corruptione. Probatur itaque conſequentia:

omne productum eſt ab alio productum : ergo datur aliquid ens improductum ; nam in ſerie producentium & productorum, aut admittendus eſt circulus inextricabilis, & mutua præſuppoſitio cauſæ ad effectum, ita vt cauſa ab effectu ſuo vel mediato, vel immediato adæquatè accipiat primam ſuam exiſtentiam : vel proceſſus in infinitum in cauſis efficientibus, quarum vna ſit ab alia, & illa ab altera, & ſic in infinitum : vel admittenda eſt exiſtentia primæ cauſæ improductæ. Primum & ſecundum admitti non poſſunt : ergo tertium admitti debet, nempe exiſtentia entis improducti. Non primum quidem, quia ſi cauſa aliqua primam ſuam exiſtentiam ab aliquo ſuo effectu accipiat, debet ipſa cauſa operari, antequàm exiſtat. Quinetiam deſtructa vel vna cauſa, cæteræ omnes deſinerent ; fac enim ex decem corporibus luminoſis quæ ſibi mutuò ſunt cauſæ, vel vnum, v. g. decimum, deſtrui, primum haud dubiè etiam deſtruetur, quia exiſtit dependenter à decimo ; illo autem deſtructo, deſtruitur pariter ſecundum, cùm à primo illo fiat ; & ita deinceps vſque ad decimum, quæ ſemel deſtructa reddentur impoſſibilia, ſi nulla alia ſit cauſa à qua produci poſſint : vnde infertur non poſſe admitti mutuam cauſalitatem in rebus numero finitis, quæ ſe mutuò producant.

Non ſecundum, 1. quia ſicut in ſcientiis non poteſt aliquid ſciri niſi per aliud ſcitum per aliud, & ita deinceps, niſi tandem perveniatur ad aliquid ſcitum per ſe : nec in cauſis materialibus infinita progreſſio dari poteſt, ita vt hæc in alia ſubjectetur, & hæc in alia, & ſic in infinitum, quin detur aliqua quæ ſit cæterarum primum ſubje-

ctum : ita in ſerie producentium & productorum neceſſariò veniendum eſt ad aliquod primum principium improductum, quod ſuum eſſe ab alio non accipiat, ſed ſibi plenè ſufficiens, tanquam cauſa prima cætera omnia ad exiſtendum determinet.

2. Proceſſus ille infinitus in cauſis efficientibus quem agnoſcunt athei, vel eſſet in cauſis per accidens ſubordinatis, hoc eſt in cauſis ejuſdem ſpeciei, quibus per accidens eſt, quod vna producatur ab alia : vel in cauſis ſubordinatis per ſe, quarum vna ita pendet ab alia, vt exiſtere nequeat, niſi dependenter ab illius influxu, & hæc viciſſim ab alia ſuperiori, ac proinde diverſæ ſunt ſpeciei : at in vtroque genere cauſarum proceſſus in infinitum dari non poteſt, niſi admittatur principium aliquod improductum.

Non in primo genere, hoc eſt, in cauſis per accidens ſubordinatis ; niſi enim admittatur aliquod primum principium improductum extra illam collectionem cauſarum, à quo producantur ex nihilo, cùm nullus omnino ſit in illa multitudine hominum infinita, qui propria virtute exiſtat, quilibet debet accipere ſuum eſſe virtute agentis extrinſeci, adeóque fieri non poteſt, vt tota collectio illa hominum per ſe exiſtat abſque influxu principii alicujus extrinſeci, quod ſingulis hujus collectionis individuis eſſe communicet, aut certè eorum alicui, à quo ſubinde alia ſuum eſſe accipiant. Finge catenam ex infinitis annulis aureis compactam, quorum ſinguli innata ſibi gravitate deorſum tendant ; niſi vis aliqua extrinſeca ipſos à lapſu ſuſtineat, vtique catena tota in terram decidet : ergo à pari, ſi in collectione hominum

minum infinita nullus eſt, qui ſe ex nihilo extrahat, ſed ſinguli ſuum eſſe ab alio accipere debeant, non poterit illa hominum collectio propria virtute & abſque principio extrinſeco à quo eſſe accipiat, exiſtere.

Non in ſecundo genere, hoc eſt, in cauſis per ſe ſubordinatis; cùm enim cauſæ per ſe ſubordinatæ ſint diverſæ ſpeciei, principium efficiens à quo pendet per ſe ipſam collectio hominum, & quod extra eam poſitum eſt, debebit eſſe naturæ perfectioris, quàm ipſe homo, quia omnis cauſa principalis ſpecie diverſa ab effectu, illo perfectior eſt. Rurſus cùm principium illud non ſit improductum, ab alio diverſæ etiam ſpeciei pendeat neceſſe eſt, quod proinde formaliter aut eminenter continebit in ſe quidquid perfectionis eſt in principio, à quo ſpecies humana immediatè pendere ſupponitur: ergo poteſt per ſe immediatè hominem producere abſque concurſu illius principii, à quo homo ſupponitur productus: ergo principium iſtud neceſſarium eſt, & non neceſſarium; neceſſarium quidem, quia homo ab illo vt cauſa totali pendere ſupponitur; non neceſſarium, quia potuit homo ab illo produci principio, à quo tanquam à cauſa totali & adæquata tale principium productum eſt: ergo, velint, nolint athei, veniendum eſt ad aliquod primum principium improductum, à quo cætera producantur.

Denique ſic argumentor, etiam admiſſa ſerie cauſarum in infinitum protenſa, quam alibi profligavimus: tota illa collectio infinita rerum productarum ſibi mutuò ſuccedentium, cum omnibus ſuis partibus, nullâ demptâ quoad primum ſui eſſe eſt producta: ergo vel à ſe ipſa, vel ab ali-

quo quod ſit pars ipſius collectionis, vel ab alio improducto quod extra ipſam ſit. Non ab alio quod extra ipſam ſit, vt volunt athei. non à ſe ipſa, quia nihil poteſt producere ſe ipſum; nam inter producens & productum realis diſtinctio actu vel potentia intercedere debet: non ab aliquo quod ipſam collectionem vt pars conſtituat, quia hoc vel erit factum à ſe ipſo, quod repugnat; vel erit factum ab aliquo, cui ipſum viciſſim dedit primum eſſe; quod etiam repugnat: duo enim vel plurá ſe mutuò phyſicè producere nequeunt ſecundùm primum ſui eſſe: ergo athei fateri coguntur collectionem illam vel eſſe quid fictitium, vtpote factam ex hypotheſi, & revera non factam, cùm nullum illius primum principium proferre queant: vel certè agnoſcere debent primum principium rerum creatarum, idque improductum tam à ſingulis rebus productis, quàm à tota illarum collectione diſtinctum, quod Deum nuncupamus.

Confirmatur: Singulæ creaturæ ſunt ſibi inſufficientes ad exiſtendum: ergo debent produci ab alio principio effectivo à ſe diſtincto; nam ſi illa inſufficientia tolli poſſit ab alio quàm à principio effectivo à creaturis diſtincto, maximè à conjunctione aliarum creaturarum: non poteſt tolli per conjunctionem aliarum creaturarum, quia addita nova creatura, additur & nova inſufficientia, quæ per ejuſmodi conjunctionem non tollitur: ac proinde tota collectio creaturarum ita conjunctarum adhuc ſibi inſufficiens eſt ad exiſtendum. Certè produci indigentiam ſonat & beneficium alterius neceſſarium ad ſui exiſtentiam: vt ergo vnius pauperis indigentia non tollitur per

acceſſum infinitorum pauperum : ita nec prædicatum hoc, eſſe productum ab alio, per acceſſum aliorum productorum tollitur aut minuitur : ergo tota collectio vtpote inſufficiens ſibi ad exiſtendum exiſtere non poteſt, niſi dependenter à principio improducto : aut ſi improducta ſupponatur, & ens à ſe, vtique Deus erit.

Denique placet D. Chryſoſtomum contra atheos pro numinis exiſtentia diſputantem audire, qui omne argumentorum robur paucis complectitur, vbi ſtolidum inſipientis dictum exagitat homil. in Pſal 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Non eſt fundamentum, & quonam modo ſtat ædificium ? non eſt carina, & quomodo conſiſtit navigium ? non eſt fabricator navis, & quonam modo navis comparata eſt ? non eſt ædificator, & quomodo domus facta eſt ? non eſt architectus, & quis vrbem condidit ? non eſt agricola, & quomodo agri tulere manipulos ? non eſt qui provideat, & quomodo per omnia pervadit providentia ? non eſt auriga, & quomodo elementorum quatuor currus agitur ? non eſt ſtatuarius, & quomodo homines veluti ſtatuæ quædam in mundo facti ſunt ? non eſt fornicis conſtructor, & quis tibi cæli fornicem conſtruxit ? non eſt aurifex, & quis veluti diſcum aureum tanquam in menſa, ſolem in cælo poſuit ? non eſt qui ferat lampadem, & quis tibi veluti lampadem argenteam dedit lunam in nocte ? non eſt qui illuminet, & quis tibi clara & lucem præbentia dedit luminaria ? non eſt qui faciat ſolus magna lumina, & quis accenſos aſtrorum lychnos tibi in cælo poſuit, quemadmodum dicit Propheta Pſal. 135. *Qui facit luminaria magna ſolus, ſolem vt præſit diei, &*

lunam vt præſit nocti. Non eſt opifex, & quomodo pulcritudo creaturarum teſtatur Creatorem? ex magnitudine enim & pulcritudine creaturarum convenienter earum conditor conſideratur. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Quæcunque in mundo fiunt, aguntur & exercentur, habent qui eis præſit, eáque perficiat; & ſolus mundus non habet qui eum adminiſtret? ſi non eſt Deus, quid facis in iis quæ Dei ſunt? in domo Dei manes, & domum Dei inficiaris? vel da mercedem domus, gratiarum actionem, vel domo egredere. Cur etiam fumo eructati maledicti ac blaſphemiæ domum imples? quam in rem appoſitè Theologus aliàs ad hominem ſic arguebat: Deum non eſſe affirmare non vereris? ſi ille non eſt, tu quomodo es? & quis es? & vnde es? & vbi es? tunc, inquam, es, & talis es, & tantùs es; & Deus nihil eſt? in te rationem & mentem ineſſe putas? in toto mundo non putas? Non eſt Deus? non eſt anima in homine: non eſt paterfamilias in domo: non eſt Præfectus in vrbe: non eſt Rex in regno. Et quomodo vivit homo? quomodo perſtat domus? quomodo non eſt deſerta vrbs? quomodo non eſt viduatum regnum. O delirationem incredibilem! Non eſt Deus? vox tua eſt contra omnes, & contra te voces omnium. Deum integræ nationes, Deum omnes populi loquuntur & prædicant: tu vnus deſtruis fidem Dei, Deum ex antiqua poſſeſſione deturbas? O impietatem non ferendam! Sed quidquid contra Dei extantiam moliaris, ipſe eſt, etiam cùm non es; nondum eras, jam ipſe erat; aliquando non eris, & ſemper erit, ſine quo nihil eſſe poteſt, à quo vno omnia eſſe poſſunt, quia omnia eſt.

§. III. *Quædam conſectaria.*

MULTA inferuntur ex dictis. 1. Nemo rationis compos Deum inculpabiliter ignorat. Ratio eſt, quia vt judicium, quo quis negat, Deum exiſtere, culpa omni vacet, debet iis niti rationibus, quæ poſt attentam ipſarum conſiderationem & diligentem reſponſionum, quibus elevari poſſunt, diſcuſſionem, falſæ aut ineptæ ad id concludendum non appareant. Deinde rationibus quibus veritas oppoſita nititur, diligentiùs examinatis, nulla debet occurrere quæ convincat: at nemo eſt, qui ſi pravo omni affectu exuto, diligentiùs quæſierit, an Deus ſit, & rationes quæ vtrique parti patrocinari videntur, expenderit, non concludat eſſe aliquod ſupremum numen ſeu primum principium, quod à nullo ſit, & à quo ſint omnia. Certè parabilis eſt hæc notitia tum ex rerum naturalium concinno & conſtanti ordine, quo ſe nobis præſtantiſſimus artifex inculcat, tum ex ipſa humani corporis ſtructura, tum ex conſcientiæ noſtræ teſtimonio. *Habet enim teſtimonium Deus totum id quod ſumus, & in quo ſumus*, ex Tertull. lib. 1. contra Marcion. c. 10. Hinc meritò ſummæ inſipientiæ ignorantiam Dei tribuit regius Pſalmiſta, & ſummæ impietati Philo Judæus lib. 1. de Monarch. *Qui eſſe vllum negantes, impietatis genus ſuſcipiunt longè omnium maximum*; negligentiæ aut contemptui Beda lib. 3. in Job. 1. *Omnis homo Deum ignorare non poteſt, niſi aut contemnat, aut negligat.* Quanquam.

Atheiſmi quadruplex cauſa à Patribus afferri

ſolet. Prima eſt, ingenii ſuperbiâ inflati imbecillitas; vt enim qui ſe oculo putat eſſe ſano, nec aperta luce aliquid vidiſſe coram ſe poſitum & patens, negat audacter eſſe: ſic qui ex ſuperbia putat ſe ingenio valere plurimùm, nec propter imbecillitatem mentis vim conſequentiæ ab exiſtentia entis ab alio ad exiſtentiam entis à ſe pervidet, Deum non eſſe impudentiùs contendit.

Secunda eſt, depravatio ſensûs communis ex libidine aliiſque id genus vitiis profecta; vt enim phrænetici inter multa quæ ſibi imponunt, ſæpe putant ea non eſſe præſentia, quæ oculos eorum ſubeunt: ſic qui judicium habent cupiditatibus depravatum, inter multas veritates practicas in materia virtutum, quas falſas putant, vt liberiùs & ſecuriùs peccent, perſuadent ſibi non eſſe Deum; hinc monendus imprimis, qui velit de Deo rectè ſentire & ab atheiſmo abduci, vt cupiditates regat ac moderetur, & à voluptatibus quibus hactenus indulſit, abſtineat.

Tertia, illuſio dæmonis; quemadmodum enim ſuis faſcinationibus id facit, vt quæ oculis objiciuntur, minimè tamen videantur: ſic illuſionibus internis ac judiciis quæ procurat, id aſſequitur, vt neque exiſtentia Dei, neque immortalitas animæ videantur.

Quarta, carentia piorum motuum; cùm enim nihil in ſe ſupra naturam homines vaniſſimi deprehendant, nec in aliis eſſe fateri præ ſuperbia aut ſtupore poſſint quod in ſe non vident, Deum quem in ſe non experiuntur, nullum eſſe putant.

Promovent etiam atheiſmum ſceleratorum & nequam hominum colloquia: ita enim homo à

natura comparatus eſt, vt iis quæ ſæpius ipſi ab aliis inculcantur, fidem adhibeat, maximè ſi cupiditates illius foveant alantque.

2. Nemo poteſt dubitare abſque culpa an ſit Deus; vt enim quis inculpabiliter de exiſtentia Dei dubitet, debet prudenter dubitare; vt autem prudenter dubitet, duo requiruntur, vt nempe quæſitis multúmque diſputatis rationibus vtrinſque partis, nullum occurrat argumentum quo Deum eſſe convincat, & rationes quæ Deum non eſſe illi ſuadent, probabiles appareant: at inquirenti an Deus ſit, facilè occurrunt rationes quæ exiſtentiam illius aſtruant, nec rationes quæ eandem impugnant, probabilitatis quidquam habent apud æquum illarum æſtimatorem.

3 Nulla eſt natio tam barbara, quæ integra Deum invincibiliter ignoret. Ratio eſt, quia fieri non poteſt, vt ex tanta hominum multitudine nemo plane ſit, qui non addubitet aliquando, an aſpectabilis hic mundus, in quo eſt tantus partium omnium inter ſe concinentium ordo, ab aliquo conditus ſit, necne: at vbi addubitare cœperit, niſi vlteriùs progrediendo auctorem illius inquirat, in culpa erit non levi; hinc quæ in barbaris gentibus ignorantia veri Dei apparet, craſſa & vincibilis eſt, adeóque à culpa non excuſat.

Medina tamen cenſet ad aliquod tempus poſſe aliquem laborare ignorantia invincibili circa Dei exiſtentiam, quia fieri poteſt, vt nulla cogitatio de Dei exiſtentia animum pulſet, vel certè ſi pulſet, non pulſet cum debito comparandæ notitiæ perfectioris; quo in caſu, Deum invincibiliter ignorabit, v. g. ſi quis in ſilvis enutritus nihil audierit de Deo. Notitia quippe illa ſupponit

cognitionem creaturarum cum dependentia ab vna prima cauſa, cum obligatione illam inveſtigandi; at talis cogitatio non ſtatim occurrit homini, præſertim ſi hebetioris ingenii ſit. Contrà tamen pugnant hæc argumenta, 1. quòd à D. Paulo ad Rom 1. abſolutè & ſimpliciter homines dicantur *inexcuſabiles*, qui Deum ignorant. 2. Quia cognitio Dei confuſa & imperfecta eſt obvia cuilibet. Denique cùm ejuſmodi cognitio ſit vltimi finis notitia, eſt ſimpliciter neceſſaria, adeóque de ratione providentiæ ſupernaturalis eſt, vt quemlibet, ſtatim atque eſt rationis compos, vel per externam diſciplinam, vel per internam illuſtrationem inſtruat, aut certè non multo pòſt tempore.

Dices: Si quis homini in ſilvis ab infantia enutrito, qui de Deo cogitarit nunquam, proponeret hanc quæſtionem, an Deus ſit; deinde argumentis Dei exiſtentiam impugnaret, eum induceret vt Deum nullum exiſtere probabiliter judicaret, atque adeo inculpabiliter judicaret Deum non exiſtere; quidquid enim probabiliter judicatur, inculpabiliter judicatur.

Reſp. vel temere & citra rationum ſibi propoſitarum examen judicabit ille barbarus, Deum non eſſe, & ita judicium illius non erit probabile; omne enim judicium probabile debet eſſe prudens: vel argumentorum quæ ipſi objecta ſunt, momenta ponderabit, aliáque conquiret, putà ex apta partium mundi compoſitione petita; & ita propoſita ſibi argumenta nihil probabilitatis habere judicabit; hinc

Qui ethnicum fide divina imbuendum ſuſcipit, debet 1. per diſcurſum naturalem ex mundi

ipſius molitione, ſtructura & ordine Dei ſeu primæ cauſæ extantiam concludere: 2. perfectiones illius elicere indidem, putà ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, &c. 3. adhibitis ſufficientibus motivis, myſteria religionis noſtræ eſſe à Deo revelata, demonſtrare: vnde tandem judicabit ſe ad illa credenda teneri, vt rectè obſervat Cardinalis Richelæus Tract. Controv. lib 1 c. 8.

Quæres, quomodo fidelis ſenſim ad infidelitatem, adeóque ad hæreſim ipſumque atheiſmum deducatur.

Reſp. per vitæ ſanctioris morûmque corruptelam ſenſim deduci, & quidem duplici ratione, nempe per viam diſpoſitionis, & per viam oppoſitionis. Per viam diſpoſitionis, tum ex parte peccati, quod tenebras menti offundit; tum ex parte Dei, qui vitæ ſolutioris pertæſus, & nimia peccandi licentia graviter offenſus, gratias efficaciores ipſumque fidei donum ſubtrahit; tum ex parte voluntatis humanæ: fides quippe vnis potiſſimùm actibus conſervatur & viget; vt autem actus fidei & facilè & ſæpius eliciantur, pia affectio voluntatis requiritur, quæ intellectum captivet in obſequium fidei, juxta illud D. Chryſoſtomi hom. 83. in Matth. *Credamus, & oculo cordis id perſpiciamus*; oculus quippe corporis in capite ex naturæ communi lege: at ex gratiæ lege oculus fidei in corde ſeu in voluntate, in qua rudimentum eſt hujus virtutis, cujus parens eſt pius affectus voluntatis: at morum corruptela voluntatem ſenſibus immergit, primúmque illum extinguit affectum, cujus eſt mentem veritati revelatæ ſubmittere: itaque mens voluntatis ipſius jugo excuſſo, & ſui quodammodo domina,

nullos amplius fidei actus elicit; hinc languet ipſe fidei habitus, ſenſim deficit, tandemque ingruente tentationum vi, radicitus avellitur. Quid plura? criminum atrocitate caritas extinguitur, extincta caritate, fides exſucca & exanguis denique abolctur. Per viam oppoſitionis, quatenus fidem inter & vitam corruptam pugna exoritur; cupiditas fidem impugnat, viciſſimque cupiditatem fides. Divina pronuntiata tanquam faces menti fides admovet: *Momentum eſt quod delectat, æternum quod cruciat: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: eſt Deus aliquis bonorum operum remunerator magnificus, vindex ſcelerum acerrimus.* Angor & ſollicitudo conſcientiæ vexat, nec ſinit impium voluptatibus quibus ſe addixit totum, quieta mente perfrui: graves illi ac permoleſtæ accidunt honeſti cogitationes, vita liberior ſolutiorque arridet ac perplacet, vindicis Dei juſtitiæ memoria ſollicitum tenet & anxium, inter vitamque partem dubius & anceps hæret aliquandiu, cui potiſſimùm parti adhæreat, incertus Sed quid tandem agat? nec enim tantæ & tam atroci pugnæ diu par eſſe poſſit: itaque quò major ſit peccandi licentia, caritas à voluntate exulare incipit, ſpes quæ ſupereſt, vna fide innititur; vt illa penitus præcidatur, hanc prorſus abolet, & quod lingua loqui non audet, callidè improbus apud ſe mente, vel potiùs corde Deum ejurat ſuum, tacitéque pronuntiat: *Non eſt qui requirat, non eſt qui intelligat, non eſt qui judicet, & non eſt Deus.* Commentum eſt quidquid de perenni beatorum felicitate aut de pœnarum æternitate nobis faſtidioſiùs quàm verius oggeritur.

Quæres 2. an ſi qui ſint verè athei, habeant medium ſufficiens ad ſalutem.

Reſp. non habere proximum, quia carent fide, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere; non deeſt tamen illis medium remotum, quatenus Deus eos ad obſervantiam legis naturalis ſollicitat, & arcanis motibus impellit, quibus ſi obediant, paulatim à Spiritu ſancto intus loquente ad medium propiùs deducentur, tandemque ad cognitionem Dei tanquam finis vltimi, propter quem conditi ſunt, pervenient.

Quæres 3. an athei, ſi qui ſint, peccare poſſint. Reſp. quidni peccent? certè lex naturalis à nullo rationis compote ignoratur: ergo nullus eſt qui non cognoſcat ſe graviter repugnare dictamini legis naturalis, dum ab ea deficit, atque adeo vindicem legis illius offendere, à quo proinde puniri debeat.

§. IV. *An Deus ſit vnicus & ſingularis.*

EX exiſtentia Dei ſemel conſtituta, vnitas eiuſdem & ſingularitas ſequitur, vt obſervat Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap 5. *Deus ſi non vnus eſt, non eſt, quia dignius credimus non eſſe, quodcumque non ita fuerit, vt eſſe debebit.* Conſentit Tertull. Athanaſius lib. contr. Gentil. vbi ait, *dicere deos eſſe multos, perinde eſſe, ac nullos dicere.* Ut tamen de illius vnitate citius conſtet, quatuor argumentis eandem aſtruimus, quorum primum ex inſtinctu naturali hominum, ſecundum ex notione & informatione ipſius Dei, tertium ex ordine & adminiſtratione mundi, quartum ex variis abſurdis quæ ex deorum multi-

plicitate ſequerentur, eruimus.

Primum ſit. Inſtinctus toti ſpeciei impreſſus fallax eſſe non poteſt; nam, vt ait Guillelmus Pariſienſis lib. 2. de virt. c. 2. *Quod natura univerſaliter & naturaliter confitetur, neceſſe eſt verum eſſe; naturam enim naturaliter & univerſaliter mentiri, impoſſibile eſt.* Natura duce, vnum Deum agnoſcimus, & communi ſermone ſponte fatemur, adeóque inſtinctus vnius Dei, non plurium, naturæ rationali impreſſus eſt, quem nec error, nec ipſa ſuperſtitio obſcurat: ergo verè vnus eſt Deus, non plures. Minor probatur, 1. ex Tertulliano lib. de teſtim anim. adverſus Gentes, dum ait, *homines tam pronos naturaliter eſſe in hanc veritatem de Dei vnitate, vt ſe vel ipſi ethnici in ſermone communi tenere non poſſint, quominus in ſenſus labantur Chriſtianos: ſicque naturalis de ſingularitate Dei habetur conſenſus.* hinc vna Gentilium vox: *Deus bonus eſt; Deus bene facit; benedicat te Deus.* Tum, *Deus videt omnia,* & *Deo commendo,* & *Deus reddet,* & *Deus inter nos judicabit.* Tertulliano concinit Minutius Felix in Octavio: *Audio vulgus,* inquit, *cùm ad cælos manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt. Et Deus magnus eſt, & Deus verus eſt, & ſi Deus dederit. Vulgi iſte naturalis ſermo eſt, an Chriſtiani confitentis oratio?* Lactantius lib. 1. Inſtit. c. 1. id ipſum pronunciat: *Nam & cùm jurant, & cùm optant, & cùm gratias agunt non Iovem aut deos multos, ſed Deum nominant; adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit,* &c. Meritò itaque D. Nazianzenus orat. 2. de Theolog. *hanc eſſe* ait *omnibus innatam & primam in nobis legem cum omnibus hominibus ab initio colligatam, vt ſcia-*

mus & perſuaſum habeamus eſſe Deum.

Secundum ex notione & informatione Dei ſic petitur. Quicunque Deum animo informant, Deum illud eſſe cenſent, quo nihil melius atque ſublimius, vt ait Auguſtinus: ſummum magnum, cui nihil adæquetur, ait Tertullianus: ſummam poteſtatem, cui nihil obſiſtere poſſit, ens vndequaque perfectiſſimum: at quod tale eſt vnum & ſingulare ſit, neceſſe eſt: ergo Deus eſt vnus & ſingularis. Minor probatur: fac enim duos eſſe deos, vtrique vnus non erit id quo melius nihil eſt, quia ambo melius quiddam erunt ac perfectius quàm ſinguli; & ita eorum neuter ſeparatim erit Deus, quia complexum amborum vnoquoque completius erit. Majus quippe ac perfectius bonum eſt, quod pluribus bonis completiſque confertum eſt, quàm horum vnumquodque, quod ſuo contentum, caret alieno. Non erit item quilibet Deus ſummum magnum, quia comparem habebit, cui adæquari poſſit, vt rectè arguit Tertullianus lib. contr. Marcionem c. 3. *Quare quid ſit Deus. Quantum humana conditio definire poteſt, id definio quod & omnium conſcientia cognoſcet, Deum ſummum eſſe magnum, in æternitate conſtitutum, innatum, infectum, ſine initio, ſine fine, &c. Quæ erit jam conditio ipſius ſummi magni, vt nihil illi adæquetur, id eſt, vt non ſit aliud ſummum magnum, quia ſi fuerit, adæquabitur; & ſi adæquabitur, non erit jam ſummum magnum everſa conditione, & vt ita dixerim lege, quæ ſummo magno nihil ſinit adæquari: ergo vnicum ſit neceſſe eſt, quod fuerit ſummum magnum, par non habendo, ne non ſit ſummum magnum.* Hinc rectè inferri poteſt illos deos, quos Marcion invehebat; alte-

rum inviſibilem, rerum inviſibilium; alterum viſibilem, rerum viſibilium conditorem; veros deos eſſe non poſſe.

Non erit vnus quoque perfectiſſimus. Cùm enim duo ſint, neuter eorum perfectionem omnem poſſibilem continebit, eáque alter carebit perfectione, quæ alteri inerit. Vt enim duo non poſſunt eſſe maria, quorum quodlibet humorem omnem qui in mundo eſt, ita contineat, vt ne ſtillam quidem vnam extra ſe relinquat: ita nec duæ poſſunt eſſe diuinitates diverſæ, quæ ſingulæ perfectiſſimæ ſint; vna enim non erit quod erit altera: ergo neutra perfectionem omnem poſſibilem continebit: ergo nec perfectiſſima erit.

Denique ſi duo dii ſint, quomodo in alterutro ſumma erit poteſtas, cui reſiſtere nihil poſſit? vel enim alter alterius conſiliis juxtà & conatibus poterit obſiſtere, & ita potentior erit ac ſibi proinde vni diuinitatis nomen aſciſcet: vel non poterit, & ita ſuccumbet valentiori, ſeque adeo diuinitatis titulo abdicabit: vel æqualibus vtrinque & ſuſpenſis viribus hærebunt ambo, & ita vtriuſque potentiæ conatus omnes eò tandem recident, vt alter alterum impediat, nec aliud poſſint quàm ſe ſe mutuò impedire: vel denique cùm liberi ſint & æque potentes, dum vnus volet fieri, quod alter fieri non vult, contradictoria ſimul exiſtent, quo quid abſurdius. Rectè igitur Lactantius lib. 1. cap. 3. *Virtutis perfecta natura non poteſt eſſe, niſi in eo in quo totum eſt; non in eo in quo pars exigua de toto eſt. Deus verò ſi perfectus eſt (nam perfectus eſt) vt eſſe debet, non poteſt eſſe niſi vnus, vt in eo ſint omnia: deorum igitur virtutes ac poteſtates infirmiores ſint neceſſe eſt, quia*

tantùm ſingulis deerit, quantùm in cæteris fuerit, ita quantò plures, tantò minores erunt. At

Duo dii ſint, inquies, quorum tanta ſit conſenſio voluntatum, vt ſemper idem velint, & in idem conſpirent. Contrà: Dum ais eoſdem velle, vel volunt idem in actibus neceſſariis, vel in actibus liberis; eſto: idem velint in actibus neceſſariis, certè vt in liberis idem velint, fieri non poterit. Aut enim quælibet voluntas expectabit conſenſum alterius, aut ex naturali conditione idem ſemper ſtatuent, ac ſeorſim apud ſe deliberabunt & exequentur. Si primum, illa mutua expectatio ambas voluntates ancipiti ſemper conſilio diſtrahet & ſollicitas tenebit, quod eorum beatitati repugnat: ſi ſecundum, nulla libertas ipſis inerit, quia à principiis intrinſecis determinabuntur. Divina enim eorum perfectio omnem ſententiarum & opinionum diſcrepantiam reſpueret; hinc vides, notitiâ Dei bene perceptâ, pluralitatem deorum excludi, adeóque multorum deorum admiſſionem eſſe Dei negationem, juxta illud placitum S. Athanaſii orat. contra idola: *Multitudo numinum, nullitas numinum.*

Tertium ex adminiſtratione mundi ſic conficio: Ordo vniverſi & adminiſtratio vnum duntaxat moderatorem Deum exigit: ergo vnus eſt mundi moderator, non plures. Probatur antec. meliùs & ordinatiùs regitur mundus per vnum Deum moderatorem, quàm per plures: ergo ordo & adminiſtratio vniverſi vnum duntaxat moderatorem Deum exigit. Probatur ant. ex Ariſtotele: *Non ſunt multa principia entia nolunt malè gubernari; non eſt autem bonorum multorum principatus, vnus ergo princeps.*

Ratio eſt, quia ſi plures dii regerent mundum, plura forent diſparia principia, quæ mundum in varias partes diſtraherent; vnde confuſio & perturbatio ſequeretur. Hoc argumentum vrget Athanaſius lib. contra Gentiles: *Ordo ipſe diſpoſitionis & rerum omnium conſentiens harmonia, non plures, ſed vnum rectorem ipſius ac ducem eſſe Dei Verbum oſtendit; non enim ſi plures eſſent rerum creatarum principes, ſervaretur ejuſmodi univerſitatis ordo, ſed omnia confuſa rurſus ac perturbata forent, cùm vnuſquiſque omnia ad ſuum arbitrium traheret, & cum altero depugnaret.* Deinde ſi plures dii vniverſi regimen inter ſe partirentur, vel minùs virium ſinguli haberent, vel tantùm quantùm orbi regendo ſufficeret. Si primum, dii non eſſent, quia potentiſſimi non forent. ſi ſecundum, plures ſuperflui eſſent; vnus ſiquidem ad omnia æque ſufficeret. Et verò natura peræque ac ipſa ars, pares & ejuſdem ordinis atque efficientiæ cauſas non adhibet, vbi ſatis vna eſſe poſſit Non multi ſoles in mundo luci impartiendæ fact. ſunt, nec plures in vno quoque corpore animæ, nec in vna domo multi domini, nec in navi vna multi gubernatores, nec in vno armento aut grege multi duces, nec in vno apum examine multi reges; adeo in vnitate vniverſa natura conſentit. Hoc argumentum pluribus vrget Lactantius lib. 1. Inſtit. c. 3. *Quid enim multis opus eſt ad mundi regimen ſuſtinendum, niſi fortè arbitremur, ſi plures ſint, minùs habere ſingulos nervorum atque virium; quod quidem faciunt ii qui multos eſſe volunt: quia neceſſe eſt imbecilles eſſe, ſiquidem ſinguli ſine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum ſuſtinere non poſſunt. Deus autem qui eſt æterna mens, ex*

omni vtique parte perfecta conſummataque virtutis eſt ; quod ſi verum eſt, vnus ſit neceſſe eſt. Hoc etiam argumentum eleganter tractat Minutius in Octavio num. 24. *Inquirendum putas, vtrum vnius imperio, an arbitrio plurimorum cæleſte regnum gubernetur, quod ipſum non eſt multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla vtique de cælo. Quando vnquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore diſceſſit? Omitto Perſas de equorum hinnitu augurantes principatum, & Thebanorum præmortuam fabulam tranſeo, ob paſtorum & caſæ regnum de geminis memoria notiſſima eſt; generi & ſoceri bella toto orbe diffuſa ſunt, & tam magni imperii duos fortuna non cepit. Vide cætera, rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus. Tu in cælo ſummam poteſtatem dividi credas, & ſcindi veri illius ac divini imperii totam poteſtatem. Cùm palàm ſit parentem omnium Deum nec principium habere, nec terminum; qui nativitatem omnibus præſtet, ſibi perpetuitatem; qui ante mundum fuerit ſibi ipſe pro mundo; qui vniverſa quæcunque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat.*

Quartum ex variis abſurdis, quæ ex deorum multitudine ſequuntur, eſto: 1. ſi plures ſint dii, debent eſſe numero infiniti : nemo deos admiſit infinitos : ergo non ſunt plures dii. Probatur major: nulla eſt ratio, cur ſi plures ſint, tot ſint & non plures in infinitum. Quamvis enim natura divina ex fœcunditate quam habet per intellectum & voluntatem, ad tria ſuppoſita determinetur, nihil habet in prædicatis eſſentialibus per quod determinari poſſit ad certum deorum numerum ; nec quidquam eſt extrinſecus per quod

determinari poſſit, alioqui numerus deorum penderet à determinatione cauſæ alicujus, quæ non eſſet Deus, quod eſt contra independentiam divinitatis, præterquam quod hæc mutiplicitas infinita fœcunditatem divinam proderet, vt rectè argumentatur Tertullianus contra Marcionem c. 5. *Primum exigam, cur non plura, ſi duo? quando locupletiorem oporteret credi ſubſtantiam divinitatis, ſi competeret numerus.* 2. Si plures dii forent, eſſent quoque plures fines ſimpliciter vltimi: at plures fines ſimpliciter vltimos eſſe non poſſe, in Morali confecimus. 3. Si plures forent dii, ad quem ex iis miſeriis preſſi confugeremus? cui de collato beneficio gratias ageremus cum alterius injuria? quàm in multis frigeſceret cultus in plures deos diviſus! Denique ſi multi ſunt dii, multa quoque ſunt & diverſa rerum principia: at ex Cypriano in Apolog. lib. de oper. Chriſti, *non potuerunt multa & diverſa eſſe rerum principia, quia niſi ad vnum cuncta reſpicerent, diſcordia & infinitate cuncta turbata volverentur in chaos, & repugnarent & colliderentur in ſe diſcordes materiæ, niſi omnis factoris auctoritas imperaret, & vnius monarchia poteſtatis, vniverſitatis cauſas & efficientias ordinaret.*

§. V. *Conſectaria ex Dei vnitate.*

1. DEus vnus eſt, toto igitur à nobis corde diligendus; ſi autem plures forent, cultum & reverentiam quam vni exhibemus, inter ſe partirentur. Hæc conſecutio infertur Deuteron. 6. his verbis: *Audi, Iſrael, Dominus Deus vnus eſt. Diliges Deum tuum ex toto corde tuo,* &c.

II. Deus vnus eſt : hunc vnum time, præterea neminem, niſi propter eum timeas. Id ipſum nobis innuitur Eccleſ. 5. *Vnus altiſſimus & metuendus nimis.*

III. Deus vnus eſt : quàm facile, quàm jucundum ei ſervire ac facere ſatis, vnus cùm ſit! nam ſi plures forent dii, vni ſatisfacere poſſes, etiam cum alterius offenſione, quia fortè a te officia diſparia, immo & oppoſita exigerent.

IV. Deus vnus eſt. Ut eum poſſideas, nihil non agas : hunc enim ſi poſſides, omnia poſſides; ſin autem poſſeſſione illius excidis, omnia amiſiſti.

V. Deus vnus eſt. Hunc ſi ad iracundiam concitaſti, ſi ad vltionem tuis ſceleribus provocaſti : quis ſe ei audeat opponere, cui nullus virtute & potentia par ſit? Regem vnum offendiſti, ejus poteſtati ac juſtitiæ non ægrè te ſubducas, ſi ad alterum principem viribus non imparem confugias : in Deum peccaſti ſemel, nemo te illius poteſtati eripiet vnquam. *Videte*, inquit Deuteron. 32. *quòd ego ſim ſolus ; & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.*

VI. Deus vnus eſt. Quid te tot rerum amoribus implicas? vnus Deus tibi ſufficit, in quo ſunt omnia : cor in plura objecta diſperſum, miſerè ſcinditur, vni intentum Deo, colligit ſeſe, dum ad vnitatem ſe reducit.

VII. Polytheiſmus eſt contra lumen naturale rationis humanæ. Id ſequitur ex prima ratione; cùm enim nulla ſit anima quæ ratiocinari poſſit, in cujus conſcientia non loquatur Deus ex Auguſtino, nemo non videt multiplicitatem deorum rationi naturali repugnare; hinc qui inter ve-

teres Philoſophos indagandæ divinitati operam navarunt, vnum Deum agnovere, non plures. Sic Plato in Timæo vnum inter deos ſupremum agnovit, Ariſtoteles in Metaphyſica vnum vniverſi principem, Triſmegiſtus cap. 13. Pimandri Deum *ipſum vnum* appellat. Anaxagoras, Heraclitus & Empedocles in vnius primi incorporei aſſeitione cum Platone conſentiunt, reſte Plotino Ennead. 5. lib. 1. c. 9. Quare ſi quando mentionem plurium deorum fecerunt Philoſophi Gentiles, vel locuti ſunt ad vulgus more vulgi, vel nomine plurali intellexere, quos aliquando minores deos, aliquando genios, aliquando heroas vocabant, nos angelos & ſanctos appellamus. Quin etiam ipſæ gentes, quæ mentem diſciplinis excoluere, Deum aliquem maximum agnovere, eumque vnicum, quem patrem atque hominum regem appellabant. Addo & amplius inter ipſos Gentiles fuiſſe non paucos, qui vnicum Deum agnoſcerent, ſed pro variis muneribus, quibus fungebatur, variis nominibus appellarent, vt teſtatur Juſtinus Martyr in orat. Parænet. ad Gentiles: vnde factum eſt vt plebs imperita, multitudine nominum decepta, diverſos deos admiſerit, quem tamen ſapientes vnicum agnoſcerent. At

Quæres, quænam cauſæ fuerint polytheiſmi. Reſpondeo alias fuiſſe cauſas remotas, alias proximas.

Inter remotas numerantur 1. ignorantia veri Dei, juncta imbecillitati humanæ ac dæmonum fallaciæ, qui idololatriam invexere, vt veri Dei cultu extincto, ab hominibus tanquam dii colerentur. 2. Malitia hominum, vt obſervat Atha-

naſius orat. contra idola ſub initium. 3. Amor ſui immoderatus & ſuperbia, teſte D. Dionyſ. c. 9. de cæl. hierar. 4 Naturæ ipſius corruptio, quam Guillelmus Pariſienſis lib. 1 de legibus c. 24. radicalem cauſam idololatriæ vocat.

Cauſæ verò proximæ quinque à Theodoreto lib. 3. adverſus Græcos, novem ab Euſebio orat. de laud. Conſtant. afferuntur, præcipuas accipe. Prima fuit pulcritudo cælorum, ſiderum & elementorum: ſic ſolem adorarunt Indi, lunam Phryges, ignem Perſæ. 2. Fructus terræ & alia dona, ſic Cererem frumentum Athenienſes, & Dionyſium vitem appellarunt. 3. Affectiones etiam conſecrarunt: voluptatem Veneris, iram Martis, ebrietatem Bacchi, furtum Mercurii, prudentiam Minervæ nominibus nuncuparunt. 4. Beneficia, malorum depulſio, & regia beneficentia deorum numerum auxerunt; hinc finxere quoſdam ſervatores Caſtorem & Pollucem, Herculem Alexiacon & medicum Æſculapium. 5. Affectus patris ex morte filii, viciſſimque affectus filiorum in parentes, imagines & idola conſtruxere. Hanc cauſam affert Siracides ſap. 14 *Acerbo*, inquit, *luctu dolens pater citò rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit: & conſtituit inter ſervos ſacra & ſacrificia.* 6. Metus, ſuperbia, aſſentatio multos deos peperere ex Principibus: ita Ægyptii Principes ſuos, vt eorum ambitioni adularentur, pro diis habuere. Adeo verum eſt pronuntiatum Tertulliani lib. de idololatr. c. 4 *Omnia colit humanus error præter ipſum omnium conditorem.* Rectè itaque monet D. Auguſtinus lib. 8. de civit. Dei c. 24. nos multùm

Chriſto debere, quòd nos ab idolorum famulatu ad veri Dei cultum traduxerit. *Nos*, inquit, *quid oportet dicere, vel potiùs quid agere, niſi quantas poſſumus gratias Domino Deo noſtro, qui hæc contrariis cauſis quàm inſtituta ſunt, abſtulit? nam quod inſtituit multitudo erroris, abſtulit via veritatis; quod inſtituit incredulitas, abſtulit fides; quod inſtituit à cultu divino religionis averſio, abſtulit ad vnum verum Deum ſanctumque converſio.*

VII. Omnis religio, quæ vnum Deum tanquam principium rerum omnium fide non colit & adorat, quæque eum non amat ſuper omnia ac moribus non confitetur, falſa eſt & adulterina.

VIII. Quàm certum eſt Deum eſſe vnum, qui ſit primum rerum omnium principium & finis ſupremuſque naturæ dominus, tam neceſſe eſt dari veram religionem qua colatur imprimis; nec enim ficta & ſimulata religione verus Deus coli vt par eſt, vnquam poſſit: nec hominum ſalus & felicitas vitaque civilis in falſa & adulterina religione magis fundatur, quàm ſalus corporis in ægritudine. Debuit itaque Deus veram religionem inſtituere, quâ verè coleretur, cæteris autem quæ ab ipſa diſſentiunt, fictè; hæc autem religio vera eſt religio Chriſtiana, vt rectè probat Bellarminus, cujus Chriſtus auctor & inſtitutor eſt.

§. VI. *Diluuntur objecta.*

QUÆDAM argumenta pugnant nullum eſſe Deum, quædam plures deos aſtruunt.

Objiciunt I. athei: Si Deus aliquis eſſet, curaret vtique res humanas: nullus eſt Deus qui curet res humanas; nam boni miſeriis premuntur

ſæpius, mali florent, & beati ſunt. 2. Omnia perſeverant, & ſi quid interit, à natura alterius ortu reſarcitur: ergo nullum eſt aliud numen præter naturam ipſam. 3. Si Deus aliquis eſſet, poſſet omnia facere: ergo poſſe facere, vt nix atra eſſet, ignis gelidus, & quòd ſedens ſtaret, & vice verſa. Hoc argumentum eſt Euripidis apud Plutarchum 1 de Placitis c. 7. 4. Si Deus eſt, vtique infinitè bonus eſt: ſi infinitè bonus, nulla poteſt malitia & imperfectio in mundo eſſe, quia vnum infinitum totaliter aliud deſtruit.

Reſp. ad 1. vbi agemus de Dei providentia, hoc argumentum à nobis ſolvendum. 2. Nego malos florere ſemper & beatos eſſe; plectuntur enim ſæpius, etſi nonnunquam tardiùs, ſicut boni interdum aliquando remunerantur in hac vita: Deus quippe, vt obſervat S. Gregorius 5. Moral. c. 15. nonnullos impios hîc plectit in argumentum providentiæ, aliorum pœnas differt, vt graviùs poſtea puniat: ſicut ex bonis aliquos remunerat in hac vita, ne quis putet rerum humanarum negligentem aut virtutis oblitum: alios autem ſine mercede dimittit, vt in altera vita copioſiùs remuneretur. Deinde nullus eſt adeo ſceleratus, qui non identidem laudabiliter quidpiam agat; nullus item adeo bonus, qui in leves culpas non aliquando incidat: illi quædam bonà temporalia largitur Deus in præmium, quia æterna non meretur; hunc vexat interdum quibuſdam malis, vt pro levioribus culpis faciat ſatis. Denique corruptos & vitioſos luxurioſè ac delicatè patitur Deus vivere, quia non putat emendatione ſua dignos: bonos autem, quos diligit, caſtigat ſæpius, & aſſiduis laboribus ad vſum virtutis exer-

cet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari ſinit. Vide Lactantium lib. 5. c. 23. vbi hæc fuſiùs proſequitur.

Ad 2. reſp. vel inde Dei extantiam probari; ratio enim perfectæ ſapientiæ illius id exigebat, vt tum cùm mundum condidit, perennitati rerum conſuleret jugi ac perpetua rerum pereuntium atque naſcentium ſerie.

Ad 3. Euripides ſi ita ſenſit aliquando, errorem certè ſuum poſtea retractavit, vt probant carmina illius apud Juſtinum lib. de Monarchia citata, quibus Deum ſcelerum vindicem aſtruit. Deinde ſolvetur hoc argumentum, cùm de Dei potentia agemus.

Ad 3. Ex eo quòd Deus ſit infinitè bonus & perfectus, neceſſariò quidem omne malum à ſe excludit: at non ideo id omne quod ipſi oppoſitum eſt, ſemper excludit, ſed juſtiſſimas ob cauſas permittit, immo vel ob ipſa bona, quæ ex malis elicit, cùm benignitas ipſius, tum potentiæ agnoſcitur infinitas; magnæ quippe facultatis eſt, etiam ea quæ malè facta ſunt, in vſum aliquem bonum convertere, & quæ nos informia fecimus, ea in formam pulcram poſſe redigere, & perfecta exhibere.

Objicies 2. Si ex eo quòd Deus ſit ens perfectiſſimum, vnicus eſt, ſequitur etiam vnicam eſſe perſonam; nam perſona divina, quà divina eſt, eſt infinitè perfecta: ergo non poteſt parem ſibi aut perfectiorem compati.

Reſp. nego ſequelam. Ad probationem diſtinguo: perſona divina eſt infinitè perfecta, ſecundùm quid, eſto; ſimpliciter, nego. Eſt enim quælibet perſona infinitè perfecta in ſuo genere: v. g.

pater-

paternitas in genere paternitatis, filiatio in genere filiationis, &c. Et quoniam non repugnat plura eſſe infinita ſecundùm quid, ideo non repugnat plures eſſe in Deo perſonalitates.

Inſtabis: Plura poſſunt eſſe infinita ſecundùm quid, putà plures perſonalitates: ergo nec repugnat plures eſſe deos ſolo numero diſtinctos. Probatur conſeq. individualis perfectio cujuſlibet Dei eſt tantùm perfectio ſecundùm quid, non perfectio ſimpliciter ſimplex; vna enim, ſi dentur plures, non erit melior quàm alia ipſi oppoſita & cum illa incompoſſibilis per identitatem.

Reſp. nego conſequentiam. Ad probationem illius, nego individuationem, vt eſt in Deo, eſſe tantùm perfectionem ſecundùm quid: ſed eſt perfectio reſpectu Dei ſimpliciter ſimplex. Ratio eſt, quòd divinitas ſit eſſentialiter ſingularis; eſt autem eſſentialiter ſingularis, quia eſt actu & neceſſariò exiſtens; actualis enim exiſtentia eſt de conceptu eſſentiali Dei, & ſingularitas eſt vnum ex requiſitis, vt res actu exiſtat. Deinde licèt perfectio individualis eſſet tantùm perfectio ſecundùm quid, tamen Deus debet illam in ſe continere, quia ens ſummè & ſimpliciter perfectum debet in ſe continere eminenter aut formaliter omnem perfectionem poſſibilem tam ſimpliciter ſimplicem, quàm ſecundùm quid.

Inſtabis 2. Ratio perſonalitatis divinæ eſt communis tribus Perſonis divinis cum ſui multiplicatione, & tamen includit in ſuo conceptu eſſentiali actu exiſtere: ergo poteſt dari ratio aliqua multis communicabilis cum ſui multiplicatione, quæ tamen ſecundùm ſe ſit ens actuale: ergo non eſt neceſſe, vt ratio illa, quæ ſecundùm ſe & in

ſuo conceptu quidditativo includit exiſtendi neceſſitatem, ſit ſecundùm ſe ſingularis.

Reſp. eſto, ratio perſonalitatis ſit communis tribus Perſonis divinis, nego illam, ſecundùm ſe ſpectatam, & vt præciſam à perſonalitatibus, eſſe ens actuale aut potentiale; complet enim vltimò naturam divinam in ratione ſubſtantiæ, abſtrahendo an ſit ens potentiâ vel actu. Certè quòd realiter & phyſicè ſumpta ſit ens neceſſariò exiſtens, id habet à natura divina, quam vltimò complet in ratione ſubſtantiæ, non autem à conceptu quidditativo perſonalitatis; ſed hæc viderint Theologi.

Colliges ex dictis, Deum ita eſſe vnum, vt non tantùm vnus ſit per ſuæ indiviſionem naturæ, ſed etiam vt ſit vnicus & ſolus, participando ſcilicet rationem vnius modo quodam ſupereminenti, quod definitur indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio. Quatenus indiviſus in ſe, multiplicitatem intra ſe ipſum non habet: quatenus perfectiſſimè diviſus eſt à quocunque alio, nullam cum aliquo alio identitatem, ne quidem ſimilitudinis, extra ſe ipſum habere poteſt, quippe qui omnia intra ſe continens, nihil extra ſe vlli alii relinquat: vnde vnicus manet Deus ac ſolus, ideóque à D. Dionyſio vnitas illius *ſuperunitas* appellatur.

ARTICULUS II.

Quænam ſit Dei eſſentia metaphyſica, ſeu quid ſit Deus.

CONFECIMUS hactenus Deum exiſtere, cumque vnicum; jam quid ſit, examinandum

nobis eſt. Arduum ſane opus ac perdifficile; nam magnum quid, majuſque quàm cogitari poſſit, numen eſt, cujus nec virtus æſtimari poſſit, nec magnitudo perſpici, nec principium comprehendi, inquit Lactantius lib. 6. cap. 24. Nos tamen primi entis improducti varias & admirandas proprietates non fidei quidem divinæ ductu, quod Theologorum munus eſt, ſed ratione naturali magiſtra, quæ Metaphyſicæ partes ſunt, inveſtigabimus.

§. I. *Quæ ſit ratio divinæ eſſentiæ conſtitutiva.*

I. Observatio. Deus cùm non vnius tantùm diſciplinæ, ſed plurium objectum ſit, quæ ipſum alia atque alia ratione conſiderant, variè quoque ipſum definiendo explicant. Phyſica materiæ procreatorem, mundi formæ artificem, primum motorem primi motus, primam cauſam ſeu naturam naturantem definit; Moralis objectum beatitudinis perfectæ; Politica rectorem hominum inviſibilem; fides ſeu Theologia naturam ſeu ſubſtantiam ſpiritualem, exiſtentem vnam in pluribus Perſonis. Sed quoniam hîc metaphyſicam Dei definitionem inquirimus, ſit

II Observatio. Eſſentiam Dei metaphyſicè ſpectatam vt eruamus, inveſtigandum hîc nobis eſt primum prædicatum, quo Deus ab omnibus aliis rebus, cum quibus ſaltem in ratione quadam analoga entis convenientiam habet, diſtinguatur, & quòd ſit prima radix omnium aliorum prædicatorum. Porrò triplex eſt celebrior ſententia; prima Curielis & Arrubalis, quæ con-

ſtituit rationem eſſentiæ divinæ in gradu intellectivo radicaliter ſumpto, id eſt, per modum potentiæ & principii virtualis. Secunda quæ Suaris Granat. eſt, in intellectione actuali reponit. Tertia quæ multorum eſt, ſtatuit in ipſomet gradu eſſendi, ſeu in eo quòd ſit ens ſimpliciter, ſive ens per eſſentiam.

Unica Assertio. Ratio conſtitutiva divinæ eſſentiæ eſt primus gradus eſſendi, ſeu quòd habeat eſſe ſimpliciter, ſeu quòd ſit id quod eſt. Probatur Exodi 3. v. 14. vbi Deus interrogatus à Moſe, quis eſſet, reſpondit: *Ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſraël, Qui eſt, miſit me ad vos.* Scripturæ accedit auctoritas SS. Patrum, qui paſſim inculcant nihil tam proprium eſſe Dei, quàm ſemper eſſe & per ſe eſſe, quos videre poteris apud Petavium lib. 1. Theol. dogm. c. 6. Certè D. Bernardus lib. 5. de conſid. cap. 6. quærit de Deo quid ſit, & ſibi ipſe reſpondet: *Quis eſt? Non ſanè occurrit melius quàm qui eſt. Hoc ipſe de ſe voluit reſponderi, hoc docuit, dicente Moyſe ad populum, ipſo quidem injungente: Qui eſt, miſit me ad vos. Meritò quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus eſt. Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quicquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, eſt; nempe hoc eſt ei eſſe quod hæc omnia eſſe. Si & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti; ſi non dixeris, nihil minuiſti. Si vidiſti hoc tam ſingulare, tam ſummum eſſe, nonne in comparatione hujus, quidquid hoc non eſt, judicas potiùs non eſſe quàm eſſe? Quid item Deus? ſine quo nihil eſt, tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo*

ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe: ſuum quippe eſſe formaliter eſt, & omnium eſſe efficienter.

Idem probat D. Thomas 1. part. qu. 14. a. 11. vbi ait nomen Dei maximè proprium eſſe, *Qui eſt*: at nomen Dei maximè proprium rationem illius eſſentiæ conſtitutivam ſignificat. Et lib. 1. contra Gentiles cap. 45. propterea oſtendit, quòd intelligere Dei eſt ejus eſſentia, quoniam intelligere comparatur ad intellectum & ſpeciem intelligibilem, ſicut eſſe ad eſſentiam: vnde concludit, quia eſſe divinum eſt ipſa eſſentia Dei, idcirco etiam intelligere Dei, ad eſſentiam illius pertinere. Unde ſic arguo: prædicatum illud eſt primò & per ſe conſtitutivum eſſentiæ divinæ, quod eſt ratio, cur ipſum intelligere ad eſſentiam divinam pertineat: prædicatum eſſendi tale eſt in Deo, ex D. Thoma: ergo prædicatum eſſendi conſtituit eſſentiam divinam. Rurſus rem ex S. Doctore ſic evinco: prædicatum, quod eſt radix omnium perfectionum divinarum, eſt per ſe primò conſtitutivum eſſentiæ divinæ: gradus eſſendi, per quem Deus dicitur eſſe ſuum eſſe, ſeu habere eſſe irreceptum, eſt prima radix omnium perfectionum divinarum, ex ſancto Doctore 1. p. q. 7. a. 1. *Cùm eſſe divinum*, inquit, *non ſit eſſe receptum in aliquo, ſed ipſe Deus ſit ſuum eſſe ſubſiſtens; infinitus & perfectus eſt.*

Probatur eadem aſſertio argumento duplici, poſitivo & negativo. Poſitivo quidem ſic: ratio per ſe primò diſtinctiva eſſentiæ divinæ ab omni alio quod non eſt ipſe, eſt ratio per ſe primò conſtitutiva illius; quod enim rem primò diſtinguit, eandem conſtituit, & radix eſt omnium proprie-

tatum, quæ ab eo fluunt & manant: ratio per ſe primò diſtinctiva eſſentiæ divinæ ab omni alio quod non eſt ipſa, conſiſtit in primo gradu eſſendi, non in alio vlteriori: ergo ratio per ſe primò conſtitutiva eſſentiæ divinæ eſt primus gradus eſſendi, ſeu ipſum eſſe Dei. Minor probatur, quia dum primum entis divini gradum, qui eſt ipſum eſſe, penitius intro, in hoc ipſo primo limine & quaſi veſtibulo alium planè gradum eſſendi à gradu eſſendi creaturæ invenio; nam eſſe creaturæ eſt ab alio, eſſe divinum eſt à ſe: eſſe creaturæ eſt per participationem, eſſe divinum eſt eſſe per eſſentiam: eſſe creaturæ eſt immerſum potentialitati, eſſe divinum eſt actus puriſſimus: eſſe creaturæ plus habet de non ente quàm de ente, eſſe divinum nullum habet cum non ente commercium: ergo ipſa ratio eſſendi, quæ primò occurrit in Deo, illius eſſentiam conſtituit, nec opus eſt ad gradum intelligendi vlteriùs progredi. Et verò Deus eſt ens ſe toto diverſum à creatura, nullumque genus habet cum ea vnivocè commune: ergo habet rationem ſui primò diſtinctivam in primo gradu eſſendi collocatam; alioqui non differret à creatura ſecundùm omnes gradus.

Argumento autem negativo ſic: Intellectio Dei ſive ſumatur in radice & in actu primo, pro ipſa vi intelligendi, ſive in actu ſecundo pro intellectione actuali, non eſt primum prædicatum ex quo aliæ perfectiones divinæ fluunt: ergo non poteſt eſſentiam divinam conſtituere. Probatur ant. intellectio divina ſupponit naturam divinam; vt enim volitio ſupponit intellectionem in Deo ratione priorem ſe, ita intellectio ſupponit natu-

tam divinam, etiam in actu primo ſumpta, & aliunde vt eſt actualis intellectio, poſterior eſt illa natura, cujus eſt operatio, quia operari ſequitur eſſe. Denique quis dicat ex vi intelligendi ipſaque intellectione actuali ſimplicitatem, omnipotentiam & immenſitatem profluere?

Objicies: Principium, quod eſſentiam cujuſque rei primò conſtituit, eſt gradus illius perfectiſſimus, qui illius proprius & peculiaris ſit: in natura intelligente qualis eſt Deus, gradus intelligendi eſt perfectiſſimus, Deique maximè proprius: ergo gradus intelligendi primò conſtituit eſſentiam divinam.

Reſp. data majore, diſtinguo minorem: in natura intelligente, quæ non ſit Deus, gradus intelligendi eſt perfectiſſimus, concedo; quæ ſit Deus, nego: gradus quippe eſſendi in Deo eſt prima & adæquata radix, ad quam ratio naturæ divinæ conſtitutiva adhæreſcit, quod in homine & angelo ſecus ſe habet.

Inſtabis: Eſſentia divina conſtitui debet per id quod eſt maximè actuale: eſſe Dei non eſt maximè actuale, intellectio autem eſt quid maximè actuale: ergo eſſentia divina per intellectionem actualem, non per eſſe divinum conſtituitur.

Reſp. conceſſa majore, nego minorem; eſſe quippe Dei per actualem exiſtentiam conſtituitur, quæ eſt omnium actualitatum maxima, à qua ipſa etiam operatio ſuam actualitatem trahit, Deus quippe eſt οὐσία plena τοῦ ὄντος, & ſolus eſt & ſolùm eſt, neque vnquam, neque vlla ex parte non eſt, neque non eſſe poteſt. Quid plura? ita naturale eſt Deo vt ſit, vt ipſum eſſe poſſit & debeat eſſe: Dei propria & genuina natura eſt eſſe, adeóque exiſtere.

§ II. *Explicatur magis in quo conſiſtat illud eſſe ſimpliciter, per quod natura divina conſtituitur.*

DIvus Thom. ait Deum eſſe ſuum eſſe hoc ſenſu, quòd in eo eſſentia ab exiſtentia non diſtinguatur, ſed idem planè ſint; in creaturis autem eſſentia ab exiſtentia diſtinguatur. Duo quippe principia ſtatuit. Primum quidem, quòd omnis res creata, etiam ſpiritalis, ex eſſentia & eſſe tanquam ex potentia & actu componatur. Nam lib 1. de ente & eſſentia docet ſubſtantias ſeparatas compori ex forma & eſſe, vbi per nomen formæ eſſentiam ſimplicem intelligit, & τὸ eſſe ſumit vt participium, prout actum exiſtendi ſonat, non vt nomen: quo ſenſu rei eſſentiam ſignificat. Secundum principium illius eſt, quòd omne eſſe irreceptum in alio, ſit infinitum ſimpliciter in omni genere entis: ex quo principio infert omnem creaturam ex eſſentia & eſſe componi. Sic lib. 2. contra Gentiles cap. 52. probat in omni creatura eſſentiam & eſſe, hoc eſt, exiſtentiam diſtingui inter ſe: quia ſi eſſent idem, ſequeretur creaturam non habere eſſe receptum, ac proinde habere eſſe purum, id eſt, non potentiæ admixtum, itaque illimitatum & infinitum", quoniam creatura nihil haberet, quo ejus eſſe ſeu ratio entis in illa reſtringeretur. Quin etiam ex his duobus principiis probat eſſentiam Dei in hoc eſſe ſitam, quòd ſit ſuum eſſe, quòd ſit purum eſſe, ſeu actus purus & ens per eſſentiam; hæc enim apud D. Thomam idem ſignificant. Audi ipſum

1. part. qu. 7. a. 1. *Cùm eſſe divinum non ſit eſſe receptum in aliquo, ſed ipſe Deus ſit ſuum eſſe ſubſiſtens; infinitus & perfectus eſt.* At

Quoniam hæc principia, licèt à D. Thoma ſolerter excogitata ſint, pluribus, iiſque graviſſimis difficultatibus patent; ego aliam viam illius mentis explicandæ haud paulò commodiorem & Theologiæ naturali magis congruam ineo: quare ſit

UNICA ASSERTIO. Dei eſſentia in eo ſita eſt, quòd ſit ens nullum habens cum non ente commercium, ſed per ſe primò ſit non enti ſecundùm omnem latitudinem accepto oppoſitum: itaque Dei eſſe ſimpliciter ſic interpretor, quòd ſit purum ens, adeóque nihil habeat aut habere poſſit oppoſiti, id eſt, non entis, ſeu quòd omnem entis perfectionem in ſua entitate ſimpliciſſima contineat, adeóque formaliter opponatur omni non enti. Sive ergo eſſe receptum in alio, ſit vnica ratio participandi non entis, ſive plures aliæ ſint, quibus res creatæ cum nihilo communicare poſſint, hîc non diſcutio, ſed ex eo tantùm divinam eſſentiam repeto, quòd ipſum eſſe Dei primò & per ſe oppoſitum ſit non enti, & quidem omni.

Probatur aſſertio ſic explicata 1. ex loco Exodi jam citato & communi ſanctorum Patrum interpretatione, quos obſervat doctiſſimus Petavius tom. 1. Theol. dogm. cap. 6. nomen entis, quo Deus ſimpliciter & ſine addito appellatur, vſurpaſſe, prout ſignificat plenitudinem eſſendi per receſſum ab omni latitudine non entis.

Præit omnibus Dionyſius de div. nom. cap. 5. *Deus non quodammodo eſt ens, ſed ſimpliciter &*

incircumſcriptè, totum in ſe eſſe complectens atque occupans. Dionyſio ſuffragantur Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. c. 12. vbi ait Deum idcirco ſibi nomen entis vendicare, quòd habeat eſſe velut quoddam eſſentiæ pelagus infinitum & interminatum. *Totum*, inquit, *in ſe ipſo comprehendens, habet eſſe velut quoddam eſſentiæ pelagus, infinitum & interminatum.* Auguſtinus, qui nomen entis, vt Deo convenit, per oppoſitionem cum non ente explicat, imprimis tractatu in hunc Exodi locum, *Ego ſum qui ſum* In tomo operum ſexto hanc rationem reddit, cur hoc nomen Deo propriè conveniat: *Ecce nomen incommunicabilitatis; omnia enim quæ mutantur, deſinunt eſſe quod erant, & incipiunt non eſſe quod erant: eſſe verum, eſſe ſincerum, eſſe germanum non habet, niſi qui non mutatur.* Porò mutatio eſt viciſſitudo entis & non entis; res enim in tantum mutatur, in quantum habet de non ente, vt obſervat idem Auguſtinus tract. in Pſal. 121. *Quid eſt, quod eſt? Quod æternum eſt; nam quod ſemper aliter atque aliter eſt, non eſt, quia non manet: non omnino non eſt, ſed non ſummè eſt.*

Hanc Dei genuinam definitionem non ignorarunt veteres Philoſophi, Plato, Neumenius, Plutarchus; nam Euſebius lib. 1 de præpar. Evangel. cap. 6. laudat Platonem & Neumenium, & S. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Julian. citat Plutarchum, & auctor Theologiæ ſecundùm Ægyptios lib. 4. c. 1. ait *Deum eſſe idipſum quod eſt, extra quod nihil omnino eſt.* Denique Plotinus Ennead 5. lib. 5. c. 6. & c. 13. pulcherrimè tradit: *Qui de Deo aliquid dicit, nec eſt contentus dicere, quòd Deus ſit id quod eſt, eum cuncta auferre, &*

nihil de Deo affirmare. Vides ergo natura duce, nihil prius veteres Philoſophos ipſo conceptu entis puri & ſimplicis in Deo agnoviſſe, adeóque hunc in Theologia naturali conceptum Dei primum eſſe, quod ſit ens ſimpliciter, ens purum, ens ſine omni non ente, ens oppoſitum omni non enti, ens denique in quo nihil commercii, nihil communionis cum ipſo non eſſe ſit aut eſſe poſſit.

Auctoritati accedit ratio. In eo ratio divinæ eſſentiæ conſiſtit, quod eſt primum Dei prædicatum, & ex quo tanquam ex prima radice cætera prædicata divina, vt divina ſunt, à nobis fluere concipiuntur: ex ratione eſſendi ſimpliciter, vt opponitur omni non enti, eſt primum Dei prædicatum, & ex eo cætera prædicata divina, vt divina ſunt, fluere à nobis concipiuntur: ergo ratio eſſendi ſimpliciter, vt opponitur non enti, divinam eſſentiam conſtituit. Probatur minoris prima pars: nihil prius novit natura in Deo ipſo eſſe puro ſeu ipſo eſſe, vt opponitur omni non enti: ergo eſt primum Dei prædicatum. Probatur ſecunda inductione: prædicata Dei tum abſoluta ſive incommunicabilia, ſive rebus creatis communicabilia ex hac ratione entis puri fluunt: ergo reliqua prædicata ex ipſo eſſe Dei fluunt.

Incommunicabilia quidem, cujuſmodi ſunt ens à ſe, ens per eſſentiam, ens neceſſarium, primum principium, finis vltimus, & infinitas in omni perfectione ex hac radice fluunt; nam ex eo quòd Deus ſit ens oppoſitum omni non enti, rectè infertur eſſe ens à ſe; niſi enim eſſet ens à ſe, origo ejus eſſet ex non ente, nam à non eſſe ad eſſe traheretur. Certè nihil vetat ens ab alio

poſſe concipi cum negatione exiſtentiæ ſine vlla contradictione: ergo quod nihil habet non entis in ſuo conceptu, non debet eſſe ens ab alio. Ratio itaque virtualis cognoſcendi velut à priori, cur Deus ſit ens à ſe, hæc eſt quòd habeat exiſtentiam per ſe primò oppoſitam non enti. 2. Rectè quoque infertur, quòd ſit ens per eſſentiam, id eſt, de cujus eſſentia ſit actualis exiſtentia, niſi enim haberet exiſtentiam intra eſſentiam poſitam, accideret exiſtentia eſſentiæ divinæ, & ita poſſet eſſe & non eſſe, adeóque eſſet non enti obnoxia. 3. Deus vt ſit actus purus, duo requirit, 1. vt ſit ſimplex entitas omniſque expers compoſitionis; deinde vt per ſimpliciſſimam entitatem ſit id omne quod eſt, id eſt, ſua eſſentia, ſua exiſtentia, ſua virtus agendi & ſua actio: at poſita ſemel in Deo omnimoda repugnantia cum non ente, Deus non indiget acceſſione partium, ad conſtituendam vel eſſentiam vel exiſtentiam, vel potentiam agendi, vel actionem: ſed ſibi ſufficientiſſimus eſt, & intra ſuum eſſe ſimplex hæc omnia invenit. Rectè itaque D. Athanaſius oratione contra idola: *Deus qui eſt ipſa eſſentia, nullis partibus coaleſcit, quapropter & ejus ratio ipſum eſſe eſt.* Deinde niſi Deus eſſet ſua operatio immanens, aliquam negationem haberet, nempe operationis. 4. Deus eſt ens ſummè neceſſarium, quia non habet eſſe contingens: non habet autem eſſe contingens, quia primò & per ſe opponitur non enti; contingens autem id dicitur quod poteſt eſſe & non eſſe, adeóque ſubjacet non enti. 5. Nihil opponitur omni non enti præter Deum: ergo debet eſſe reliqui entis principium. 6. Omni non enti Deus opponitur: ergo

nihil eſt quod vltra ipſum poſſit eſſe appetibile? ergo vnus rationem finis vltimi obtinet. 7. Eſt ens illimitatum ſimpliciter, quia limitatio vnius entis fit per negationem alterius entis: quare & id omne quod limitatum eſt, eſt partim ens, partim non ens. 8. Infinitum ſimpliciter, quia ens purum idem eſt quod omne ens: omne autem ens idem eſt quod infinitum.

Communicabilia autem prædicata ex eodem fonte promanant; nam 1. Deus dicitur ſimpliciter perfectus, quia eſt ens cujus eſſentia eſt eſſe ſimpliciter oppoſitum omni non enti: ſic enim in ſe continet omnem plenitudinem entis: quare nihil illi deeſt, nullius rei indiget, ſibique ſufficientiſſimus eſt. 2. Dicitur ſummè bonus, quia ens & bonum convertuntur: ergo ſi Deus eſt per eſſentiam omne ens, eſt quoque per eſſentiam omne bonum: eſt autem ens per eſſentiam, quia pro eſſentia habet eſſe ſimpliciter modo à nobis explicato, &c. Hinc D. Bonaventura exclamat in Itinerario c.5. Es igitur, ô Domine Deus meus, ipſum eſſe puriſſimum, & ſimpliciſſimum & actualiſſimum. Eſſe omnimode primum & à nullo acceptum, quod de nihilo nec ab alio eſſe potes. Nam quid, rogo, eſſet per ſe, ſi tu qui es ipſum eſſe, non eſſes per te & à te? Es ipſum eſſe carens omnino non eſſe, ac proinde nunquam incipiens, nunquam deſinens eſſe. Es eſſe nihil in ſe habens niſi quod eſt eſſe, ac proinde cum nullo compoſitum, ſed ſimpliciſſimum. Es eſſe nihil habens poſſibilitatis, quia ſic haberes aliquid de non eſſe, atque adeo es eſſe ſummè actualiſſimum. Es eſſe nihil participans defectus aut diverſitatis, & ideo ens perfectiſſimum & vnum.

Porrò vt naturæ divinæ dotes faciliùs explicent quidam Theologi, ipſas per oppoſitionem cum non ente ſic explicant.

I. Abyſſus non entis nec habet, nec habere eſſe poteſt; quî enim non ens ens fieri poſſit? abyſſus entis eſt id omne quod eſt, adeóque non poteſt non eſſe; hinc attributum illius incommunicabile, quòd ſit actus purus, ens ſimpliciter neceſſarium; creatura autem plus habet de potentia quàm de actu, & eſt contingens.

II. Non ſolum non ens non eſt, ſed etiam nunquam fuit, nec potuit eſſe: Deus ſemper fuit, ſemperque erit, ideóque æternitas ex eſſentia tanquam ex radice fluit; nihil quippe competentius æternitati quæ Deus eſt, quàm qui eſt. Bern. lib 5. de Conſid.

III. Nihilum cùm non ſit, locum occupare non poteſt; ſi enim alicubi eſſet, vtique aliquid eſſet: Deus cùm ſit omnia, vbique eſſe debet, & omnia replere; en origo immenſitatis.

IV. Nihili nulla eſt potentia; vt enim agere ſupponit poſſe, ita poſſe naturam realem ſupponit, cujus potentia ſit: Deus cùm ſit ens ſupremum, eſt quoque ſummè potens, adeóque cauſa omnium entium. Meritò itaque D. Thomas pronuntiat 1 part. q. 8. a. 1. cùm Deus ſit ipſum eſſe, oportet quòd eſſe creatum ſit proprius effectus ejus; & in hoc eſt etiam potentia illius infinita, quòd plures & plures effectus ſe ſe in eſſentiali perfectione ſuperantes, vt cauſa principalis per creationem producere poſſit.

V. Cæcitas oculi, ſurditas auditûs, tenebræ aëri offuſæ, diſtinctæ ſunt privationes, quæ ab oculo viſionem, auditum ab aure, lumen ab aëre

excludunt: nihilum verò negatio vniverſalis quædam eſt, & ſimplex non eſſe, quod excludit omnia entia: eſſentia divina ens ſimpliciſſimum, quod eminenter & citra compoſitionem omnia entia tum actualia, tum poſſibilia complectitur; en ſuprema Dei ſimplicitas, quâ eſt adeo ſimplex, vt nihil ei adimi poſſit; adeo plenus, vt nihil adjici poſſit; non enim fit plenus ex coacervatione rerum; ex ſe & per ſe plenus eſt, ſicut ex ſe & per ſe Deus eſt.

VI. Nihilum & accretionis & decretionis incapax; Deus quoque cùm ſit ens ſupremum ſine omni non ente, nihil ipſi accedere de novo, nihil adimi poteſt, & ita eſt immutabilis.

VII. Quod non eſt, nullius eſt bonitatis capax, quare nec ſe communicare poteſt: Deus ens ſummum cùm ſit & ſimpliciter ens, ſummè quòque bonum eſt: igitur ſui ſummè diffuſivum; hinc eſſentia divina pelago comparatur, ex quo effluunt, & in quod refluunt omnia, &c.

Colliges 1. ex dictis, dum Deus definitur ens purum, ens habere quaſi rationem generis, purum autem eſſe inſtar differentiæ. Dixi quaſi generis, nam non datur perfectum genus reſpectu Dei & creaturarum, ſed tantùm genus imperfectum, hoc eſt, analogum.

Colliges 2. ex definitione Dei, nihil imperfectionis in eo eſſe, quia id quod eſt ens purum, ſeu ens oppoſitum omni non enti, habet plenitudinem omnium perfectionum, &c. ergo nullam habet imperfectionem. Ineſt enim alicui imperfectio, quatenus caret aliqua perfectione; caret autem aliqua perfectione, quatenus habet aliquid de non ente, vt obſervat D. Thomas lib. 3.

contra Gent. c. 28. *Sicut autem omnis nobilitas & perfectio ineſt ei ſecundùm quod eſt : ita omnis defectus ineſt ei ſecundùm quod aliqualiter non eſt ; Deus autem ſicut habet eſſe totaliter, ita ab ea abſiſtit totaliter non eſſe : à Deo ergo omnis defectus abſiſtit.*

Colliges 3. Quamvis Deus dicatur eſſe purum ens, & omne ens formaliter aut eminenter, malè tamen inde inferri, nihil eſſe præter Deum, quia nihil eſt præter omne ens. Ratio eſt, quia Deus eſt omne ens per continentiam cauſalem atque eminentialem; quare hæc propoſitio, *Nihil eſt præter omne ens*, falſa eſt de ente omni per continentiam cauſalem atque eminentialem, licèt vera ſit de ente omni ſeu vniverſali per prædicationem.

Colliges 4. Deum ita eſſe ipſum eſſe, vt nihil penitus habeat de non eſſe nec actu, nec potentiâ, nec ſecundùm veritatem, nec ſecundùm apprehenſionem noſtram, quia ſicut impoſſibile eſt cogitare quòd lux ſit tenebra, quia jam non cogitaremus lucem : ſic impoſſibile eſt cogitare quòd Deus, qui eſt omne eſſe & ipſum eſſe, non ſit.

§. III. *Diluuntur objecta.*

OBJICIES 1. Ratio conſtitutiva divinæ eſſentiæ poſitiva eſſe debet : at ratio puri entis negativa eſt, cùm intelligi non poſſit ſine non ente : ergo, &c.

Reſp. diſtinguo minorem : eſt negativa verbo tenus, concedo ; reipsâ, nego ; ſignificat enim plenitudinem eſſendi, ens illimitatum & infinitum in omni genere perfectionis ; hinc ita licet voces Exodi, *Ego ſum qui ſum*, interpretari.

Quid brevius, *ſum, es?* ſed quid longius, quid plenius, quid mirabilius? Tu namque es ipſum eſſe, ſeu ipſum ens, non contractum, non limitatum, non circumſcriptum, omne eſſe continens, & omne non eſſe ac nihil excludens.

Inſtabis 1. Deus habet vt ſit ens per ſe primò per eſſe irreceptum: ergo eſſe ens per ſe primò oppoſitum non enti, non eſt id quod eſt primò in Deo.

Reſp. nego ant. Sed id habet ex ſe ipſo formaliter; ideo enim eſt ens pugnans cum omni non ente, quia eſt ejus eſſentia, nihilque prius eſt, per quod probetur, licèt à poſteriori probari hac ratione poſſit per viam excellentiæ, gradatim ad Deum aſcendendo: vbi multa reperiuntur quæ plus minuſve perfectionem aliquam participant, veniendum eſt ad aliquod ens, quod per ſe primò perfectionem illam poſſideat: creaturæ plus minuſve aliæ aliis cum non ente participant: ergo veniendum eſt ad ens, quod primò & per ſe ſummè hanc oppoſitionem contineat: at ens ſine omni non ente tale eſt: ergo datur ens ſine omni non ente, ſeu ens purum, quod eſt Deus.

Inſtabis 2. Quod principium rem conſtituit, eandem ab omni alia diſtinguit: eſſe ſimpliciter non diſtinguit eſſentiam divinam ab omni alio ente; nam ex Ariſtotele ſubſtantia creata eſt ens ſimpliciter: ergo eſſe ſimpliciter non diſtinguit eſſentiam divinam ab omni alio ente.

Reſp. conceſſa majore, nego minorem; ad probationem illius, diſtinguo: ſubſtantia creata eſt ens ſimpliciter, vt opponitur alicui non enti, nempe accidenti, concedo; vt opponitur omni non enti, nego; Deus autem dicitur ens ſim-

pliciter, quia opponitur omni non enti.

Inſtabis 3. Ens purum non poteſt ſecernere eſſentiam divinam ab attributis, quia quodlibet attributum eſt ens ſimpliciter: ergo non poteſt ingredi definitionem Dei.

Reſp. nego ant. Ad probationem diſtinguo: quodlibet attributum eſt ens ſimpliciter, cum addito, conc. ſine addito, nego; nam ſapientia habet ſuum eſſe tale in ſuo ordine ſimpliciter infinitum: at non habet eſſe ſimpliciter ſine addito, incluſum in ſuo conceptu objectivo.

Objicies 2. Deus definiri non poteſt, quia quod definitur, à mente definiente comprehenditur: 2. ſuis veluti terminis finitur, & verbis explicatur: Deus eſt incomprehenſibilis ab homine, infinitus & ineffabilis: ergo non poteſt definiri.

Reſp. diſt. Deus definiri non poteſt, definitione ſtricta & propriè dicta, concedo; lata ſeu imperfecta & impropriè dicta, nego: nempe definitio quam tradimus, ſignificat rationem entis quæ eſt in Deo, & modum quo ratio entis habetur à Deo; & ita definitio illa eſt lata & impropriè dicta.

Inſtabis 1. Quidquid definitur, conſtat genere & differentia: in Deo nec genus eſt, nec differentia: ergo non poteſt definiri.

Reſp. Sicut Deus definitur imperfectè, ita genus habet latè ſumptum, & differentiam impropriè dictam. Certè ſi ſtrictè genus in Deo foret, eſſet in eo potentia paſſiva: at quælibet potentia paſſiva repugnat ſimplicitati divinæ.

Inſtabis 2. Illud potentiale eſt tantùm quid logicum aut metaphyſicum: at potentiale logicum & metaphyſicum non includit imperfectionem: ergo, &c.

Reſp. nego minorem ; nam potentiale metaphyſicum illud in phyſico fundatur, & naturam perfectibilem ſequitur, & logicum rem cum fundamento ab ipſa petito repræſentat, adeóque includit potentiam paſſivam, quæ cum actu puriſſimo ſtare non poteſt ; hinc Cyrillus Alexandrinus dial. 2. de Trinit. rationem generis à Deo excludit : *Quandoquidem*, inquit, *nulla res cum ipſo eſt, & ante ipſum eſt.* quæ verba magnum ſenſum habent, quia res omnes quæ genere propriè dicto conſtant, ſemper habent aliquid ſe prius, nempe gradum genericum, qui eſt vniverſalior, & aliquid concomitans & ad latus ſibi aſſidens, nempe ſpeciem : itaque nihil eſt Deo commune vnivocè cum creatura, ſed tantùm analogicè & per attributionem ad Deum, qui ſtatim in ipſo entis limine ac veſtibulo, hoc eſt, in tranſſcendentali gradu entis ab omni ente diſpeſcitur, ac proinde nihil in cæteris gradibus, qui minùs latè patent, commune habet, ſed ſe toto diverſum eſt. Vide Tom. 1. Logicæ part. 3. diſp. 1. art. 3. §. 2. vbi hanc quæſtionem ſubtilius diſcuſſimus, & quæ objici poſſunt argumenta, ſolvimus.

Objicies 3. Si eſſentia divina eſt id quod per ſe primò opponitur omni non enti : infinitas erit de primario Dei conceptu ; per eam enim opponitur omni non enti, & quidem formaliter : infinitas eſt tantùm proprietas Dei : ergo, &c.

Reſp. duplicem in Deo diſtingui infinitatem. Prima eſt infinitas eſſendi ſimpliciter, id eſt, carendi finibus eſſentiæ, quæ plenitudo eſſendi dicitur. Secunda eſt infinitas eſſendi hoc aut illo modo, v. g. carendi finibus quantitatis aut qua-

litatis : illa eſt de conceptu eſſentiali Dei, non iſta quæ eſſentiam ſupponit.

Objicies 4. Omnia attributa debent ingredi conceptum eſſentiæ divinæ, ſi eſſentia Dei ſit ens ſine omni non ente : attributa non ingrediuntur eſſentiæ divinæ conceptum : ergo eſſentia divina non eſt ens ſine omni non ente.

Reſp. nego minorem ; nam attributa, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſunt de conceptu eſſentiæ divinæ ſaltem implicitè, quia ens ſine omni non ente omnem plenitudinem eſſendi complectitur, nullamque perfectionem ſimpliciter ſimplicem excludit : quæ doctrina eſt SS. Patrum, dum paſſim inculcant ſapientiam, juſtitiam aliáſque perfectiones ſimpliciter ſimplices de Deo οὐσιωδῶς, ſeu in quid prædicari. Ingrediuntur enim rationem formalem eſſentiæ divinæ, detracta tamen imperfectione partis, ſicut animalitas & rationalitas ingrediuntur conceptum humanitatis, quæ eſt forma totius metaphyſici : itaque eſſentia divina concipienda eſt, non vt forma partis, nam forma partis eſt differentia, Deus autem non conſtat genere & differentia, ſed vt forma totius, quia omnes perfectiones Dei ſimpliciter ſimplices conceptu implicito includit ; forma enim totius vno conceptu implicito omnes eſſentiæ partes complectitur : ſic humanitas animalitatem & rationalitatem conceptu ſuo implicitè includit ; forma autem partis vnicam eſſentiæ partem includit, v. g. rationale rationalitatem includit, prætereа nihil.

Objicies 5. Puritas entis eſt ratio tranſcendens communis reſpectu eſſentiæ divinæ & attributorum : ergo quamvis eſſentiam divinam diſtin-

guat à creatura, tamen non ſatis diſtinguit ab attributis.

Reſp. nego ant. Nam cùm ſit purum ens, vtique diſtinguitur à creatura, quæ eſt ens admixtum non enti; deinde quatenus eſt ens ſimpliciter & ſine addito, hoc eſt, ſubſtantia includens omnes perfectiones cogitabiles & poſſibiles, ſatis ab attributis diſtinguitur, quæ à nobis tanquam qualitates & additamenta eſſentiæ concipiuntur.

Objicies 6. Dum Deus dicitur ens oppoſitum omni non enti, ſenſus eſt, quod ens ſit ens, quia negatio non entis eſt idem quod ipſum ens.

Reſp. licèt idem ſit in re, non eſt tamen idem in conceptu; negatio enim quæ non ſubſiſtit à parte rei, ſubſiſtit in intellectu per ſui conceptum.

Objicies 7. Ex conceptu entis ſine omni non ente, non rectè inferuntur omnia Dei attributa lumine naturæ nota: aut ſi rectè inferuntur, etiam trinitas Perſonarum rectè infertur, & ita lumine naturali cognoſci poteſt. Cùm enim Deus ſit omne ens ſine omni non ente, vtique habet omnem perfectionem poſſibilem: ergo perfectionem vnitatis & multitudinis ſubſtantialis; in Deo enim nihil eſt niſi ſubſtantiale: ergo habet vnitatem naturæ & multitudinem perſonarum.

Reſp. ad 1. multa Dei attributa ex ratione puri entis à me eſſe jam deducta, aliáque poſtmodum ſuis locis deducenda. Certè ratio entis illimitati & infiniti rite ex hoc primario conceptu infertur; ex eſſe illimitato & infinito incomprehenſibilitas ſequitur relativè ad intellectum creatum, item & inviſibilitas relativè ad eundem intellectum, niſi lumine gloriæ corroboretur. Ad 2.

ſolutio hujus argumenti, theologici juris eſt, non philoſophici. Deinde ſi multitudo ſpectatur penes lumen naturale, videtur tantùm oriri ex imperfectione, nempe ex diviſione entis vel extenſi, vel multiplicabilis; hinc niſi fides lumen præpandat ſuum, non poteſt cognoſci multitudinem eſſe perfectionem in Deo, adeóque non implicare. Ut enim lumine naturæ non cognoſcitur quòd implicet, ita nec cognoſcitur quòd non implicet in Deo, vt obſervat ſubtilis Theologus, niſi fides accedat.

DISPUTATIO II.

De perfectionibus, ſeu attributis divinis univerſim ſpectatis.

ESSENTIÆ divinæ contemplationem excipit attributorum conſideratio, quia eam vel conſtituunt intimè, vel eidem annexa ſunt, & ex ipſa quaſi ex cauſa virtuali, ſi non immediatè, ſaltem mediatè fluere, à nobis concipiuntur.

Et quoniam attributa ſpectari poſſunt vel ſecundùm ſe, vel in ordine ad eſſentiam cui attribuuntur, vel in ordine ad ſe invicem; hinc multiplex quæſtio naſcitur: prima, quid ſit attributum & quotuplex; ſecunda, quomodo attributa ab eſſentia diſtinguantur; tertia, quomodo inter ſe differant: quarta, an attributa includantur in eſſentia, viciſſimque eſſentia in attributis,

ARTICULUS I.

Quomodo attributa divina ab eſſentia divina diſtinguantur.

QUÆSTIO commodè definiri non poteſt, niſi antè explicemus quid ſit attributum, & quotuplex : quare ſit

§. I. *Quid ſit attributum & quotuplex.*

I. ATTRIBUTUM, quod nomen Dei dicitur, vt ad primam operationem ſpectat, & per ordinem ad ſecundam, attributum vocatur, ſumitur latiſſimè, latè, ſtrictè, ſtrictiùs, ſtrictiſſimè : latiſſimè ſumitur pro iis omnibus quæ Deo tribuuntur, ſive tralatitia ſint, ſive propria : latè pro iis quæ Deo attribuuntur propriè & formaliter, ſive perſonalia ſint, vt pater & filius, ſive eſſentialia, vt bonus & juſtus : ſtrictè pro ſolis eſſentialibus, quæ lumine naturæ cognoſci poſſunt, vt bonus, juſtus : ſtrictiùs pro iis eſſentialibus, quæ ad quæſtionem, qualis eſt Deus, quomodo aut quid operetur extrinſecè, reſponderi ſolent, vt bonus, creator, conſervator: ſtrictiſſimè, pro iis quæ reſpondentur ad quæſtiones iis prædicamentis reſpondentes, quæ in creatis dicuntur categoriæ accidentales, cujuſmodi eſt quantitas, qualitas, duratio, &c. breviùs quæ reſpondent conceptui ſecundario affirmativo de creaturis.

II. Attributi latiſſimè ſumpti partitio fit in metaphoricum & proprium ; metaphoricum ſimilitu-

dinem aliquam importat Dei cum re, quæ eſt in creaturis, ideóque imperfectionem aliquam in proprio ſignificatu ſuo includit: ſic Deus dicitur pœnitens, non quòd propriè pœnitentia ſit in Deo, ſed quòd Deus pœnitenti videatur eſſe ſimilis, dum priſtinum agendi modum immutat. Proprium rem ſignificat quæ Deo formaliter convenit, ideóque in ſua formali ratione nihil imperfectionis includit: ſic Deus dicitur ſapiens, juſtus, &c.

III. Propria attributa dividuntur in negativa & poſitiva, ſeu affirmativa; negativa ſunt modi poſitivi quidem in ſe, ſed explicati per negationes modorum, quibus perfectiones conveniunt creaturis: talis eſt ſimplicitas; eſt enim modus, quo Deo ſapientia convenit ſine compoſitione, qualis eſt in creaturis, ſed per identitatem perfectam: affirmativa de Deo affirmantur, vt ſapiens, bonus. Duo monet D. Thomas circa attributa affirmativa & negativa: circa affirmativa quidem, quæ ex creaturis ſumuntur, duo monet diſtinguenda, & perfectionem quam formaliter ſignificant, & modum ſignificandi vel in concreto per modum compoſitionis, vel in abſtracto per modum formæ; quod vtrumque Deo non convenit, quia imperfectionem includit: at perfectio ſignificata Deo convenit, & quidem perfectiùs quàm creaturis. In attributis autem negativis, licèt modus ſignificandi negativus ſit, materiale ſignificatum eſt quid poſitivum, ſeu perfectio quædam poſitiva, quæ Deo convenit abſolutè ſine ordine ad imperfectiones creaturarum.

IV. Affirmativa alia tranſcendentalia, alia categorica: illa per omnia genera entium diffunduntur,

duntur, vt eſſe vnum, verum, bonum: hæc Deo cum aliquibus creaturis communia, vt juſtus, ſapiens, &c.

v. Categorica quædam ſimilia ſunt attributis ſubſtantialibus, vt ſubſiſtentia: quædam accidentalibus, quæ aliis categoriis illigantur, quæ rurſus in abſoluta, vt ſanctus, & relativa, vt creator, ſubdividuntur.

vi. Attributum definitur à nonnullis, vt ſtrictiùs ſumitur, perfectio quædam ſpecialis & abſoluta, quæ Deo convenit, & de eo affirmari poteſt. 1. Specialis dicitur, quod non ſit aliis perfectionibus communis: ſic ſapientia, amor, juſtitia ſpecialem ſibi rationem, & non aliis communem vindicant: 2. abſoluta, vt relationes divinæ excludantur: 3. quæ Deo convenit, poteſtque de eo affirmari, vt excludantur à ratione attributi quæ in Deo eminenter & virtualiter continentur, vt corpus, accidens, &c. Strictiſſimè ſumptum definitur à multis, pura perfectio, lumine naturæ nota, ſecundaria. 1. Dicitur perfectio pura, quia nihil imperfectionis habere debet annexum, ideóque definitur ab aliis perfectio ſimpliciter ſimplex, id eſt, melior ipſa quàm non ipſa: 2. lumine naturæ nota, vt excludantur perfectiones perſonales, quæ lumine fidei nobis innoteſcunt: 3. ſecundaria, quia ex ipſa eſſentia jam conſtituta concipitur à nobis quaſi proprietas fluere; hinc vocatur proprietas à Baſilio, à Cyrillo, quaſi accidens; à D. Damaſceno circunſtans eſſentiam, quód eſſentiæ jam conſtitutæ in ſuo eſſe objectivo advenire concipiatur à nobis.

vii. D. Thomas aliàm attributorum ſeriem

inſtituit 1. part. ſub init. q. 14. & in duas ſpecies diſtinguit, nempe in attributa quæ ad ſubſtantiam Dei pertinent, & ea quæ pertinent ad operationem. Rurſus quæ ſpectant ad Dei ſubſtantiam, vel ſunt propria Dei, quatenus eſt ens, nempe vnitas, veritas, bonitas; vel ſunt propria, quatenus eſt ſubſtantia à ſe, vt æternitas, immenſitas, &c. Quæ pertinent ad operationem, vel ſpectant operationem internam, vt intellectio & volitio: vel operationem externam attinent, vt omnipotentia. Sed exactam attributorum partitionem Theologis examinandam relinquimus.

Porrò dum agitur de diſtinctione attributorum ab eſſentia aut à ſe invicem, quæſtio inſtitui poteſt vel de diſtinctione reali, vel de diſtinctione formali & ex natura rei, vel de diſtinctione virtuali: quare ſit

§. II. *An attributa divina diſtinguantur realiter ab eſſentia aut inter ſe.*

I. ASSERTIO. ATTRIBUTA divina abſoluta non diſtinguuntur realiter ab eſſentia. Probatur 1. auctoritate Concilii Toletani IX. cujus hoc eſt pronuntiatum ſolenne: *In divinis omnia ſunt vnum, niſi vbi obviat oppoſitio relativa:* at omnia non eſſent vnum & idem realiter in Deo, ſi attributa divina abſoluta diſtinguerentur realiter ab eſſentia divina: ergo attributa divina abſoluta ab eſſentia divina non diſtinguuntur realiter. 2. Auguſtini lib. 15. de Trinit. cap. 5. Non ita eſt, inquit, in illa ineffabili ſimplicique natura. Quidquid enim ſecundùm qualita-

tes illic dici videtur, ſecundùm ſubſtantiam vel eſſentiam eſt intelligendum. Abſit enim vt ſpiritus ſecundùm ſubſtantiam dicatur Deus, & bonus ſecundùm qualitatem; ſed vtrumque ſecundùm ſubſtantiam, vt Deus non foret bonus ſecundùm ſubſtantiam, ſi attributa realiter ab eſſentia diſtinguerentur. Certè nemo dixerit parietem eſſe album ſecundùm ſubſtantiam, nec ignem eſſe calidum ſecundùm ſubſtantiam, quia albedo à pariete & calor ab igne realiter diſtinguuntur.

Probatur ratione ſic: In Deo non eſt diſtinctio realis actu aut potentiâ attributorum abſolutorum ab eſſentia: ergo nulla. Probatur antecedens: vtraque diſtinctio repugnat ſummæ Dei ſimplicitati ac perfectioni: ergo non datur in Deo diſtinctio realis attributorum ab eſſentia actu aut potentiâ.

Quod pugnet ſummæ Dei ſimplicitati, patet, quia ratio ſummæ Dei ſimplicitatis id exigit, vt nihil habere poſſit, quod poſſit amittere, vel aliud ſit habens & aliud quod habet, vt loquitur Auguſtinus lib. 11. de civit. c. 10. at poſita diſtinctione reali attributorum ab eſſentia actu aut potentiâ, eſſentia eſt aliud ab eo quod habet, actu vel potentiâ, quia effectus formalis diſtinctionis eſt efficere, vt vnum non ſit aliud actu realiter, ſi realis & actualis ſit: vel non ſit aliud potentiâ, ſi ſit realis & potentialis, qualis inter partes continui intercedit: ergo, &c.

Quòd ſummæ Dei perfectioni officiat, in promptu quoque eſt, tum quia quælibet pars diſtincta ab altera, quarum vna habeat carentiam perfectionis in altera contentæ, dicit im-

perfectionem, quæ enti infinitè perfecto convenire non poteſt: tum quia natura ſummè perfecta, eſt ea, quâ nihil melius aut ſublimius cogitari poteſt: poſitâ autem diſtinctione reali attributorum ab eſſentia, natura divina non erit id quo melius aut ſublimius aliquid cogitari non poſſit; nam per attributa perficietur intrinſecè actu, quia ea inſtar formarum in ſe recipiet, atque adeo perinde ab iis perficietur, atque ignis à calore, & anima à ſapientia perficitur. Et verò quæro ab adverſariis, an natura divina juncta cum attributis ſit aliquid melius, quàm cùm ſola eſt. Meliorem eſſe non negabunt, cùm attributis conjuncta eſt, quàm cùm ſola, quia melior eſt natura ſapiens & juſta, quàm natura non ſapiens & non juſta: ergo natura divina ſecundùm ſe non eſt id quo nihil melius & ſublimius cogitari poteſt, ſiquidem juncta cum attributis melius quiddam erit ac ſublimius. Meritò itaque D. Bernardus ſerm. 80. in Cantica pronuntiat: *Sola, ſumma & increata natura, quæ eſt Trinitas Deus, hanc ſibi vindicat meram ſingularemque eſſentiæ ſimplicitatem, vt non aliud & aliud, non alibi & alibi, ſed ne modò quidem, & modò inveniatur in ea: nempe in ſemet manens, quod habet eſt, & quod eſt, ſemper & vno modo eſt in ea, & multa in vnum & diverſa in idem rediguntur, vt nec numeroſitate rerum ſumat pluralitatem, nec alterationem de variatione ſentiat.* Et infrà: *Iam de magnitudine, bonitate, juſtitia, ſapientiaque idem per omnia, quod de divinitate ſentimus, vnum in Deo ſunt & cum Deo. Nec aliunde bonus, quàm vnde magnus: nec aliunde juſtus aut ſapiens, quàm vnde magnus & bonus: nec aliunde denique ſimul hæc omnia eſt*

quàm vnde Deus, & hoc quoque nonniſi ſe ipſo.

Idem eſto judicium de relationibus divinis per ordinem ad eſſentiam; eas enim eſſentia divina ſibi identificat ob ſummam ſimplicitatem, quæ id exigit, vt omnia in Deo ſint vnum, vbi non obviat oppoſitio relativa: at naturam inter & perſonalitates non eſt oppoſitio relativa; pater enim opponitur relativè filio, non naturæ divinæ, cùm Deus ipſe ſit peræquè ac filius. Id ipſum patet Joannis 10. *Ego & Pater vnum ſumus*; & Auguſtini lib. 7. de Trin. cap. 6. *Non eſt aliud Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omnino idem*, nempe realiter.

II. Assertio. Attributa abſoluta non diſtinguuntur realiter inter ſe. Probatur: admittenda eſt diſtinctio in Deo quàm fieri poteſt minima, quia ratio ſimplicitatis id poſtulat: nulla eſt neceſſitas admittendæ diſtinctionis realis inter attributa divina: ergo nulla admitti debet. Minor probatur: ſi quæ eſſet neceſſitas admittendæ diſtinctionis realis inter attributa Dei abſoluta, maximè oppoſitio quæ inter illa eſſet, nulla eſt oppoſitio inter ea; nec enim ſibi invicem opponuntur ſicut producens & productum; quid enim habet ſapientia, quo pugnet relativè cum omnipotentia aut immenſitate?

Confirmatur aſſertio: Quæ diviſa ſunt in inferioribus, vniuntur in ſuperioribus, quia melior eſt vnitas diviſione; melior autem eſt, quia facit magis vnum; facit autem magis vnum, quia facit magis indiviſum; hinc ſenſus communis qui ſuperior eſt aliis ſenſibus, colligit in ſe eorum vires, ſaniúſque eorum objecta dijudicat: intellectûs adhuc multò exquiſitius certiuſque, quàm

ſenſus communis judicium, ipſiſque ſenſuum tum externorum, tum internorum judiciis æquivalet: ergo Deus potiori jure in vnitate ſimpliciſſima eſſentiæ ſuæ perfectiones omnes quæ in rebus creatis diſperſæ ſunt, complectitur & colligit: vnde à D. Bernardo *vniſſimus* dicitur.

Rationi SS. Patrum auctoritas ſuffragatur, qui vno conſenſu attributorum identitatem inter ſe & cum eſſentia aſtruunt tanquam ſimplicitatis divinæ conciliatricem & cuſtodem. Audi Auguſtinum lib. 6. de Trin. cap. 6. & 7. *Deus multipliciter dicitur, quatenus dicitur magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur; ſed eadem magnitudo ejus eſt, quæ ſapientia; non enim mole magnus eſt, ſed virtute, & eadem bonitas, quæ ſapientia & magnitudo, & eadem vnitas quæ illi omnia.* Hic locus, vt vides, probat vnum attributum eſſe alterum, ſi non formaliter, ſaltem realiter & identicè.

Objicies: Inter illa attributa datur diſtinctio realis, quorum vni convenit aliquod prædicatum, quod non convenit alteri, ſed de illo verè negatur: vni attributo convenit prædicatum, quod non convenit alteri, ſed de eo potiùs negatur; nam miſericordia miſeretur, non punit: juſtitia punit, non miſeretur, &c.

Reſp. nego majorem; ſed ſufficit diſtinctio virtualis, & fœcunditas ſubjecti objectivarum præciſionum, vt res eadem indiviſa realiter, id ipſum præſtare poſſit quod præſtant duo realiter diſtincta, vt mox probabimus.

III. Assertio. Datur diſtinctio realis inter attributa relativa: putà inter perſonas divinas, quæ diſtinctio non officit ſimplicitati di-

vinæ. Duæ ſunt partes aſſertionis.

Probatur prima : Inter eas perfectiones datur diſtinctio realis, inter quas eſt oppoſitio relativa : inter perſonas divinas datur oppoſitio relativa, nempe generantis & geniti, producentis & producti, ſpirantis & ſpirati : ergo datur diſtinctio realis inter attributa relativa.

Probatur ſecunda : Attributa relativa, cùm re idem planè ſint cum eſſentia divina, reducuntur in naturam ſimpliciſſimam & vniuſmodi per viam identitatis, citra vllam compoſitionem realem. Egreſſum quippe habent quemdam perſonæ divinæ per divinas proceſſiones, juxta illud Joan. 16. *Exivi à Patre*, vbi per τὸ *exivi*, generatio Verbi exprimitur : at perſonæ ita egreſſæ redeunt in vnitatem cum natura per vinculum identificationis; hinc intelliges D. Auguſtinum, dum ait ſerm. 189. de tempore, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum non dividi in divinitate, ſed in perſonarum qualitate; dividi in proprietatibus, ſed natura ſociari : & D. Dionyſium, cùm ait de divin. nomin. cap. 2. in divinis amores dominari & præire diviſionibus, & ea quæ diſcreta ſunt in divinis, non eſſe minùs vnita quàm ante diviſionem irrecedentem ab vnitate.

Objicies : Dummodo attributa re idem ſint cum natura divina, diſtinctio eorum realis ab invicem non officiet divinæ ſimplicitati : ergo verè diſtinguuntur realiter inter ſe. Probatur ant. diſtinctio realis, quæ eſt inter perſonas divinas, non officit ſimplicitati divinæ, quia ſunt idem cum natura divina : ergo à pari diſtinctio realis inter attributa abſoluta non officit Dei ſimplicitati, ſiquidem eſſentiæ identificantur.

Reſp. nego ant. Ad probationem, diſpar ratio eſt, quòd relationes divinæ, quamvis realiter idem ſint cum natura divina, non pertineant ad eſſentialem illius conſtitutionem, vt divina eſt; contrà verò attributa abſoluta ad conſtitutionem Dei, vt Deus eſt, pertineant: at ſumma ſimplicitas Dei exigit, vt quæcunque Deus includit, quâ Deus eſt, ſummè vnum ſint ac ſimpliciſſimum propter ſummam identitatem eorum quæ ad Dei, vt Deus eſt, conſtitutionem pertinent.

ARTICULUS II.

An attributa diſtinguantur formaliter & ex natura rei, an tantùm virtualiter aut ſola ratione.

QUID diſcrepantiæ ſit formalem inter & virtualem diſtinctionem, fusè explicuimus tom. 1. Logic. part. 2. diſp. 1. a. 1. §. 1. vbi varios diſtinctionis modos definivimus: quare ne actum hîc agere videamur, de iis plura dicere ſuperſedeo, vt ad rem veniam.

§. I. *An detur diſtinctio formalis & ex natura rei inter eſſentiam & attributa abſoluta.*

I. ASSERTIO. ATTRIBUTA abſoluta formaliter & ex natura rei ab eſſentia & inter ſe non diſtinguuntur. Ita vterque Suares.

Probatur 1. Diſtinctio formalis & ex natura rei vel nulla eſt, vel realis eſt: diſtinctionem eſſentiæ ab attributis, aut attributorum ab invicem realem nullam eſſe confecimus articulo 1. ergo nulla eſt. Probatur major: duo ad diſtinctionem realem requiruntur; primum, vt ſit à parte rei: ſecundum, vt ante omnem operam intellectus, vnum non ſit aliud: diſtinctio formalis & ex natura rei talis eſt: ergo vel realis eſt, vel nulla. Suam huic argumento vim ac robur aſſeruimus tom. 1. Logic. part. 2. a. 1. §. 2. locum conſule.

Probatur 2. Illa diſtinctio non eſt admittenda in Deo, quæ officit ſimplicitati divinæ: diſtinctio formalis & ex natura rei attributorum ab eſſentia aut à ſe invicem officit ſimplicitati divinæ: ergo non eſt admittenda. Major certa eſt, probatur minor: diſtinctio formalis & ex natura rei inducit compoſitionem veram inter eſſentiam & attributa divina tanquam inter partes: ergo officit ſimplicitati divinæ. Probatur ant. ibi eſt vera compoſitio partium, vbi plura vnita coaleſcunt in vnum totum: in Deo plura vnita coaleſcerent in vnum totum: ergo eſſet vera compoſitio eſſentiæ cum attributis, & attributorum inter ſe. Probatur minor: attributa divina ſunt à parte rei, & non ſunt nihil; & aliunde vniuntur eſſentiæ, nec enim ſunt extra eſſentiam, denique in vnum totum coaleſcunt: nam verè dicitur, Deus eſt ſapiens, Deus eſt juſtus.

Dices cum Scotiſtis, illam compoſitionem formalem tantùm eſſe non realem, ideóque non officere ſimplicitati divinæ. Contrà 1. illa compoſitio eſt à parte rei, & quidem nemine cogi-

tante : ergo verè realis eſt ; ſive enim cogitem, ſive non cogitem, eſſentia & attributa coeunt in vnum ; & aliunde prout ſunt diſtincta, non ſunt nihil : ergo faciunt compoſitionem realem, & ſunt res à parte rei diſtinctæ ; quod repugnat D. Dionyſio cap. 5. de divin. nom. dicenti, divinam naturam eſſe vnam, ſimplicitate omnem duplicitatem excludente ; & D. Baſilio epiſt. 80. cujus hæc verba ſunt : *Quæcunque nomina divina protuleris, vnum eſt perpetuò, quod ſignificatur.*

Confirmatur aſſertio. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & in Remenſi ſub Eugenio III. damnatus eſt error Gilberti Porretani diſtinguentis perſonalitates ab eſſentia : at non aliam admittebat diſtinctionem inter naturam & perſonas, quàm formalem & ex natura rei ; neque enim eam admittebat, in qua ſit ſeparabilitas vnius ab alio loco & tempore, aut productio vnius ab alio : ergo admiſit tantùm diſtinctionem formalem & ex natura rei : ergo vel Concilium Remenſe non damnavit Porretani opinionem ; vel fatendum eſt ideo damnaſſe, quòd diſtinctionem formalem & ex natura rei inter perſonas & naturam divinam agnoverit.

Dices ideo damnatum eſſe Gilbertum Porretanum, quòd pugnaret perſonas divinas realiter diſtingui à natura divina, & perſonas non eſſe à parte rei naturam divinam. Reſp. idipſum à Scotiſtis, ſi cohærenter loqui velint, admittendum ; nam diſtinctio ex natura rei verè realis eſt, quippe quæ à parte rei ſit, & quidem ante omnem mentis operam, licèt non ſit realis ſimpliciter ex eorum mente, ſed tantùm ſecundùm quid.

Et verò ex Scotiſtarum principiis perſona divina non eſt actu natura ante opus mentis : at id ipſum contendebat Gilbertus ; non enim volebat naturam divinam & perſonas poſſe ſeparari loco vel tempore, aut vnum ab alio produci.

Dices 2. in hoc Gilbertum à Scotiſtis diſſenſiſſe, quòd illi diſtinctionem inter formalitatem & formalitatem agnoverint tantùm, hic verò inter rem & rem.

Contrà : Diſtinctio inter rem & rem, etiam ex mente Scotiſtarum, inter ea tantùm intercedit, quæ ſeparari poſſunt loco vel tempore, aut quorum vnum poteſt ab alio produci : atqui nunquam docuit Gilbertus Porretanus, naturam divinam & perſonas ita diſtingui ante omnem mentis operam, vt ſeparari poſſint loco vel tempore, aut vnum poſſit ab alio produci : ergo Gilbertus diſtinctionem quæ eſt inter rem & rem, juxta principia Scotiſtarum, à natura Dei & perſonis excluſit, & illam quæ eſt inter formalitatem & formalitatem, duntaxat retinuit. At inquies :

Ideo Gilbertus damnatus eſt in Concilio Remenſi, quòd negaret has propoſitiones eſſe veras, Pater eſt natura divina, Pater eſt ſapientia, Deus eſt deitas ; quas Scotiſtæ veras eſſe defendunt.

Reſp. dum dicitur, Pater eſt natura divina, Pater eſt ſapientia, ejuſmodi propoſitiones vel ſumi in ſenſu identico, vel in ſenſu formali. Si ſumuntur in ſenſu formali, cùm perſonalitas quælibet formaliter & ex natura rei à natura divina ejuſque attributis diſtinguatur ex mente Scotiſtarum, vtique falſæ ſunt : nec enim in ſenſu formali Pater eſt natura divina. Si in ſenſu

identico, hæc propoſitio, v.g. *Pater eſt natura divina*, nihil aliud ſignificat ex principiis Scotiſtarum, quàm Patrem non poſſe ſeparari loco vel tempore à natura divina, nec vnum ab alio produci : at Gilbertus nunquam negavit hanc & ſimiles alias propoſitiones eſſe veras hoc poſtremo ſenſu : vnde conſequens eſt Gilbertum nihil docuiſſe in hac parte, quod à Scotiſtarum doctrina diſſentiat. Sed hæc ad Theologos remittimus.

§. II. *An attributa abſoluta diſtinguantur ab eſſentia & inter ſe ratione ratiocinante, aut ratione ratiocinata ſeu virtualiter.*

UNICA OBSERVATIO.

DISTINCTIO rationis duplex ; altera rationis ratiocinantis, altera rationis ratiocinatæ. Illa fit ab ntellectu ſine fundamento in re, vt cùm idem objectum à ſe ipſo diſtinguitur, v.g. Petrus à Petro, non varietate ac diſſimilitudine conceptuum objectivorum, ſed ejuſdem objectivi conceptus repetitione, vt Petrus eſt Petrus, aut gladius eſt enſis. Hæc fit cum fundamento in re realiter quidem ſimplici, ſed propter eminentiam ſubjecti & diverſas operationes æquivalenter multiplici, quatenus ratione fœcundi & divitis fundi, vt ita loquar, poteſt hoc ipſum præſtare quod præſtant multa realiter diſtincta ratione realis diſtinctionis. Differt ab actuali diſtinctione, quòd actualis ſit rerum duplici actu conſtantium, hæc autem ſit rerum conjunctarum actu duplici carentium : à potentiali, quòd virtualis ſit rerum

vnio, quæ neque ex vtraque parte, neque ex alterutra ſeparari aut ſeparatim exiſtere poſſint: quæ autem potentiâ diſtinguuntur, actu idem quidem ſint, ſed ſeparari poſſint.

Aëtius & Eunomius ne diſtinctionem quidem rationis ratiocinantis inter attributa divina & eſſentiam agnovere: ſed in ſola nominum prolatione ſitam eſſe diſtinctionem volebant, vt obſervat Epiphanius hæreſ. 76. Nominales virtualem reſpuunt.

I. Assertio. Attributa Dei abſoluta diſtinguuntur ab eſſentia divina, & inter ſe ratione ſaltem ratiocinante & conceptu.

Probatur 1. ex D. Baſilio lib. contra Eunomium, vbi ait nullum eſſe nomen quod totam Dei naturam comprehendat, & quantum ſatis eſt, explicet: itaque multa eſſe & diverſa quæ ſingula propriam habeant ſignificationem. Ex D. item Gregorio Nyſſeno qui lib. 1. contra Eunomium ait vniuſcujuſque nominis, quod de Deo dicitur, propriam & ſingularem eſſe notionem. Denique dum Scriptura ſacra paſſim de divinis perfectionibus agit, varios de iiſdem nobis conceptus ingerit; aliter enim de miſericordia loquitur, aliter de juſtitia, aliter de omnipotentia. Certè hæc propoſitio, Deus eſt ſapiens, non eſt identica; non enim eadem eſt ac iſta, Deus eſt Deus; aut hæc altera, Sapiens eſt ſapiens: ergo hujus propoſitionis prædicatum aliquatenus à ſubjecto diſtinguitur, non tantùm vocetenus, vt in illa, enſis eſt gladius, ſed etiam formaliter, hoc eſt ſaltem conceptibus, qui diverſi diverſis vocibus ſignificentur: vnde patet inter naturam divinam & ſapientiam diſtinctionem ſaltem ra-

tionis & penes conceptum reperiri; hinc D. Thomas q. 13. a. 4. in corpore, vbi agit de Deo, docet nomina quæ tribuuntur ei ad exprimendas illius perfectiones, non eſſe ſynonyma, quia licèt ſignificent vnam rem, tamen ſub rationibus diverſis ſignificant.

II. Assertio. Attributa divina abſoluta diſtinguuntur virtualiter, ſeu ratione ratiocinata ab eſſentia divina & inter ſe. Ita D. Thomas & alii plures.

Probatur 1 ex D. Thoma in 1. ſent. diſt. 2. qu. 1. a. 2. *Dicendum*, inquit, *quòd in Deo eſt ſapientia, bonitas & hujuſmodi, quorum quodlibet eſt ipſa divina eſſentia, & ita omnia ſunt in re. Et quia vnumquodque eorum eſt in Deo ſecundùm ſui veriſſimam rationem; & ratio ſapientiæ non eſt ratio bonitatis in quantum hujuſmodi, relinquitur quòd ſint diverſa ratione, non tantùm ex parte ipſius ratiocinantis, ſed ex proprietate ipſius rei.* Ex quo loco duo habes; primum quidem, quòd attributa divina realiter idem ſint cum eſſentia & inter ſe, ſunt enim omnia in re: alterum verò, quòd diverſa ſint ſecundùm rationem cum fundamento in re: at non ſunt diverſa formaliter & ex natura rei, vt ſuperiori §. confecimus, nec diverſa realiter: ergo ſunt diverſa virtualiter. Prævivit D. Thomæ Auguſtinus epiſt. 102. *Legitur quidem & ſpiritus ſapientiæ multiplex, ſed rectè dicitur etiam ſimplex; multiplex enim, quoniam multa ſunt quæ habet: ſimplex autem, quia non aliud quàm quod habet, eſt.* Hîc ſanctus Auguſtinus multa in Deo cognoſcit, quæ tamen vnum & idem in re ſint. ergo ſupereſt vt multa ſint formaliter & ex natura rei, vel penes ſolum conce-

ptum citra fundamentum præciſionis objectivæ, aut cum fundamento in re ob fœcunditatem & divitias fundi inexhauſtas: primum & ſecundum dici non poſſunt: ergo tertium admitti debet. Et ſanè hæc multiplicitas non in vna vocum planè idem ſignificantium multiplicitate ſita eſt, alioquin enſis diceretur multiplex, quia gladius etiam appellatur: ſanctus item Petrus diceretur multiplex, quia in Scripturis vocatur Petrus, Simon & Cephas.

Reſpondent, ex D. Thomæ & Auguſtini verbis inferri quidem diſtinctionem rationis ratiocinatæ inter attributa divina & eſſentiam, quæ fundetur in connotatis extrinſecis, non autem ex fundo ſubſtantiæ ditiſſimo, multiſque adeo æquivalente ducatur.

Contra 1. D. Thomas in 1 diſt. 2. q. 2. a. 3. huic explicationi repugnat his verbis: *Quidam dicunt, quòd iſta attributa, miſericordia & juſtitia, non differant, niſi penes connotata in creaturis, quod non poteſt eſſe:* ergo diſtinctio attributorum ab eſſentia aut à ſe invicem non eſt tantùm penes connotata extrinſeca, ſed etiam ex ipſo fundo naturæ divinæ opulentiſſimo eruitur, qui ſua fœcunditate movet intellectum hominis viatoris ad diverſos de Deo conceptus formandos, eo fere modo, quo linea, ſuperficies & profunditas, licèt à parte rei idem ſint, præbent tamen Mathematico fundamentum abſtrahendæ vnius dimenſionis ab altera, & quantitatis in ſuas ſpecies diſtribuendæ.

Probatur ratione: Attributa divina quamvis realiter vnum & idem ſint, in conceptu tamen objectivo non ſunt eſſentia divina ſaltem adæ-

quatè, nec vnum eſt aliud : v. g. ſapientia non eſt bonitas, nec juſtitia eſt miſericordia, nec intellectus eſt volitio. Item dum dico, Deus eſt ſapiens, ita tribuo Deo ſapientiam, vt nullo modo cogitem de tribuenda ei miſericordia aut juſtitia : nec intendo aliud affirmare de Deo, quàm id quod per vocem ſignificatur. Cur autem ? quia nomina quibus conceptus noſtros exprimimus, debent illis perfectè reſpondere, idque ſignificare tantùm, quod per conceptum repræſentatur : at nomen iſtud, *ſapiens*, non ſignificat ex ſua inſtitutione miſericordiam aut juſtitiam, ſed vnam ſapientiæ perfectionem quam ex fundo Dei divite delibat intellectus ſagax, intactis aliis æquivalentiis, quæ ex eſſentia divina, tanquam ex ſcaturigine inexhauſta, non reali quidem, ſed virtuali, vt ita loquar, fluxu jugiter manant. Intellectus quippe humanus ex connotato ſapientiæ cognito, ſua ſagacitate ac ſubtilitate ſe inſinuat in eſſentiam divinam, & gradum, vnde fluit illud connotatum ſapere, quaſi dividit intentionaliter, attingitque aliis attributis illibatis, vt aliàs explicuimus tomo 1. Log. part. 2. diſp. 1. a. 2.

III. Assertio. Inter naturam divinam & relationes perſonarum datur diſtinctio virtualis in ordine ad prædicata contradictoria, etiam intrinſeca.

Probatur : Natura divina & relationes Patris & Filii & Spiritus ſancti, licèt realiter vnum & idem ſint, verè tamen ſuſcipiunt prædicata intrinſeca oppoſita ſine formali contradictione ; nam de natura divina verè affirmatur quòd ſit Filius, de paternitate veró negatur ; nam hæc propoſitio

vera eſt, Pater non eſt Filius : at Filius eſt prædicatum intrinſecum ; convenit enim naturæ divinæ per identitatem. Item natura divina eſt communicabilis perſonis divinis, paternitas non eſt communicabilis tribus perſonis : natura divina non generat Filium, Pater generat Filium: Filius procedit à Patre per intellectum, non procedit per voluntatem : Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio per voluntatem, non per intellectum; hæc, inquam, ſunt prædicata contradictoria, & quidem intrinſeca: ergo datur inter naturam divinam & relationes perſonarum diſtinctio virtualis in ordine ad prædicata oppoſita intrinſeca; ſecus ſe res habet in creatis, nam generans diſtinguitur realiter actu vel potentiâ ſaltem à generante. Ratio diſparitatis petitur ex fœcunditate infinita Dei, à qua habet vt capax ſit contradictoriorum intrinſecorum, cujuſmodi ſunt, communicabilem eſſe, & non eſſe communicabilem, Filium generari, non generare, &c. & ex creaturæ fœcunditate finita ac limitata, quæ proinde non eſt capax contradictoriorum intrinſecorum, ſicut Deus.

Ut ſolvas argumenta, memineris 1. fundamentum diſtinctionis virtualis duplex eſſe; alterum, connotata extrinſeca quæ apparent in creaturis: 2. fœcunditatem Dei infinitam, quæ æquipollet multis realiter diſtinctis. Cùm enim Deus ſit multiplex æquivalenter, multiplici illa æquivalentia plures quaſi entitates repræſentat, præſtatque id ipſum quod infinitæ res diſtinctæ repræſentarent; hinc nemine cogitante formalitas juſtitiæ divinæ non eſt formalitas miſericordiæ æquivalenter ſeu virtualiter, licèt realiter ſit

idem : poſtquàm autem mens humana abſtraxit, id eſt, juſtitiam concepit, non concepta miſericordia, non ſunt idem formaliter ſub eſſe intentionali, quia mens humana diſtinctionem virtualem conſummat per præciſionem formalem; hinc

2. Hoc pronuntiatum, *Quæ ſunt idem in re, non poſſunt diſtingui in conceptu*, ita diſtingues : quæ ſunt idem in re tam realiter quàm æquivalenter, concedes : quæ ſunt idem in re realiter, & aliquid diverſum æquivalenter, negabis. Porrò miſericordia & juſtitia ſunt idem in ré realiter & identicè : at ſunt quid diverſum æquivalenter. Attributa quippe divina, licèt re idem ſint cum eſſentia, cui identificantur realiter, in eſſe objectivo repræſentabili ſunt multa : vnde hæc propoſitio, *Miſericordia non eſt formaliter juſtitia*, veriſſima eſt; conſentit enim objecto inadæquatè ſumpto, quia totum non repræſentat, ſed aliquid illius.

3. Hinc etiam non valet argumentum à puncto prorſus individuo ad eſſentiam divinam, quia cùm punctum non ſit quantum realiter nec æquivalenter, negat omnem omnino dimenſionem, adeóque inadæquatè tangi non poteſt; eſſentia autem divina cùm infinitæ fœcunditatis & opulentiæ ſit, poteſt ſecari in varios conceptus metaphyſicos inadæquatos ab intellectu hominis viatoris. At

Dices : Si eſſentiam inter & attributa datur diſtinctio virtualis, attributa non poſſunt eſſe de conceptu formali eſſentiæ : attributa ſunt de formali conceptu eſſentiæ divinæ, quæ in eo poſita eſt, vt ſit ens ſimpliciter : eſſe autem ſimpliciter, in-

cludit in ſuo conceptu formali omne ens, adeóque attributa. Ut ſolvatur argumentum, ſit

§. III. *Quomodo attributa includantur in eſſentia divina & in ſe invicem.*

I. OBSERVATIO. FORMALIS conceptus alicujus termini ille eſt, qui menti rem repræſentat ſecundùm id præcisè quod intellectus de illa apprehendit ſub nomine abſtracto, aut ſub reduplicatione nominis concreti: v.g. *formalis* conceptus Philoſophi eſt id quod reſpondet nomini abſtracto, Philoſophia, vel nomini concreto, Philoſophus, cum hac reduplicatione Philoſophus; hinc

II. OBSERVATIO. Duplex incluſio, altera formalis, altera materialis ſeu identica; formalis eſt, in qua conceptus formalis prædicati verè includitur in formali conceptu ſubjecti, adeóque de eo formaliter prædicatur, vt *Muſicus canit*, Philoſophus diſcurrit: materialis eſt ea, in qua formale ſignificatum attributi non includitur in conceptu formali ſubjecti, ſed ei accidit jam in eſſentia conſtituto; quare formalis incluſio dicit formalem identitatem attributi cum ſubjecto; materialis autem materialem tantùm. Vide tom. 1 Log. p. 2. diſp. 2. a. 5. §. 1.

III. OBSERVATIO. Incluſio formalis alia adæquata ex parte vtriuſque extremi, cùm prædicatum & ſubjectum æquè latè patent in ſenſu formali, vt homo eſt animal rationale: inadæquata, cùm vnius extremi conceptus formalis latiùs patet conceptu formali alterius, vt homo eſt rationalis.

IV. Observatio. Triplex affectio partium, quæ ad formam totius concurrunt; prima eſt, vt adæquatè ſumptæ reſpondeant adæquato conceptui totius: ſecunda, vt inadæquatè ſumptæ reſpondeant inadæquato conceptui totius: tertia, vt vna pars aliam in ſuo conceptu non includat. Exemplum habes in humanitate, quæ ex animalitate & rationalitate quaſi partibus coaleſcit; nam ſimul ſumptæ reſpondent adæquato conceptui totius: inadæquatè ſumptæ inadæquato conceptui; denique vna pars non includitur in altera formaliter. Ex hac porrò æquipollentia fundamentum conceptus inadæquatos formandi oritur. Et quoniam æquipollentia perfectionum divinarum cum creatis multiplex eſt, cùm conceptus Dei inadæquatos formamus, v. g. de juſtitia, ſapientia, &c. id delibandum mente ac præſcindendum dumtaxat eſt, quod reſpondet perfectioni illi quæ creatis in rebus ſapientia aut juſtitia nuncupatur; cætera verò quæ ad omnipotentiam, æternitatem, aliáque id genus attributa ſpectant, prætermittenda, quaſi diſparia & extranea divinæ juſtitiæ. His ita obſervatis, ſit

I. Assertio. Attributa divina abſoluta ſunt de conceptu formali eſſentiæ divinæ. Probatur: illa attributa ſunt de conceptu formali eſſentiæ divinæ, quæ de ea prædicantur in quæſtione quid eſt: quærenti quid ſit eſſentia divina, reſpondetur, eſt juſtitia, bonitas, miſericordia: ergo attributa abſoluta ſunt de conceptu formali eſſentiæ divinæ. Minor probatur paſſim à SS. Patribus, à D. Bernardo, qui lib. 5. de conſider. c. 10. ad hanc quæſtionem, quid eſt Deus, ſic

reſpondet : *eſt voluntas omnipotens, benevolentiſſima virtus, lumen æternum* ; à Leone Papa ep. 93. *De quo*, inquit, *quidquid dignè vtcumque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia*

Nec dicas SS. Patres velle tantùm attributa abſoluta eſſe de conceptu eſſentiæ divinæ identico & reali, non formali, vt imperfectionem accidentis à perfectionibus divinis excludant. Si enim hæc ſolutio valeret, eodem modo de attributis relativis SS. Patres loqui debuiſſent, quia ſunt idem realiter cum eſſentia divina : at negant attributa relativa eſſentialiter prædicari de natura divina : ergo volunt attributa abſoluta de natura divina prædicari eſſentialiter, relativa autem identicè & materialiter. Nam ſit

II. Assertio. Attributa relativa & proprietates perſonales non ſunt de conceptu formali eſſentiæ divinæ, ſed tantùm identico.

Probatur : quia attributa relativa non prædicantur in quid de eſſentia divina : ergo non ſunt de conceptu formali eſſentiæ divinæ. Probatur ant. quærenti quid ſit eſſentia divina, non reſpondetur, eſt paternitas aut filiatio : ergo attributa relativa non prædicantur in quid de eſſentia divina.

Confirmatur vtraque aſſertio communi Patrum ſuffragio, Auguſtini lib. 5 de Trin. cap. 8. *Quapropter illud præcipuè teneamus, quidquid ad ſe dicit præſtantiſſima illa & divina ſublimitas, ſubſtantialiter dici ; quod autem ad aliud, non ſubſtantialiter, ſed relativè.* vnde poſtea ſic concludit : *Quidquid enim ſecundùm qualitates illic dici videtur, ſecundùm ſubſtantiam vel eſſentiam intelligendum eſt.* Et lib. 7. c. 2. proprietates perſonales ab

hac regula excipit his vocibus : *Vterque autem* (nempe Pater & Filius) *ſimul vna ſapientia & vna eſſentia , vbi hoc eſt eſſe, quod eſt ſapere ; non autem ſimul vterque Verbum aut Filius , quia non hoc eſt eſſe quod Verbum eſſe aut Filium eſſe , quia jam ſatis oſtendimus iſta relativè dici.* Boetii , qui opuſculo , vtrum Pater & Filius & Spiritus ſanctus de divinitate ſubſtantialiter prædicentur, eandem regulam exponit. *Nam quæcunque* , inquit, *in ſingulis ſeparatim dici convenit, nec tamen in omnibus dici queunt , non ſubſtantialiter prædicantur , ſed alio modo ; nam qui Pater eſt , hoc vocabulum non tranſmittit ad Filium , neque ad Spiritum ſanctum : quo fit, vt non ſit ſubſtantiale nomen hoc inditum.* Ex quibus

Sic arguo : Patres docent attributa abſoluta idem eſſe cum eſſentia, & de illa prædicari οὐσιωδῶς, non autem relativa : non poſſunt docere attributa relativa non eſſe realiter idem cum eſſentia divina, quia ipſi identificantur : ergo ſupereſt vt pugnent non eſſe idem formaliter, in quo ab abſolutis diſcrepant , quæ in conceptu formali eſſentiæ imbibuntur.

Confirmatur 2. de attributis relativis ex placito SS. Patrum dicentium Patrem omnia quæ habet, dediſſe Filio præter ſe Patrem : ſic enim fertur in Concilio Florentino literis vnionis , cujus dicti hanc rationem reddunt, quòd Pater totam eſſentiam, non autem partem eſſentiæ deciſam tranſmittat in Filium. Ita Concilium Lateranenſe cap. *Damnamus* , decrevit Patrem dediſſe Filio ſuo totam ſubſtantiam. Ex quibus argumentum conficio : Pater commmunicat Filio quidquid eſſentiale eſt naturæ divinæ , & non communicat pa-

ternitatem : ergo paternitas non eſt eſſentialis naturæ divinæ, alioqui deberet communicari Filio, ſicut reliqua attributa.

III. Assertio. Quamvis attributa divina formaliter includantur in eſſentia divina, non ſe tamen formaliter includunt.

Probatur : ſi attributa ſe ſe formaliter includerent, veræ eſſent iſtæ propoſitiones, juſtitia quà juſtitia miſeretur ; miſericordia quà miſericordia punit ; abſurdum conſequens : ergo & antecedens. Probatur ſequela ex principiis ſeu regulis mox traditis de prædicatione formali : conceptus formalis vnius attributi includeretur in conceptu formali alterius attributi, & quidem cum æquali amplitudine ſignificatûs : ergo quæcunque de juſtitia dicuntur, dicerentur etiam de miſericordia, & viciſſim : ac proinde omnia Dei nomina eſſent ſynonyma, ſicut enſis & gladius, Petrus & Cephas : ergo ſicut quidquid dicitur de enſe, dicitur & de gladio, & quidquid affirmatur de Petro, affirmatur & de Cepha ; ita quidquid de juſtitia prædicatur, prædicaretur de miſericordia, & quidem formaliter, & viciſſim, quod eſt incurrere in ſententiam Eunomii.

Jam verò quòd abſurdum ſit, attributa Dei eſſe ſynonyma velle contendere, nec vnius rationem animo informari poſſe, quin alterius notio in eadem includatur, patet ex D. Baſilio contra Eunomium : *Quî enim*, inquit, *ridiculum non eſt, ſi quis procreandi vim, ipſam dicat eſſe eſſentiam ? aut providentiam rurſus eſſentiam ? itidemque præſcientiam ac denique efficientiam omnem, eſſentiam eſſe ſtatuat ? Quòd ſi omnia iſta ad vnum ſignificatum perti-*

neant ; neceſſe eſt vt idem inter ſe valeant nomina, vt in polyonymis evenit, cùm Simonem & Petrum & Cepham eundem hominem dicimus. Baſilio conſentit Gregorius Nyſſenus lib. 12. adverſus eundem Eunomium. Ratio autem cur non ſe mutuò includant, hæc eſt, quòd in conceptu vnum tributum non ſit aliud, quamvis in re idem ſint: v. g. in eſſe repræſentabili ſapientia non eſt bonitas, nec juſtitia miſericordia. Item cùm juſtitiam Deo attribuo, nullo modo cogito de tribuenda eidem miſericordia. Cur autem? quia alius eſt conceptus objectivus juſtitiæ à conceptu objectivo miſericordiæ; nam ex Auguſtino lib. 6. de Trin. c. 7. *Deus multipliciter dicitur magnus, bonus, ſapiens, beatus.*

Colliges ex dictis 1. quodlibet attributum ſecundùm rationem formalem propriam diſtingui ab eſſentia, vt incluſum ab includente, quia eſſentiæ conceptum formalem non includit in ſuo conceptu formali, quamvis conceptum illius formalem eſſentia includat in ſuo. Exemplum habes in animali reſpectu hominis, quod includitur formaliter in homine, licèt hominem formaliter non includat.

Colliges 2. Duo extrema vitioſi erroris ei qui rectè ſentire velit de diſtinctione attributorum ab eſſentia, ex æquo vitanda; alterum, eorum qui nihil ne cogitatione quidem & intelligentia noſtra: alterum, eorum qui attributa nimium, hoc eſt, re ipsâ differre volunt, cùm à ſe invicem, tum ab eſſentia. Primus in Aëtio & Eunomio notatus eſt & damnatus à Patribus; ſecundus in Gilberto Porretano Epiſcopo Pictavienſi proſcriptus, qui non ſola ratione, ſed ex rei natura & citra mentis

tis intelligentiam attributa ab eſſentia & à ſe invicem diſtingui pertinaciùs contendebat.

§. IV. *Diluuntur objecta.*

QUÆDAM argumenta pugnant attributa abſoluta non eſſe de conceptu formali eſſentiæ divinæ: quædam attributa relativa eidem eſſentialia aſtruunt: nonnulla mutuam attributorum formalem incluſionem acriter defendunt. Singulis ordine ſatisfacio.

Objicies 1. Si attributa divina implicantur in conceptu formali eſſentiæ divinæ, veræ ſunt iſtæ propoſitiones in ſenſu formali, eſſentia divina eſt juſtitia: eſſentia eſt miſericordia: non ſunt veræ iſtæ propoſitiones in ſenſu formali: ergo attributa divina non implicantur in conceptu formali eſſentiæ divinæ.

Reſp. diſt. majorem: Veræ ſunt iſtæ propoſitiones in ſenſu formali inadæquato, concedo majorem: adæquato, nego majorem. Cùm enim juſtitia Dei ſit tantùm pars inadæquata eſſentiæ divinæ, totum illius formalem ſenſum non adæquat, ſed partem duntaxat, ſicut conceptus animalitatis totum hominis conceptum non adæquat, ſed ſolam partem genericam, cui reſpondet. Ut autem attributa totam Dei eſſentiam exæquarent, deberent ſumi adæquatè: ſicut animalitas & rationalitas adæquatè & ſimul ſumptæ exhauriunt conceptum humanitatis, quia æquè latè patent.

Inſtabis 1. Si vera eſt hæc propoſitio in ſenſu formali: *Eſſentia divina eſt juſtitia*; vera erit quoque & iſta: *Iuſtitia eſt miſericordia*; aut iſta: *Intel-*

lectus eſt voluntas. Utraque falſa eſt in ſenſu formali: ergo & prima.

Reſp. nego ſequelam majoris, aut diſtinguo: ſi vera eſt hæc propoſitio, *Eſſentia divina eſt juſtitia,* in ſenſu formali adæquato, vera quoque erit iſta, *Juſtitia eſt miſericordia*; tranſeat: ſi vera eſt tantùm in ſenſu formali inadæquato, nego; at vera eſt tantùm in ſenſu formali inadæquato, quia juſtitia partem divinæ eſſentiæ conſtituit, non totam.

Inſtabis 2. Quæcumque habent ſenſum formalem cum aliquo tertio, habent etiam interſe: juſtitia & miſericordia habent ſenſum formalem cum eſſentia divina: ergo habent eundem ſenſum formalem inter ſe.

Reſp. diſt. majorem: Quæcumque habent ſenſum formalem cum aliquo tertio adæquatè ſumpto, habent etiam inter ſe, concedo: inadæquatè ſumpto, nego majorem. Certè probaret argumentum animalitatem eſſe idem formaliter cum rationalitate, quia ſunt idem formaliter cum humanitate. Porro miſericordia habet eundem conceptum formalem cum eſſentia divina, ſed inadæquatè ſumpta; hinc ſingula attributa ſingillatim ſumpta diſtinguuntur formaliter inadæquatè ab eſſentia divina, ſuntque rationes particulares eſſentiales quidem naturæ divinæ, ſed eam nobis tantùm inadæquatè repræſentantes; nulla eſt enim Dei proprietas, quæ ſingillatim ſumpta tam latè pateat atque eſſentia divina, à qua proinde diſtinguitur, vt incluſum ab includente.

Objicies 2. Quidquid accidit divinæ eſſentiæ, non eſt de conceptu formali eſſentiæ divinæ: attributa abſoluta accidunt eſſentiæ jam conſtitutæ;

ergo non ſunt de ipſius eſſentia. Minor probatur ex Cyrillo Alexandrino lib. de Trin. c. 3. vbi ſic habet: Tametſi bonum, juſtum & quodcumque aliud dixeris, non naturam Dei dicis, ſed quæ circa naturam ſunt: at quæ circa naturam ſunt, non ſunt intra: quæ non ſunt intra naturam, illius eſſentiam non conſtituunt, quia nihil eſt magis intrinſecum quàm quod eſſentiale eſt. D. Cyrillo conſentit Damaſcenus lib. 1. c. 4.

Reſp. SS. Patres non à ſe ipſis diſſentire: quare ſi quid in ſpeciem dixiſſe videantur, quod minùs ſibi cohæreat, vtique ſibi ipſis conciliandi ſunt. Itaque cùm ex eorum teſtimoniis conſtet attributa abſoluta eſſe de conceptu formali eſſentiæ Dei, vtique in aliis locis accipiendi ſunt in ſenſu accommodo, quatenus iſtis locutionibus nobis innuunt verba ſibi deeſſe, quibus affirmando quid Deus ſit, exprimere valeant: itáque recurrendum ad negationem, vt meliùs intelligamus quid ſit Deus, ex eo quod non ſit, quàm ex eo quod ſit, removendo nempe ab eo id omne quod vſus vocum in rebus creatis indicat. Id paſſim inculcant SS. Patres, ſed imprimis ipſe Damaſcenus & D. Auguſtinus docent, nullum nobis nomen ſuppetere, quo Deus à nobis appellari poſſit, atque adeo omnium nomine vocari, ſed etiam nullo debere; omnium quidem nomine vocari, quia omnium cauſa; nullo, quia eſt ſuper omnia.

Inſtabis: D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium negat vim procreandi, aut providentiam ipſam eſſe Dei eſſentiam.

Reſp. diſt. negat eſſe ipſam Dei eſſentiam adæquatè ſumptam, concedo: inadæquatè ſum-

ptam, nego; negat enim perfectiones abſolutas, putà vim creatricem, providentiam, ita implicari in ratione divinæ eſſentiæ, vt illius conceptum æquent, penituſque exhauriant. Quo etiam ſenſu negat Chryſoſtomus contra Anomæos, vllum eſſe attributum, quod ſit ejuſdem amplitudinis cum eſſentia Dei. Et verò Anomæi perfectiones abſolutas & relativas ita confundebant vnà ac permiſcebant, vt vnâ cognitâ, cognoſcerentur omnes, & quidquid Deus eſt.; eòque inſaniæ venerunt, vt jactarent Deum ſe ita noſſe, quemadmodum ſe ipſe novit.

Objicies 3. contra 2. aſſertionem. Non eſt potior ratio, cur attributa abſoluta pertineant ad conceptum formalem eſſentiæ, quàm relativa: abſoluta pertinent ad conceptum formalem eſſentiæ: ergo & relativa.

Reſp. diſparem eſſe rationem, quòd proprietates relativæ Deum conſtituant in ratione ſuppoſiti, ſeu perſonæ triplicis naturam divinam habentis, vnde rationem ſuam formalem Deo tribuere non poſſunt; alioquin ab illa triplici perſonalitate triplex natura conſtitueretur, ſicut à ſapientia conſtituitur ſapiens.

Inſtabis 1. Proprietates relativæ vel ſunt de conceptu formali eſſentiæ Dei, vel de conceptu accidentali, adeóque accidentaliter eidem attribuuntur: abſurdum eſt, proprietates relativas Deo accidentaliter attribui: ergo, &c.

Reſp. nego ſequelam: ſed includuntur in conceptu reali & identico naturæ divinæ, cum qua re vnum ſunt.

Inſtabis 2. Vel ſunt accidentales, vel ſubſtantiales Deo: non ſunt ſubſtantiales: ergo, &c.

Reſp. diſtinguo majorem : ſunt ſubſtantiales Deo, quatenus natura divina æquivalet ſubſtantiæ primæ, concedo : quatenus æquivalet ſubſtantiæ ſecundæ, nego ; ſubſtantia enim ſumitur, vel vt æquivalet ſubſtantiæ ſecundæ, quæ eſt communicabilis multis, vel vt æquivalet ſubſtantiæ primæ & ſingulari, cujus munus eſt conſtituere rem incommunicabilem : perſonalitas ſeu hypoſtaſis ſubſtantialis eſt ſecundo modo, non primo ; hypoſtaſis enim tribuit modum exiſtendi incommunicabilem.

Objicies 4. Quælibet perfectio ingreditur conceptum eſſentialem naturæ divinæ : proprietates relativæ ſunt quædam perfectiones Dei : ergo ingrediuntur conceptum formalem illius eſſentiæ. Probatur minor : eſſentiæ divinæ ratio in hoc ſita eſt, quòd ſit ens ſimpliciter oppoſitum omni non enti : non opponitur omni non enti, niſi per omnem perfectionem, quam proinde in ſua eſſentia includit, adeóque ipſas etiam proprietates relativas includit.

Reſp. 1. hoc argumentum nimis probare, quia probat etiam per rationem corporis Dei naturam formaliter conſtitui, quia gradus corporis eſt aliqua perfectio.

Reſp. 2. diſtinguo majorem : Quælibet perfectio ingreditur conceptum eſſentialem naturæ divinæ, ſi ſit ſimpliciter ſimplex, eſto : ſi non ſit ſimpliciter ſimplex, nego : at proprietates relativæ non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, juxta mentem multorum Theologorum.

Reſp. 3. diſt. maj. Quælibet perfectio ingreditur conceptum eſſentialem naturæ divinæ, vel formaliter, vel radicaliter, concedo : formaliter

ſemper, nego. Porrò proprietates relativæ eſſentiæ divinæ conceptum formalem ingrediuntur radicaliter, ſicut riſibile includitur in conceptu formali rationalis radicaliter, ſeu in radice per ipſum rationale. Ut ergo conceptus hominis opponitur cum eo omni quod non eſt homo, & formaliter, quatenus eſt forma excludens formam bruti, & radicaliter quatenus eſt radix, ex qua riſibilitas pullulat, qua mediante homo opponitur proprietatibus bruti: ita divina eſſentia opponitur formaliter non enti, quo excluduntur perfectiones abſolutæ & ſimplices; radicaliter autem non enti quo excluduntur perfectiones relativæ.

Objicies 5. Saltem eſt compoſitio in Deo ex natura & ſuppoſito: at illa importat imperfectionem.

Reſp. nego compoſitionem ex natura & ſuppoſito invehere imperfectionem in Deum, quia nihil arguit potentialitatis in natura, quam terminat ratio ſuppoſiti, quod ſecus accidit in compoſitione ex genere & differentia; ſed hæc viderint Theologi.

Objicies 6. in 3. aſſertionem, ex D. Auguſt. lib. 6. de Trin. c. 6. Eadem magnitudo eſt, quæ ſapientia, & eadem bonitas, quæ & ſapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia. Item ex D. Baſilio epiſt. 80. omnes Deo convenientes tam notiones, quàm voces, ſunt ejuſdem dignitatis inter ſe, eò quòd nullum habent in ſubjectæ rei ſignificatione diſcrimen. Quibus accinunt D. Anſelmus in Monol. c. 16. Bernardus ſerm. 80. in Cant. *Nec enim*, inquit, *aliunde bonus, quàm unde magnus: nec aliunde juſtus aut*

ſapiens, quàm vnde magnus & bonus: nec aliunde denique ſimul hæc omnia, quàm vnde Deus; & hoc quoque nonniſi ſe ipſo.

Reſp. SS. Patres, cùm ſæpius exagitent eos qui prædicata Dei abſoluta vocant ſynonyma, ſibi ipſis conciliandos eſſe. Quare diſtinguo locum Auguſtini: eadem eſt magnitudo, quæ & ſapientia, eadem realiter, concedo: eadem formaliter, nego. Pugnant itaque SS. Patres quælibet attributa divina cum quibuſlibet identificari ſecundùm rem, perinde ac ſi vnum eſſent: at negant identificari formaliter. Certè D. Baſilius rectè ſe explicat loco citato, dum rationem affert, cur nomina divina ſint ejuſdem poteſtatis. *Non enim*, inquit, *ad rem aliam ſubjectam velut manu deducit intelligentiam noſtram appellatio boni, ad aliam item ſapientis, potentis & juſti: ſed quæcunque dixeris nomina, vnum idemque per omnia ſignificatur, a ſi Deum protferas: omnia oſtendiſti. que n ceteris verbis intelligis.* Quis non videt his verbis Baſilium velle omnia attributa idem eſſe cum Deo, quod eſt ſubjectum commune prædicationis, quamvis diverſum quiddam ſint inter ſe ratione & ſenſu formali?

Objicies 7. Quodlibet attributum eſt infinitum in omni genere entis; eſt enim eſſentialiter increatum: ergo eſſentialiter Deus: ergo in ſuo conceptu formali eſſe divinum includit.

Reſp. diſtinguo primam propoſitionem: quodlibet attributum eſt infinitum in omni genere entis, realiter, concedo: formaliter, hoc eſt, vt tale attributum eſt, nego; non enim infinitum eſt niſi in vno genere perfectionis, ex quo nempe ſumitur nomen attributi. Ratio eſt, quia mens

dum vnum præſcindit attributum, v. g. ſapientiam aut intellectionem, nihil delibat de Deo, niſi quod requiritur ad conceptum qui reſpondet perfectioni creatæ, quæ ſapientia aut intellectio dicitur, detractis illius imperfectionibus, & infinitate addita in hoc vno ordine ſapientiæ. Ad probationem, dicitur increatum & divinum, ſed inadæquatè dumtaxat, & in ſua linea perfectionis.

Inſtabis 1. Sapientia Dei eſt actus eſſentialiter increatus, quia non eſt creatura: ergo eſſentialiter eſt Deus: ergo includit eſſentialiter omnes perfectiones divinas.

Reſp. diſt. Sapientia eſt eſſentialiter Deus, ſapientia præcisè concepta, & vt reſpondet conceptui præciſivo, eſt eſſentialiter Deus inadæquatè conceptus, concedo: adæquatè conceptus, nego: vnde ſequitur ſapientiam, licèt ſit attributum infinitum in omni genere perfectionis, vt eſt in re, tamen prout à nobis inadæquatè ſumitur, eſſe tantùm infinitum in ſuo genere & ſecundùm propriam rationem.

Inſtabis 2. Nil poteſt eſſe ens increatum, quod non ſit eſſentialiter Deus. Diſtinguo, quod non ſit eſſentialiter Deus in re, concedo: quod non ſit eſſentialiter Deus formaliter, ſubdiſtinguo: formaliter inadæquatè, concedo: formaliter adæquatè, nego. Et verò dum cogito de vno attributo, non eſt neceſſe vt cogitetur à me quidquid eſt Deus: ſed ſufficit vt cogitetur à me Deus prout includit rationem formalem illius attributi, putà ſapientiæ aut juſtitiæ.

Inſtabis 3. Intellectio, quæ convenit Deo, non eſt intellectio qualiſcunque, ſed intellectio

ſummè perfecta intra genus intellectionis: intellectio ſummè perfecta intra genus intellectionis, includit in ſuo conceptu omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, adeóque ab aliis attributis non diſtinguitur formaliter.

Reſp. conceſſa prima propoſitione, nego ſecundam; nam intellectio ſummè perfecta in ratione intellectionis in eo ſita eſt, quòd plures veritates & perfectiori modo repræſentet, quàm vlla alia poſſibilis intellectio, ſive identificetur omnibus perfectionibus ſimpliciter ſimplicibus, ſive non: vnde ad ſummum intellectio identificata omnibus perfectionibus ſimplicibus, perfectior eſſet materialiter & phyſicè ratione identitatis quam haberet cum omni perfectione ſimpliciter ſimplice; at non eſſet perfectior in genere cognitionis, quia nec plures veritates repræſentaret quàm altera, nec modo exquiſitiori.

Hactenus de attributis in communi egimus, eaque cum eſſentia & inter ſe contendimus. Nunc ratio doctrinæ poſtulat, vt de ſingulis ſigillatim agamus; & quoniam partitio attributorum fit à multis in tranſcendentalia & quaſi prædicamentalia, ſeu categorica & modalia, ſeu negativa, de tranſcendentalibus primum agemus.

DISPUTATIO III.

De attributis Dei tranſſcendentalibus.

AB attributis tranſſcendentalibus initium facio, quia pertinent ad Deum, quatenus eſt ens, & in rebus creatis generaliſſima cenſentur; tria autem numerantur, vnitas nempe, veritas & bonitas, de quibus ſingillatim à nobis diſputabitur.

ARTICULUS I.

De vnitate Dei.

UNITAS Dei conſiderari poteſt vel ſecundùm ſe, vel per ordinem ad aliud; hinc multiplex quæſtio naſcitur. Prima, an Deus ſit vnicus vnitate ſingulari. Secunda, an ſit vnus vnitate perfecta. Tertia, an ita ſit vnus, vt non poſſit alteri conjungi. Quarta, an vnitatem convenientiæ cum creatura aliquam habeat.

§. I. *An Deus ſit vnus vnitate ſingulari, eaque perfecta.*

UNICA OBSERVATIO. CUM de vnitate Dei agitur, non tantùm quæritur, an Deus ſit indiviſus in ſe & à ſe, quod illi cum cæteris entibus commune eſt, ſed etiam an ſit ita vnus,

vt plures deos dari impoſſibile ſit.

I. ASSERTIO. Deus ita vnus eſt vnitate ſingulari & individuali, vt plures deos dari repugnet. Hæc aſſertio jam probata eſt diſputatione 1. art. 2. Probatur ampliùs à priori: Deus eſt ens oppoſitum omni non enti: ſi plures dii eſſent, vnus non eſſet ens oppoſitum omni non enti, quia vnus haberet negationem perfectionum quæ eſſent in altero; aut certè, ſi nulla in re differrent, nulla foret vtriuſque diſtinctio: hinc pronuntiatum Tertulliani 1. contra Marcion. c. 13. *Deum vt ſcias vnum eſſe debere, quære quid ſit Deus.* Ex intima quippe Dei notione ac definitione pronum eſt ſingularitatem Dei eruere, vt jam obſervavi.

Probatur 2. Quod eſt eſſentialiter hoc, & individuum, multiplicari non poteſt; radix enim multiplicitatis numericæ eſt communicabilitas eſſentiæ: Deus eſt eſſentialiter hoc & individuum, quia eſt ens à ſe & eſſentialiter ſuum eſſe, adeóque eſt eſſentialiter exiſtens: quod autem eſt eſſentialiter exiſtens, non poteſt eſſe natura communis & vniverſalis, quia vniverſalia non exiſtunt niſi in ſingularibus.

Objicies ex S. Eulogio apud Phot. cod. 230. *Deus numero vnus non eſt*, & ex D. Baſilio ep. 141. *Quidquid numero dicitur vnum, vnum revera aut ſimplex natura non eſt; Deum autem ſimplicem & incompoſitum confitentur omnes: non eſt itaque Deus numero vnus.*

Reſp. SS. Patres de Deo negare vnitatem numericam, quæ ſit principium numeri, & communicabilitatem aliorum ſimilium importet: at ei tribuunt vnitatem vlterius non dividuam aut

ſectilem. quo ſenſu Marius Victor lib. 3. contra Arium, vocat Deum *vnum numero, nec numero vnum, ſed ante numerum, vnum: ſed eſt ante vnum, quod eſt in numero.* quaſi diceret Deum eſſe quidem vnum numero, id eſt ſingulariter & individualiter, vt explicat Theophylus Raynaudus; non eſſe tamen vnum vnitate numerica pertinente ad connumerabilitatem. Quid plura? Deus eſt vnus vnitate abſoluta & negativa, quæ perfectionem ſonat, quia dicit immultiplicabilitatem; at non eſt vnus vnitate reſpectiva & poſitiva, quæ imperfectionem dicit, quia multiplicabilitatem connotat: vnde Patres malunt dicere ſolum, quàm vnum.

Objicies 2. Unitati individuali Dei non obeſt multitudo perſonarum: ergo nec multiplicitas individualis obeſſe poterit.

Reſp. diſparem eſſe rationem, quòd diſtinctio perſonarum non obſit tum ſingularitati naturæ, tum illimitationi ſingularum perſonarum, quæ eſt oppoſitio purè relativa: vna quippe perſona procedit ab altera, & eidem naturæ identificatur, vnde eſt ens à ſe; at ſi eſſent dii in individuo diſtincti, vnus non procederet ab altero, adeóque procedens non eſſet ens à ſe, nec vnus referretur ad alterum. Porrò tres ſunt perſonæ in Deo, non plures, quia non poſſunt eſſe plures origines ad intra, quàm per viam intellectûs & voluntatis, quarum quælibet exhauritur productione perſonæ ſibi adæquatè & perfectiſſimè reſpondentis.

II. Assertio. Deus eſt ſummè vnus. Probatur 1. ex D. Bernardo lib. 5. de Conſider. vbi ſic loquitur: *Tam ſimplex eſt Deus, quàm vnus; eſt autem vnus quomodo aliud nihil; & ſi dici poteſt,*

vniſſimus eſt. Vnus eſt ſol, quòd non ſit alter: vna luna, quod æquè altera non ſit; atque id quidem Deus, ſed plus. Quid plus? Vnus eſt etiam ſibi, & hoc vis tibi declarari? Idem eſt ſemper & vno modo; non ſic vnus ſol, non ſic vna luna. Clamat vterque non eſſe ſe vnum ſibi: ille motibus, & illa defectibus ſuis; Deus autem non modò vnus ſibi & in ſe vnus eſt, nihil in ſe niſi ſe habet.

Probatur ratione 1. Illud eſt ſummè vnum, quod nec actu, nec potentiâ dividitur ſecundùm omnem modum diviſionis: Deus nec actu, nec potentiâ dividitur ſecundùm omnem modum diviſionis: ergo eſt ſummè vnus. Probatur minor inductione per omne genus diviſionis: Deus nec dividuus eſt genere, nec ſpecie, nec numero, quia nec plures ſunt dii ſpecie, nec plures numero, vt jam confecimus. Deinde cùm ſummè ſimplex ſit, reſpuit omnem diviſionem tum actualem, tum potentialem, quæ fit in ſubjectum & accidentia, in partes integrantes peræquè ac ſubſtantiales, phyſicas ac metaphyſicas, putà in materiam & formam, in naturam & ſubſiſtentiam: ergo Deus ab omni actuali & potentiali diviſione remotiſſimus eſt. Hinc meritò Bernardus pronuntiat lib. 5. de Conſid. c. 7. *Vnum quippe eſt, ſed non vnitum; non partibus conſtat, vt corpus; non affectibus diſtat, vt anima; non formis ſubſtat, vt omne quod factum eſt.* Et paulò pòſt: *Non eſt formatus Deus, forma eſt: non eſt affectus Deus, affectio eſt: non eſt compoſitus Deus, merum ſimplex eſt.* Denique cùm Deus ſit prorſus immutabilis, vnus eſt vnitate mutationem omnem excludente, vt obſervat Paſchaſius l. I. de Spiritu ſancto c. 6. *Quid eſt vnus, niſi ſemper idem, qui nunquam à ſe poſſit eſſe*

diverſus? Bernard. lib. 5. de Conſider. c. 7. *Non ex tempore alterationem habet, non in ſubſtantia alteritatem.* Ex his patet, Deum eſſe vnum vnitate triplici, quarum prima numerum, non perſonarum quidem, ſed deorum excludat; ſecunda compoſitionem; tertia mutationem quamlibet. Primam habet à ſingularitate ſua, ſecundam à ſimplicitate, tertiam ab immutabilitate.

Probatur 2. Unitas eſt affectio entis, cujus naturam ſequitur: ſi quidpiam ſummè ens eſt, eſt quoque ſummè vnum: vnumquodque eſt vnum, quomodo ſe habet id quod eſt, inquit Plotinus Enn. 6. l. 9. c. 1. ſed Deus eſt maximè ens, vtpote ens per eſſentiam & ſimpliciter: ergo eſt ſummè vnus.

Probatur 3. Deus perfectiſſimus eſt, omneſque adeo perfectiones per ſummam identitatem includit; vt enim res aliqua ſummè perfecta ſit, neceſſe eſt vt omnia quæ includit, per ſummam identitatem vnum ſint, alioqui diſtinctio imperfectionem inferret: ergo Deus ſummè vnus eſt.

Probatur 4. Quidquid eſt vnum per ſe, eſt magis vnum, quàm quod eſt vnum per accidens: inter vnitates per ſe, vnitas eſſentialis potior integrali, & inter vnitates eſſentiales ſumma eſt vnitas Dei: ergo Dei vnitas omnium maxima. Hinc ex Bernardo lib. 5. de Conſid. c. 8. *Deus ſummè & vnicè vnicus, arcem tenens inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur.*

§. II. *Conſectaria ex vnitate.*

1. UNITAS Dei eſt omnium prima; ſi quæ enim eſſet prior, maximè generica: vni-

tas Dei præcedit genericam, *præaccipit enim omne eſſe*, ex Dionyſio, vt jam obſervavi.

II. Unitas Dei trinitatem perſonarum abſque ſui diviſione admittit; hinc in Deo progreſſio mirabilis ab vnitate ad numerum perſonarum per fœcunditatem, & reverſio ac reductio numeri ad eandem vnitatem per viam identitatis & perfectiſſimæ ſimplicitatis.

III. Unitas Dei res omnes continet vel realiter, vel eminenter; eminenter quidem res creatas, realiter perfectiones increatas: ita tamen vt abſolutas contineat realiter formaliter; relativas autem realiter, ſed radicaliter.

IV. Quodlibet ens creatum deficit ab vnitate Dei, quia incidit in aliquam compoſitionem; hinc Bern. *Compara huic vni omne quod vnum dici poteſt, & vnum non erit.*

V. Unitas Dei aliquatenus adumbratur in vniverſo, quatenus omnia in tantum perfecta ſunt, in quantùm magis vniuntur, minuſque habent diviſionis; nam ſimplicia per ſe ſunt, quæ vna ſunt, inquit Auguſtinus, quæ autem non ſunt ſimplicia, concordia partium imitantur vnitatem, & in tantum ſunt, in quantum aſſequuntur.

Hæc eſt itaque prima & principalis vnitas, imò quæ ſola eſt vera vnitas; vnitas non tam Dei quàm Deus, hoc eſt, non quâ fiat vel ſit vnus, ſed quæ ſit ille ipſe vnus Deus. Alia fiunt vnum, cùm vniuntur; Deus non fit vnus, ſed eſt vnus: non eſt vnus per conjunctionem, ſed per vnitatem, neque per vnitatem quæ ſit in Deo, ſed quæ ſit Deus: non eſt per ipſum eſſe, ſed eſt illud ipſum eſſe. Deus illud vnum eſt, quod nec materia limitat, vt in individuo; neque differentia contra-

hit vt in ſpecie; neque potentia diſſipat, vt in genere. Non eſt hoc vel illud, quod dicitur de ſubſtantiis: non tale vel tale, quod dicitur de accidentibus. Non derivatum à cauſa, non impreſſum ab idea, non diſtinctum formâ, non circumſcriptum figurâ, non extenſum magnitudine, non ambitu vel virtute reſtrictum. Eſt vnum quod modum non habet, quod metam ignorat, quod principium finemque neſcit, &c.

§. III. *An Deus habeat aliquam vnitatem convenientiæ cum creaturis.*

UNICA OBSERVATIO. UNITAS convenientiæ duplex, altera perfecta, quæ vnivocatio dicitur: altera imperfecta, quæ analogia dicitur, cùm attributionis, tum proportionis.

I. ASSERTIO. Nulla eſt vnitas convenientiæ perfecta inter Deum & creaturas, ſed tantùm imperfecta ſeu analogiæ.

Probatur prima pars: Quæcunque in primo limine ac veſtibulo entis inter ſe differunt, in nullo gradu perfectè ſeu vnivocè conveniunt: Deus & creatura in primo limine entis ac veſtibulo differunt; ens enim eſt in Deo vt totum, in creatura vt pars, quia Deus ex Dionyſ. eſt ὑπερὼν, *ſuperens*: ens convenit Deo οὐσιωδῶς, *ſubſtantialiter*, creaturæ κατὰ συμβεβηκῶς, *accidentaliter* ſeu *adjectivè*: at toti & parti, ſubſtantiæ & accidenti nihil eſt perfectè vnivocum: ergo Deus & creaturæ in nullo gradu perfectè ſeu vnivocè conveniunt. Certè Deus eſt ens per eſſentiam & à ſe, creatura ens per participationem & ab alio, tantaque eſt perfectio divini entis, vt infinitè ſuperet omne

ens creatum ; hinc Deus de ſe in Scriptura ita loquitur, *Ego ſum qui ſum* ; de creaturis autem dicitur, quòd ſint quaſi nihilum & inane.

Probatur ſecunda : Datur enim Deum inter & creaturam analogia tum proportionis, tum attributionis; proportionis quidem, quia vt Deus ſe ipſo opponitur omni non enti : ita quælibet creatura per ſuam entitatem opponitur alicui non enti : vnde ſimilis Deo vtcunque creatura dicitur, non viciſſim Deus creaturæ, quia cauſa exemplaris & efficiens, præſertim æquivoca, reciprocationem cum effectu reſpuit ; attributionis verò, quia ratio entis creaturis convenit per dependentiam à Deo, in quo ens vt in fonte reſidet. Hæc quæſtio à nobis agitata eſt diſp. 1. de antepræd. art. 2. §. 2. tom. 1. Log. part. 3. & diſp. 3. a. 2. §. 1. vbi Deum à categoria ſubſtantiæ expunximus : quare hîc plura dicere ſuperſedeo.

ARTICULUS II.

De veritate & bonitate Dei.

UTRUMQUE hoc attributum tranſſcendens hoc articulo breviſſimè explico, quod vnum alteri affine ſit ; ita vt primùm de veritate, de bonitate deinde agam.

§. I. *De veritate.*

I. OBSERVATIO. TRIPLEX veritatis ſpecies ; prima rei ſeu in eſſendo ; ſecunda cognitionis ; tertia locutionis. Veritas rei abſolutè ſumpta, eſt ipſa rei entitas, prout habet negationem fictio-

nis & apparentiæ : relativè autem ſpectata , eſt rei entitas , prout eſt conformis principiis aut quaſi principiis, vel certè cum intellectu vero, præſertim divino ; hinc definitur, conformitas entis cum principiis ſuis, adæquatio entis & mentis, vniuſcujuſque entis cognoſcibilitas, id eſt, entitas, quatenus reſpicit intellectum, à quo cognoſci poteſt. Veritas cognitionis eſt conformitas cognitionis cum objecto quod repræſentat ; veritas locutionis, conformitas locutionis externæ cum interna ſeu judicio mentis : hæc moralis appellatur, illa logica, prima tranſſcendens ſeu metaphyſica. Veritas locutionis ſupponit veracitatem, quæ conſiſtit in inclinatione ſive innata, ſive infuſa, ſive acquiſita, qnam habet voluntas ad verum ſemper dicendum.

II. Observatio. Illæ veritates ita ſunt aptæ & connexæ inter ſe, vt veritas locutionis ſupponat veracitatem, ſeu veritatem voluntatis, quæ eſt propenſio in loquente ad verum dicendum : veritas voluntatis veritatem cognitionis ; nec enim verum dicere poteſt, cujus cognitio fallitur. Denique veritas cognitionis ſupponit veritatem entis ſeu objectivam.

I. Assertio. Deus eſt ſummè verus veritate entis: Probatur : veritas entis ſive abſolutè ſpectetur, vt dicit negationem fictionis ; ſive relativè, vt eſt conformitas cum principiis aut quaſi principiis, aut vt eſt adæquatio rei cum intellectu, Deo perfectè convenit : ergo Deus eſt ſummè verus veritate entis. Probatur ant: nam 1. talis eſt Deus, qualem infinita ejus natura eſſe requirit ; eſt enim eſſentialiter id quod eſt, oppoſitum omni non enti, ens à ſe, ſimpliciter neceſſa-

rium. Deinde Deo convenit perfectiſſimè adæquatio ſeu conformitas cum ejuſdem intellectu ipſum repræſentante, quia illa conformitas Deo ipſi convenit per ſummam ejus identitatem cum forma denominante, nam intelligere Dei eſt ipſummet eſſe Dei; cæteris autem rebus convenit per denominationem extrinſecam. Denique Deus ſeu ens illud quod colimus, habet id omne realiter in ſe quod ea notio, quam de ipſo informamus, nobis repræſentat: ergo Deus eſt ſummè verus veritate entis, ſive abſolutè, ſive relativè veritas entis ſumatur. Hinc D. Auguſtinus ex ſumma Dei magnitudine ſummam ejuſdem veritatem meritò colligit lib. 8. de Trinit. c. 1. *Vbi magnitudo ipſa veritas eſt, quidquid plus habet magnitudinis, neceſſe eſt vt plus habeat veritatis*: at Deo ex ejuſdem principiis lib. 6. de Trin. cap. 7. *eadem magnitudo Dei eſt, quæ ſapientia, eadem bonitas quæ ſapientia & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia*: ergo cùm Deo ſumma magnitudo & ſumma ſapientia inſint, ſumma quoque veritas ineſt.

Itaque ſi implicitum huic propoſitioni ſenſum, *Deus eſt ſummè verus*, placet explicare, ſic explicabis juxta mentem ſubtiliſſimi Theologi: Deus quem colimus, ita perfectè eſt conformis notioni Dei, vt præter ipſum nullus alius, qui Dei nomine vocetur, poſſit eſſe conformis: quare nec dii quos finxit antiquitas, nec judices, qui ab auctoritate ſibi communicata, dii vocantur, nec ipſe Moyſes, quem Deus ob participationem potentiæ, Pharaonis Deum conſtituit, hanc ſummam ſupremi entis veritatem ſibi vindicant. Hic etiam alter ſenſus ſubeſt; Deus eſt incommutabi-

liter verus, in quo diſtinguitur à creaturis, quæ commutabiliter veræ ſunt, quatenus propoſitiones quæ de Deo purè fiunt, de veris in falſas tranſire non poſſunt; poſſunt autem quæ fiunt de creaturis; nam v.g. hæc propoſitio, *Deus eſt*, falſa eſſe non poteſt; iſta autem, *creatura eſt*, falſa eſſe poteſt, ſi creatura non ſit.

II. Assertio. Deus eſt ſummè verus, veritate cognitionis. Probatur 1. Eò qualibet natura eſt perfectiùs intelligens, quò eſt ens nobilius ac præſtantius: Deus eſt ens perfectiſſimum: ergo perfectiſſimè intelligens: ergo res cognoſcit vt ſunt. Probatur 2. illa natura eſt ſummè vera in cognoſcendo, quæ ſummè recedit à falſitate: Deus ſummè recedit à falſitate: ergo ſummè verus eſt in cognoſcendo. Probatur minor: illa natura ſummè recedit à falſitate, quæ nec falli poteſt, nec decipi: Deus nec falli poteſt, nec decipi, tum quia *lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*, ex 1. Joan. c. 1. tum quia *ipſa eſt ſapientia, quæ nec fuit vnquam inſipiens, nec eſſe vnquam poteſt*, ex Auguſtino lib. 1. de doctrin. Chriſt. c. 8. tum quia eſt omnipotens: at ſi falli aut fallere poſſet, omnipotens non eſſet, ex eodem Auguſtino lib. 1. de ſymb. ad Catech. c. 1. tum quia intellectus ex Ariſtotele non decipitur in cognoſcendo quod quid eſt: cognitio autem diuini intellectûs ſe habet ad modum intellectûs cognoſcentis quod quid eſt, quantùm ad ſimplicitatem: tum quia intellectus in primis principiis non errat, ſed in concluſionibus, quas ex iiſdem ratiocinando deducit: diuinus autem intellectus non ratiocinatur, nec vnum infert ex alio: tum quia nulla potentia cognoſcens circa proprium

objectum decipitur : omne autem cognoſcibile eſt proprium objectum divini intellectûs.

III. Assertio. Deus eſt ſummè verus, veritate tum voluntatis, tum locutionis.

Probatur prima pars : Deus eſt perfectiſſimè intelligens & infinitè ſanctus : ergo eſt ſummè verax ; veracitas enim dicit cognitionem in intellectu rerum vt ſunt, & inclinationem in voluntate ad dicendum rem ita eſſe vt eſt : primum Deus habet à cognitione perfecta rerum, ſecundum à ſanctitate infinita : ergo Deus eſt ſummè verax.

Probatur ſecunda : Deus nec falli poteſt, putando aliquid eſſe alio modo quàm ſit, quia ſummè ſapiens : nec fallere vult, quia ad verum dicendum maximè propenſus : ergo eſt ſummè verax in loquendo, nec ejus locutio poteſt eſſe falſa, quæ ideo dicitur ad Epheſ. 1. *Verbum veritatis*. Meritò itaque pronuntiat Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis c. 38. *Deus decipere non poteſt, de fallacia ſolummodo infirmus*; hinc

§. II. *Conſectaria ex veritate.*

I. Deus eſt ſummè verus omni genere veritatis, imò & ipſa veritas.

II. A ſe ipſo, non ab alio veritatem habet.

III. Eſt prima veritas : vt enim Deus eſt primum ens, quia non eſt ab alio, & ab eo reliqua ſunt : ita eſt prima veritas, quia habet characteres doteſque omnes veri Dei : eſt enim à ſe ipſo, & independens ab omni alio.

IV. Eſt fons & cauſa cujuſlibet veritatis ; nam prima & ſumma veritas ita ſe habet ad omnia ve-

ra, ſicut prima & ſumma entitas ſe habet ad omnia entia : at prima entitas eſt cauſa omnium entium ; ergo & prima veritas eſt cauſa cujuſlibet veritatis ; hinc

v. Eſt regula & menſura cujuſlibet veritatis, quia vnumquodque per ſuam cauſam & principium regulatur & menſuratur, ex Philoſopho.

vi. Eſt pura veritas, id eſt, veritas cui nihil falſitatis admiſceri poſſit ; vt enim lux non poteſt eſſe tenebræ, ita divina veritas falſitas eſſe non poteſt ; & aliunde cùm in ſubjecto non ſit, non patitur falſitatis admixtionem, in quo à luce diſtinguitur, quæ cùm ſit in ſubjecto, poteſt aliquid tenebrarum habere admixtum.

vii. Cùm Deus ſit ſumma perfectiſſimaque veritas & eſſendi rectitudo, infinitè diſtat à vanitate creaturarum & mendacio, quod ſummæ veritati opponitur.

§. III. *De bonitate Dei.*

Unica Observatio. Bonitas vt eſt affectio entis, duplex eſt; altera abſoluta, quæ eſt perfectio cujuſque entis : altera relativa, quæ eſt convenientia, quæ perfectiva dicitur. His adde bonitatem moralem, per quam natura intelligens congruenter rectæ rationi operatur.

I. Assertio. Deus eſt ſummè bonus bonitate tum abſoluta, tum relativa. Probatur prima pars : Deus eſt ſummè amabilis ratione ſui : ſummè autem amabilis eſt ratione ſui, quia ſummè perfectus : ſummè autem perfectus, quia omnem perfectionem poſſidet ; ſubſtantialem quidem, quia per ſe ipſum & ſine dependentia

cujuſquam habet ſuum eſſe; accidentalem verò, quia attributa quæ in rebus creatis accidentia ſunt, eſſentialiter continet; putà ſapientiam, juſtitiam, &c. Denique cùm ſit finis vltimus rerum omnium, ad nullum aliud bonum ordinatur.

Probatur 2. Illud ens eſt ſummè bonum bonitate abſoluta, quod ita eſt bonum, vt ſit bonum per eſſentiam & ipſum bonum: Deus eſt ita bonus, vt ſit bonus per eſſentiam & ipſum bonum: ergo eſt ſummè bonus. Minor probatur 1. ex definitione Dei; cùm enim ſit ens ſine omni non ente, nulla perfectione carere debet. 2. Ex D. Gregorio Nazianz. qui oratione 36. Deum τὸ ἄκρως ἀγαθὸν, *ſummè bonum*, ſeu *ſupremum bonum* vocat. Ex D. Auguſtino 8. de Trin. c. 3. *Tolle hoc & illud bonum, & vide ipſum bonum, ſi potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.* Deinde ſic concludit: *Si amandus eſt Deus, non hoc & illud bonum, ſed ipſum bonum.* Ex Maximo: *Deus habet non ex accidenti, ſicut qualitatem aliquam habemus, ſicut nos virtutes habemus, ſed ipſa eſt boni ſubſtantia.* Itaque de ratione ſummi boni eſt, vt illi inſit omnis amplitudo boni ac perfectio, tam quæ extenſione conſtat, quàm quæ ſecundùm intenſionem dicitur.

Probatur ſecunda pars: Nihil eſt homini convenientius Deo, nihilque magis illius perfectivum; quid enim magis homini conveniat, quàm ille qui omne malum arceat ab eo, omni bono cumulet, itáque appetitum illius pleniſſimè ſatiet? Ad hæc, Dei in ratione vtilis & jucundi convenientia eſt infinita; illud enim eſt infinitæ vtilitatis, quod naturis intelligentibus ſingulis

omni loco, omni tempore, adjunctis omnibus neceſſarium, promptum oportunumque eſt ad ſuum finem omnem conſequendum omnemque commoditatem: at talis eſt Deus. Item infinitæ quoque jucunditatis illud bonum eſt, cujus quò major eſt perceptio, eò majorem affert & formaliter & efficienter nobiliſſimæ ſpeciei voluptatem, eamque, ſi natura ſubjecti ferat, infinitam: at perceptio Dei vt jucundi, quò major eſt, eò majorem affert nobiliſſimæ ſpeciei voluptatem, vt patet ex inæquali beatorum felicitate, infinitam verò ipſi Deo ex ſui ipſius comprehenſione: ergo Dei in ratione vtilis & jucundi convenientia infinita eſt: ergo Deus ſummè bonus eſt relativè.

I. Assertio. Deus eſt ſummè bonus bonitate moris. Probatur 1. bonitas moralis & ſanctitas idem ſunt. Deus eſt ſummè ſanctus, vt patet ex Iſaia c. 6. vbi Deus dicitur ſolus ſanctus ob ſummam quæ in eo eminet, ſanctitatem. Probatur 2. ratione: bonitas moralis in eo ſita eſt, vt natura intelligens honeſtè & laudabiliter conſtantiſſimè operetur: Deus non poteſt non honeſtè & laudabiliter conſtantiſſimè operari, quia ejus voluntas rectiſſima; rectiſſima autem, quia eſt regulæ ſuæ intimè conjuncta, imò & identificata, cui proinde diſſonare non poteſt.

III. Quoties Deus ad extra agit, & cauſam agendi ex ſe petit, agit vt bonus: dum autem rationem agendi ex parte creaturæ accipit, agit vt juſtus; Deus enim ex ſuo bonus, ex noſtro juſtus eſt, ex Tertulliano & Philone Judæo, qui cauſam mundi creationis in bonitatem Dei refundit lib. de mundi opificio. *Si quis*, inquit, *velit cau-*

ſam

ſam perſcrutari propter quam tota hæc fabricata eſt vniverſitas, non abhorret, opinor, à ſcopo, ſi hoc affirmet, quod & veterum quiſpiam dixit bonum eſſe parietem & opificem. Qua de cauſa optimam ſuam naturam nequaquam invidit ei ſubſtantiæ, quæ nihil ex ſe ſe boni habet.

§. IV. *Quæ ſint affectiones divinæ bonitatis.*

I. DEus eſt bonum per eſſentiam & ſubſtantivè: hinc Tertull. contrà Marcionem lib. 2. c. 6. *Bonus naturâ Deus ſolus; qui enim quod eſt ſine initio habet, non inſtitutione habet illud, ſed naturâ.* Contrà verò bonum creatum adventitiam habet bonitatem.

II. Deus habet bonitatem à ſe, non ab alio, vtpote primus actus & primum bonum: vnde αὐτοτελὴς, per ſe & à ſe ipſo perfectus, à Dionyſio dicitur: bonum creatum habet bonitatem ab alio ſicut entitatem; hinc Deus ſoli comparatur, qui à ſe ipſo lumen habet; creaturæ verò ſtellis, quæ à ſole lumen mutuantur.

III. Dei bonitas illimitata & infinita, quia non habet à quo limitetur: creaturæ verò bonitas limitata & ad certam ſpeciem reſtricta, modum enim accipit ab artifice Dei ſapientia.

IV. Deus bonitatem omnem habet per ſimpliciſſimam eſſentiam abſque modo reali aut forma ſuperaddita; ſecus autem creatura, quæ diverſarum formarum acceſſione perficitur; hinc

V. Deus eſt ita ſummum bonum, vt augeri nunquam poſſit aut minui; cùm enim ſummum bonum ſit, perfectionem omnem poſſibilem continet: quare nihil ipſi boni accedere poteſt:

&cùm ſit bonum per eſſentiam, nihil poteſt ipſi detrahi, niſi amittat eſſentiam; hinc ad benefaciendum propenſiſſimus, quia benefaciendo nihil prorſus amittit de ſuo. Divinum eſt benefacere, & nobilius dare quàm accipere; ſed nobiliſſimum dare & nihil amittere: creaturæ bonitas poteſt ſine fine augeri & ad nihilum vſque imminui.

VI. Deus cùm primum bonum ſit, primum quoque eſt appetibile, ideóque per ſe & propter ſe appetibile, ſed vltimò parabile.

VII. Bonum divinum vt primum amabile, primum voluntatis creatæ amorem ſibi vindicat, centrum cordis in quo quieſcat, & menſura ad quam bonitas mediorum exigi debeat: quare à Philoſopho 7. Ethic. dicitur *principium ad quod intuentes, vnumquodque bonum aut malum dicimus.*

Ex dictis patet, cur Deus à Dionyſio ὑπερτελὴς, *ſuperperfectus* vocetur, quia bonum eſt omni cogitatione majus.

VIII. Summè ſui diffuſivum tum ad intra, tum ad extra. Ad intra quidem per productionem Verbi & Spiritus ſancti; ad extra per creationem & conſervationem in ordine naturæ, & in ordine ſupernaturali per gratiam & gloriam. Item & perfectivum, quia Deus eſt auctor omnis perfectionis naturalis juxtà & ſupernaturalis, quæ in rebus creatis elucet. Natura quippe divina quàm tenax noſtri, tam prodiga ſui, ita plena ac ſuperplena omnibus bonis jugi ac perenni largitione redundat in nos ac ſuperfluit.

IX. Non neceſſariò, ſed ſponte ac ſuapte voluntate, etiam in ingratos & inimicos effundit

ſe ſe, non eblandita precum opportunitate, nec ſpe aliqua mercedis extorta, ſed invitis ſæpenumero & detrectantibus, aut certè ignaris minimeque cogitantibus beneficentiæ ſuæ munera objicit & confert. Habet prætereà alias ſuæ excellentiæ dotes Deus, vt eſt bonus effectivè, quarum prima ſit: Deus non ſolùm erga res extantes, ſed nondum productas afficitur etiam ab æterno, juxta illud Jeremiæ: *In charit ate perpetua dilexi te.*

Secunda: Valet ad omnes opportunitates, nec definitum habet vſum, ſicut bonitas creata, quia eſt infinita & nulla re deficiens bonorum complexio: creatura autem vt naturam, ſic bonitatem habet finitam.

Tertia: Non ex toto ſe ipſam profundit, ſed ad vſum captumque rerum, quibus ſe communicet, vim & efficientiam accommodat.

Quarta: Ut ſol, ita & Deus nullo ſuo commodo vſum ſui omnibus impertit, & ſine vllo diſcrimine ac delectu omnibus prodeſt. Excipio bona ſpiritalia & æterna, quæ non paſſim nec in omnes dividit, ſed ſingula, vti viſum illi eſt, pro ſua prudentia diſpenſat.

Quinta: Omnia creata bona ſunt bonitate divina extrinſecè & cauſaliter: bonitate verò propria formaliter. Ratio eſt, quia vnumquodque dicitur bonum bonitate divina, ſicut primo principio, exemplari effectivo & finali totius bonitatis, & ſimul ſimilitudine divinæ bonitatis ſibi inhærente, à qua determinatur intrinſecè bonum.

Sexta: Bonum per eſſentiam prius eſt bono per participationem.

APPENDIX

De pulcritudine Dei.

I. OBSERVATIO. PULCRUM à bono differt, quòd bonum potentiam appetentem connotet, quam alliciat ad ſe ſe; pulcrum autem potentiam cognoſcentem cui placeat, & quam delectet: vnde definitur, id quod potentiæ cognoſcenti aptum eſt placere ſine motu, pulcritudo convenientia quædam rei cujuſque cum illa ſpecie & exemplari ad quod exigi natura ſua poſtulat: ſic imago pulcra dicitur, quæ archetypum ſuum refert; actio perfecta, quæ ingenitæ cujuſque animis honeſtatis ſpeciei & formæ congruit, ideóque pulcritudo ad cauſam formalem revocatur.

II. OBSERVATIO. Duplex pulcrum, ſenſibile & intelligibile; ſenſibile in rebus compoſitis: intelligibile in rebus ſimpliciſſimis reperitur.

UNICA ASSERTIO. Deus eſt ſummè pulcher. Probatur 1. Pulcritudo nullibi perfectior, quàm in primaria rerum omnium idea: Deus eſt primaria rerum omnium idea & exemplar abſolutiſſimum, quod quidquid pulcritudinis ſparſum eſt in rebus creatis, totum in ſe tanquam in fonte colligit: ergo Deus eſt ſummè pulcher; hinc à D. Dionyſio lib. de divin. nom. c. 4. dicitur non tantùm cauſa effectiva omnium pulcritudinum, ſed etiam cauſa finalis, quia pulcri causâ cuncta fiunt, & cauſa exemplaris, quoniam ſecundùm ipſum cuncta pulcra determinantur.

Probatur 2. Pulcritudo à forma oritur, quæ re-

bus ſingulis decorem affundit ac venuſtatem: at Deus eſt actus puriſſimus & forma formarum, quæ nihil habet potentiæ admixtum: ergo pulcherrimus.

Probatur 3. Pulcritudo idem eſt ac perfectio rei & bonitas: ergo Deo nihil eſt perfectius, quo nihil poteſt excogitari perfectius ac melius.

Probatur 4. Tria ex D. Thoma pulcritudinem componunt, integritas, proportio & claritas, cui conſentit Auguſtinus lib. 22. c. 19. vbi ad pulcritudinem partium congruentiam cum quadam coloris ſuavitate requirit; hinc pulcritudo aut lux quædam eſt, aut nunquam ſine luce; & quò lucidiora ſunt corpora, eò pulcriora ſunt & habentur: at tria hæc Deo, quantùm rei ſpiritalis natura patitur, inſunt & quidem perfectiſſima. 1. Integritas non deeſt, tum quia habet totum eſſe, quod ad naturam entis perfectiſſimi requiritur, eſt enim vniverſaliter ens: tum quia eidem inſunt omnia attributa, quæ naturæ divinæ integritatem quaſi componunt. 2. Inter eadem attributa decens eſt proportio: ſic miſericordia juſtitiæ, viciſſimque juſtitia miſericordiæ conſentit. Juſtitia ſine paſſione eſt, quia ſine iræ commotione punit; miſericordia ſine compaſſionis affectu, quia ſine teneritudinis ſenſu miſerias levat: juſtitia gratiam coronat, cùm merita compenſat; miſericordia gratiarum largitione merita antevertit: juſtiſſimum eſt miſericordiæ exercitium, quia bonitati infinitæ maximè congruum; miſericordiæ quoque pleniſſimum juſtitiæ exercitium, quia damnatos infra meritum punit, beatos verò ſupra meritum remuneratur. Quid plura? *Vniverſæ viæ Domini miſericordia & veritas, juſtitia & pax*

oſculatæ ſunt. Neque verò minor omnipotentiæ cum bonitate conſenſio. Illa ex nihilo naturæ extrahit omnia, nulla præjacente materia; hæc bona egentibus gratuitò largitur: ambæ in rerum omnium procreatione juxtà & conſervatione mutuam ſibi quaſi operam præſtant: omnipotentiæ in agendo, finis vna bonitas; bonitas omnipotentiam ad agendum applicat, vt cogitata perficiat. Divinitas omnipotentia beneficentiſſima aut bonitas omnipotentiſſima. Denique quid cohærentius vnitate eſſentiæ cum perſonarum Trinitate? Unitas Trinitatem non confundit, Trinitas vnitatem non dividit: habent ab vnitate eſſentiæ tres Perſonæ, vt ſint vnus Deus; à Trinitate Perſonarum, vt in tribus ſuppoſitis ſubſiſtat, habet Deus: vnitas in perfectionibus abſolutis pares facit, Trinitas in perfectionibus relativis diſpares; præſtat vnitas, vt Deus ſit ſolus; Trinitas, ne ſit ſolitarius: & ita ſupremum illud ens vnum eſt ſine ſolitudine, trinum ſine multitudine. Quid congruentius magiſque commenſum? 3. Claritatem, quæ eſt pulcritudinis quaſi flos & color, habet Deus à ſumma puritate, quippe qui ſit actus ſummè purus. Eſſe ipſius creaturæ actuale quidem eſt, dum extat: at certè multùm habet potentiæ paſſivæ admixtum; cùm & potuerit non exiſtere, &, poſtquam extitit, æternùm poſſit non eſſe, quia ex Dei nutu in ſui productione & conſervatione pendet. At Deus cùm ſit ens ſummè neceſſarium, abſolutum, independens, non poteſt non eſſe. Sua item rebus creatis pulcritudo ineſt, ſed fluxa & caduca. Nihil ad aſpectum jucundius ipſa florum amœnitate & colorum qua diſtinguuntur mirabili va-

rietate, ipſa tamen ſtatim marceſcit & extinguitur: ſole nihil jucundius, ſed deficit identidem & obſcuratur. Unius Dei pulcritudo nec marceſcit vſquam, nec deficit, nec extinguitur, quia actus eſt puriſſimus. Meritò itaque D. Dionyſius de divin. nom c. 4. pronuntiat: *Summum bonum pulcrum eſt ſecundùm ſe ipſum, & cum ſe ipſo & vniforme ſemper exiſtens; ſicut omnis pulcri fontana, & pulcritudinem excedenter in ſe ipſo prahabens.* Sed hæc demonſtratio, licèt operoſiùs confecta, ad divinam pulcritudinem probandam minùs accommodata videtur eſſe, ſaltem ex mente Philoſophi, cujus ex principiis cenſet Piccolomineus nullum ſimplex vt ſimplex eſt, eſſe pulcrum, ſed tantùm poſſe eſſe principium pulcri, quia in ſimplici nec ordo nec commenſuratio reperitur: vnde ſimplicia dicuntur pulcra per metaphoram & eminentiam, quatenus pura & præclara ſunt. Valet tamen hæc demonſtratio, quatenus per analogiam ad res corporatas informatur.

Probatur 5. ab effectis: Age enim, conſcende gradatim à non vivente ad vivens; ab hoc ad animal, mox ad hominem; inde angelos percurre ſpecie & forma diſſimiles. Jam hæc inter ſe compara, quid erit vermis ad hominem, homo ad angelum, infimus ad ſupremum, vnus ad omnes, omnes ad Deum? Deinde mundo nihil eſt formoſius, qui omnes omnium in ſe formas contineat vnus: at quota pars Dei mundus, quem vno verbi ſui nutu pulcrum pulcherrimus ipſe condidit? Age porrò, ſi Deus rebus creatis mundóque ipſi tantam pulcritudinem aſpe:ſit, qua hominum oculos detinet, animos ad ſe tam ſua-

ra, ſicut prima & ſumma entitas ſe habet ad omnia entia: at prima entitas eſt cauſa omnium entium: ergo & prima veritas eſt cauſa cujuſlibet veritatis; hinc

v. Eſt regula & menſura cujuſlibet veritatis, quia vnumquodque per ſuam cauſam & principium regulatur & menſuratur, ex Philoſopho.

vi. Eſt pura veritas, id eſt, veritas cui nihil falſitatis admiſceri poſſit; vt enim lux non poteſt eſſe tenebræ, ita divina veritas falſitas eſſe non poteſt; & aliunde cùm in ſubjecto non ſit, non patitur falſitatis admixtionem, in quo à luce diſtinguitur, quæ cùm ſit in ſubjecto, poteſt aliquid tenebrarum habere admixtum.

vii. Cùm Deus ſit ſumma perfectiſſimaque veritas & eſſendi rectitudo, infinitè diſtat à vanitate creaturarum & mendacio, quod ſummæ veritati opponitur.

§. III. *De bonitate Dei.*

Unica Observatio. Bonitas vt eſt affectio entis, duplex eſt; altera abſoluta, quæ eſt perfectio cujuſque entis: altera relativa, quæ eſt convenientia, quæ perfectiva dicitur. His adde bonitatem moralem, per quam natura intelligens congruenter rectæ rationi operatur.

I. Assertio. Deus eſt ſummè bonus bonitate tum abſoluta, tum relativa. Probatur prima pars: Deus eſt ſummè amabilis ratione ſui: ſummè autem amabilis eſt ratione ſui, quia ſummè perfectus: ſummè autem perfectus, quia omnem perfectionem poſſidet; ſubſtantialem quidem, quia per ſe ipſum & ſine dependentia

cujuſquam habet ſuum eſſe ; accidentalem verò, quia attributa quæ in rebus creatis accidentia ſunt, eſſentialiter continet ; putà ſapientiam, juſtitiam, &c. Denique cùm ſit finis vltimus rerum omnium, ad nullum aliud bonum ordinatur.

Probatur 2. Illud ens eſt ſummè bonum bonitate abſoluta, quod ita eſt bonum, vt ſit bonum per eſſentiam & ipſum bonum : Deus eſt ita bonus, vt ſit bonus per eſſentiam & ipſum bonum : ergo eſt ſummè bonus. Minor probatur 1. ex definitione Dei; cùm enim ſit ens ſine omni non ente, nulla perfectione carere debet. 2. Ex D. Gregorio Nazianz. qui oratione 36. Deum τὸ ἄκρως ἀγαθὸν, *ſummè bonum*, ſeu *ſupremum bonum* vocat. Ex D. Auguſtino 8. de Trin. c. 3. *Tolle hoc & illud bonum, & vide ipſum bonum, ſi potes ; ita Deum videbis, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.* Deinde ſic concludit : *Si amandus eſt Deus, non hoc & illud bonum, ſed ipſum bonum.* Ex Maximo : *Deus habet non ex accidenti, ſicut qualitatem aliquam habemus, ſicut nos virtutes habemus, ſed ipſa eſt boni ſubſtantia.* Itaque de ratione ſummi boni eſt, vt illi inſit omnis amplitudo boni ac perfectio, tam quæ extenſione conſtat, quàm quæ ſecundùm intenſionem dicitur.

Probatur ſecunda pars : Nihil eſt homini convenientius Deo, nihilque magis illius perfectivum ; quid enim magis homini conveniat, quàm ille qui omne malum arceat ab eo, omni bono cumulet, itáque appetitum illius pleniſſimè ſatiet ? Ad hæc, Dei in ratione vtilis & jucundi convenientia eſt infinita ; illud enim eſt infinitæ vtilitatis, quod naturis intelligentibus ſingulis

omni loco, omni tempore, adjunctis omnibus neceſſarium, promptum oportunumque eſt ad ſuum finem omnem conſequendum omnemque commoditatem: at talis eſt Deus. Item infinitæ quoque jucunditatis illud bonum eſt, cujus quò major eſt perceptio, eò majorem affert & formaliter & efficienter nobiliſſimæ ſpeciei voluptatem, eamque, ſi natura ſubjecti ferat, infinitam: at perceptio Dei vt jucundi, quò major eſt, eò majorem affert nobiliſſimæ ſpeciei voluptatem, vt patet ex inæquali beatorum felicitate, infinitam verò ipſi Deo ex ſui ipſius comprehenſione: ergo Dei in ratione vtilis & jucundi convenientia infinita eſt: ergo Deus ſummè bonus eſt relativè.

I. ASSERTIO. Deus eſt ſummè bonus bonitate moris. Probatur 1. bonitas moralis & ſanctitas idem ſunt. Deus eſt ſummè ſanctus, vt patet ex Iſaia c. 6. vbi Deus dicitur ſolus ſanctus ob ſummam quæ in eo eminet, ſanctitatem. Probatur 2. ratione: bonitas moralis in eo ſita eſt, vt natura intelligens honeſtè & laudabiliter conſtantiſſimè operetur: Deus non poteſt non honeſtè & laudabiliter conſtantiſſimè operari, quia ejus voluntas rectiſſima; rectiſſima autem, quia eſt regulæ ſuæ intimè conjuncta, imò & identificata, cui proinde diſſonare non poteſt.

III. Quoties Deus ad extra agit, & cauſam agendi ex ſe petit, agit vt bonus: dum autem rationem agendi ex parte creaturæ accipit, agit vt juſtus; Deus enim ex ſuo bonus, ex noſtro juſtus eſt, ex Tertulliano & Philone Judæo, qui cauſam mundi creationis in bonitatem Dei refundit lib. de mundi opificio. *Si quis*, inquit, *velit cau-*

ſam

ſam perſcrutari propter quam tota hæc fabricata eſt vniverſitas, non abhorret, opinor, à ſcopo, ſi hoc affirmet, quod & veterum quiſpiam dixit bonum eſſe parietem & opificem. Qua de cauſa optimam ſuam naturam nequaquam invidit ei ſubſtantiæ, quæ nihil ex ſe ſe boni habet.

§. IV. *Quæ ſint affectiones divinæ bonitatis.*

I. DEus eſt bonum per eſſentiam & ſubſtantivè: hinc Tertull. contra Marcionem lib. 2. c. 6. *Bonus naturâ Deus ſolus; qui enim quod eſt ſine initio habet, non inſtitutione habet illud, ſed naturâ.* Contrà verò bonum creatum adventitiam habet bonitatem.

II. Deus habet bonitatem à ſe, non ab alio, vtpote primus actus & primum bonum: vnde αὐτοτελής, per ſe & à ſe ipſo perfectus, à Dionyſio dicitur: bonum creatum habet bonitatem ab alio ſicut entitatem; hinc Deus ſoli comparatur, qui à ſe ipſo lumen habet; creaturæ verò ſtellis, quæ à ſole lumen mutuantur.

III. Dei bonitas illimitata & infinita, quia non habet à quo limitetur: creaturæ verò bonitas limitata & ad certam ſpeciem reſtricta, modum enim accipit ab artifice Dei ſapientia.

IV. Deus bonitatem omnem habet per ſimpliciſſimam eſſentiam abſque modo reali aut forma ſuperaddita; ſecus autem creatura, quæ diverſarum formarum acceſſione perficitur; hinc

V. Deus eſt ita ſummum bonum, vt augeri nunquam poſſit aut minui; cùm enim ſummum bonum ſit, perfectionem omnem poſſibilem continet: quare nihil ipſi boni accedere poteſt:

& cùm ſit bonum per eſſentiam, nihil poteſt ipſi detrahi, niſi amittat eſſentiam; hinc ad benefaciendum propenſiſſimus, quia benefaciendo nihil prorſus amittit de ſuo. Divinum eſt benefacere, & nobilius dare quàm accipere; ſed nobiliſſimum dare & nihil amittere: creaturæ bonitas poteſt ſine fine augeri & ad nihilum vſque imminui.

VI. Deus cùm primum bonum ſit, primum quoque eſt appetibile, ideóque per ſe & propter ſe appetibile, ſed vltimò parabile.

VII. Bonum divinum vt primum amabile, primum voluntatis creatæ amorem ſibi vindicat, centrum cordis in quo quieſcat, & menſura ad quam bonitas mediorum exigi debeat: quare à Philoſopho 7. Ethic. dicitur *principium ad quod intuentes, vnumquodque bonum aut malum dicimus.*

Ex dictis patet, cur Deus à Dionyſio ὑπέρτελης, *ſuperperfectus* vocetur, quia bonum eſt omni cogitatione majus.

VIII. Summè ſui diffuſivum tum ad intra, tum ad extra. Ad intra quidem per productionem Verbi & Spiritus ſancti; ad extra per creationem & conſervationem in ordine naturæ, & in ordine ſupernaturali per gratiam & gloriam. Item & perfectivum, quia Deus eſt auctor omnis perfectionis naturalis juxtà & ſupernaturalis, quæ in rebus creatis elucet. Natura quippe divina quàm tenax noſtri, tam prodiga ſui, ita plena ac ſuperplena omnibus bonis jugi ac perenni largitione redundat in nos ac ſuperfluit.

IX. Non neceſſariò, ſed ſponte ac ſuapte voluntate, etiam in ingratos & inimicos effundit

ſe ſe, non eblandita precum opportunitate, nec ſpe aliqua mercedis extorta, ſed invitis ſæpenumero & detrectantibus, aut certè ignaris minimeque cogitantibus beneficentiæ ſuæ munera objicit & confert. Habet præterea alias ſuæ excellentiæ dotes Deus, vt eſt bonus effectivè, quarum prima ſit: Deus non ſolùm erga res extantes, ſed nondum productas afficitur etiam ab æterno, juxta illud Jeremiæ: *In charit ate perpetua dilexi te.*

Secunda: Valet ad omnes opportunitates, nec definitum habet vſum, ſicut bonitas creata, quia eſt infinita & nulla re deficiens bonorum complexio: creatura autem vt naturam, ſic bonitatem habet finitam.

Tertia: Non ex toto ſe ipſam profundit, ſed ad vſum captumque rerum, quibus ſe communicet, vim & efficientiam accommodat.

Quarta: Ut ſol, ita & Deus nullo ſuo commodo vſum ſui omnibus impertit, & ſine vllo diſcrimine ac delectu omnibus prodeſt. Excipio bona ſpiritalia & æterna, quæ non paſſim nec in omnes dividit, ſed ſingula, vti viſum illi eſt, pro ſua prudentia diſpenſat.

Quinta: Omnia creata bona ſunt bonitate divina extrinſecè & cauſaliter: bonitate verò propria formaliter. Ratio eſt, quia vnumquodque dicitur bonum bonitate divina, ſicut primo principio, exemplari effectivo & finali totius bonitatis, & ſimul ſimilitudine divinæ bonitatis ſibi inhærente, à qua determinatur intrinſecè bonum.

Sexta: Bonum per eſſentiam prius eſt bono per participationem.

APPENDIX

De pulcritudine Dei.

I. OBSERVATIO. PULCRUM à bono differt, quòd bonum potentiam appetentem connotet, quam alliciat ad ſe ſe; pulcrum autem potentiam cognoſcentem cui placeat, & quam delectet: vnde definitur, id quod potentiæ cognoſcenti aptum eſt placere ſine motu, pulcritudo convenientia quædam rei cujuſque cum illa ſpecie & exemplari ad quod exigi natura ſua poſtulat: ſic imago pulcra dicitur, quæ archetypum ſuum refert; actio perfecta, quæ ingenitæ cujuſque animis honeſtatis ſpeciei & formæ congruit, ideóque pulcritudo ad cauſam formalem revocatur.

II. OBSERVATIO. Duplex pulcrum, ſenſibile & intelligibile; ſenſibile in rebus compoſitis: intelligibile in rebus ſimpliciſſimis reperitur.

UNICA ASSERTIO. Deus eſt ſummè pulcher. Probatur 1. Pulcritudo nullibi perfectior, quàm in primaria rerum omnium idea: Deus eſt primaria rerum omnium idea & exemplar abſolutiſſimum, quod quidquid pulcritudinis ſparſum eſt in rebus creatis, totum in ſe tanquam in fonte colligit: ergo Deus eſt ſummè pulcher; hinc à D. Dionyſio lib. de divin. nom. c. 4. dicitur non tantùm cauſa effectiva omnium pulcritudinum, ſed etiam cauſa finalis, quia pulcri causâ cuncta fiunt, & cauſa exemplaris, quoniam ſecundùm ipſum cuncta pulcra determinantur.

Probatur 2. Pulcritudo à forma oritur, quæ re-

bus ſingulis decorem affundit ac venuſtatem: at Deus eſt actus puriſſimus & forma formarum, quæ nihil habet potentiæ admixtum: ergo pulcherrimus.

Probatur 3. Pulcritudo idem eſt ac perfectio rei & bonitas: ergo Deo nihil eſt perfectius, quo nihil poteſt excogitari perfectius ac melius.

Probatur 4. Tria ex D. Thoma pulcritudinem componunt, integritas, proportio & claritas, cui conſentit Auguſtinus lib. 22. c. 19. vbi ad pulcritudinem partium congruentiam cum quadam coloris ſuavitate requirit; hinc pulcritudo aut lux quædam eſt, aut nunquam ſine luce; & quò lucidiora ſunt corpora, eò pulcriora ſunt & habentur: at tria hæc Deo, quantùm rei ſpiritalis natura patitur, inſunt & quidem perfectiſſima. 1. Integritas non deeſt, tum quia habet totum eſſe, quod ad naturam entis perfectiſſimi requiritur, eſt enim vniverſaliter ens: tum quia eidem inſunt omnia attributa, quæ naturæ divinæ integritatem quaſi componunt. 2. Inter eadem attributa decens eſt proportio: ſic miſericordia juſtitiæ, viciſſimque juſtitia miſericordiæ conſentit. Juſtitia ſine paſſione eſt, quia ſine iræ commotione punit; miſericordia ſine compaſſionis affectu, quia ſine teneritudinis ſenſu miſerias levat: juſtitia gratiam coronat, cùm merita compenſat; miſericordia gratiarum largitione merita antevertit: juſtiſſimum eſt miſericordiæ exercitium, quia bonitati infinitæ maximè congruum; miſericordiæ quoque pleniſſimum juſtitiæ exercitium, quia damnatos infra meritum punit, beatos verò ſupra meritum remuneratur. Quid plura? *Vniverſæ viæ Domini miſericordia & veritas, juſtitia & pax*

oſculatæ ſunt. Neque verò minor omnipotentiæ cum bonitate conſenſio. Illa ex nihilo naturæ extrahit omnia, nulla præjacente materia; hæc bona egentibus gratuitò largitur: ambæ in rerum omnium procreatione juxtà & conſervatione mutuam ſibi quaſi operam præſtant: omnipotentiæ in agendo, finis vna bonitas; bonitas omnipotentiam ad agendum applicat, vt cogitata perficiat. Divinitas omnipotentia beneficentiſſima aut bonitas omnipotentiſſima. Denique quid cohærentius vnitate eſſentiæ cum perſonarum Trinitate? Unitas Trinitatem non confundit, Trinitas vnitatem non dividit: habent ab vnitate eſſentiæ tres Perſonæ, vt ſint vnus Deus; à Trinitate Perſonarum, vt in tribus ſuppoſitis ſubſiſtat, habet Deus: vnitas in perfectionibus abſolutis pares facit, Trinitas in perfectionibus relativis diſpares; præſtat vnitas, vt Deus ſit ſolus; Trinitas, ne ſit ſolitarius: & ita ſupremum illud ens vnum eſt ſine ſolitudine, trinum ſine multitudine. Quid congruentius magiſque commenſum? 3. Claritatem, quæ eſt pulcritudinis quaſi flos & color, habet Deus à ſumma puritate, quippe qui ſit actus ſummè purus. Eſſe ipſius creaturæ actuale quidem eſt, dum extat: at certè multùm habet potentiæ paſſivæ admixtum; cùm & potuerit non exiſtere, &, poſtquam extitit, æternùm poſſit non eſſe, quia ex Dei nutu in ſui productione & conſervatione pendet. At Deus cùm ſit ens ſummè neceſſarium, abſolutum, independens, non poteſt non eſſe. Sua item rebus creatis pulcritudo ineſt, ſed fluxa & caduca. Nihil ad aſpectum jucundius ipſa florum amœnitate & colorum qua diſtinguuntur mirabili va-

rietate ipſa tamen ſtatim marceſcit & extinguitur : ſole nihil jucundius, ſed deficit identidem & obſcuratur. Unius Dei pulcritudo nec marceſcit vſquam, nec deficit, nec extinguitur, quia actus eſt puriſſimus. Meritò itaque D. Dionyſius de divin. nom c. 4. pronuntiat : *Summum bonum pulcrum eſt ſecundùm ſe ipſum, & cum ſe ipſo & vniforme ſemper exiſtens; ſicut omnis pulcri fontana, & pulcritudinem excedenter in ſe ipſo prahabens.* Sed hæc demonſtratio, licèt operoſiùs confecta, ad divinam pulcritudinem probandam minùs accommodata videtur eſſe, ſaltem ex mente Philoſophi, cujus ex principiis cenſet Piccolomineus nullum ſimplex vt ſimplex eſt, eſſe pulcrum, ſed tantùm poſſe eſſe principium pulcri, quia in ſimplici nec ordo nec commenſuratio reperitur : vnde ſimplicia dicuntur pulcra per metaphoram & eminentiam, quatenus pura & præclara ſunt. Valet tamen hæc demonſtratio, quatenus per analogiam ad res corporatas informatur.

Probatur 5. ab effectis: Age enim, conſcende gradatim à non vivente ad vivens; ab hoc ad animal, mox ad hominem; inde angelos percurre ſpecie & forma diſſimiles. Jam hæc inter ſe compara, quid erit vermis ad hominem, homo ad angelum, infimus ad ſupremum, vnus ad omnes, omnes ad Deum? Deinde mundo nihil eſt formoſius, qui omnes omnium in ſe formas contineat vnus : at quota pars Dei mundus, quem vno verbi ſui nutu pulcrum pulcherrimus ipſe condidit? Age porrò, ſi Deus rebus creatis mundóque ipſi tantam pulcritudinem aſperſit, qua hominum oculos detinet, animos ad ſe tam ſua-

viter allicit atque evocat; quantò Deus pulcrior, à quo vt è fonte ſpecies illa eximia & decor effluxere? Urget hoc argamentum Hilarius. *De magnitudine*, inquit, *operum & pulcritudine creaturarum conſequenter generationum conditor conſpicitur. Magnorum creator in maximis eſt, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis eſt: & cùm ſenſum ipſum ſupergrediatur operatio, omnem tamen ſenſum longè neceſſe eſt excedat operator.*

Probatur vltimo ex conjecturis. Nam 1. quanta illa pulcritudo, quæ omnis pulcritudinis creatæ principium & finis, quam in ſe continet, ſed citra imperfectionem omnem, quia eminenter continet; quæ ſemper nova, quia infinita; ſemper antiqua, quia nunquam alia; quæ quotidie pariens in patre, quotidie naſcens in filio, in vtroque ſemper amor & ſemper amans, nunquam effœta, ſimplex & tota, multiplex & vna; perpetuò orta effloreſcens, nec conſeneſcens vnquam? *Neque enim oritur, neque occidit*, inquit Dionyſius, *neque creſcit, neque minuitur: non partim pulcrum, non partim turpe, vel aliquando pulcrum eſt, aliquando non eſt: neque hic non eſt, iſtic non eſt. Tanquam quibuſdam pulcrum ſit, quibuſdam non ſit, ſed ideo quod ipſum per ſe ſecumque & vniuſmodi ſemper eſt pulcrum.*

2. Quàm eximia & rapax, quæ homines, angelos, Deum ipſum ſola ſui viſione æternùm detineat ac beet; tam potenter omnium mentes moveat & alliciat, vt nullum aſpectum inter & affectum relinquat deliberandi locum; tanta voluptate perfundat, vt appetitum exſatiet, *ſatietas* quippe *gaudiorum cum vultu tuo*; tam dives & fœcunda, vt ex jugi illius & perenni intuitu Pater

Filium æternum generet; Pater & Filius Spiritum ſanctum, qui amborum nexus & vinculum, producant? Tria quippe divinæ pulcritudinis effecta in Deo: 1. mentem divinam rapit, & in ſui contemplatione ſemper detinet: 2. gaudio ineffabili & complacentia quadam infinita afficit: 3. amorem infinitum & neceſſarium ſui excitat, qui eſt Spiritus ſanctus ex mutuo Patris & Filii complexu mirabiliter exiſtens. *Ille* quippe *ineffabilis complexus Patris & Filii*, inquit Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. 10. *non eſt ſine perfruitione, ſine caritate, ſine gaudio: & hic eſt Spiritus ſanctus, genitoris, genitique ſuavitas, ingenti ubertate perfundens creaturas*

3 Quanti facienda illa pulcritudo, cujus fruendæ vel vnum momentum totius æternitatis diſpendio comparandum cenſet Auguſtinus. Et tamen, proh hominum amentia! cum vnum vitæ illius pulcherrimæ momentum æternitate iis emendum ſit, æternitatem totam momento vitæ turpiſſimæ poſtponere non dubitant: amant perditè vmbram illius eximiæ pulcritudinis, & imaginem rebus creatis impreſſam in ſinu, in oculis ferunt, ipſam pulcri ideam averſantur, ſectantur rivulos, ad fontem digitum nolunt intendere; ſupremos honores inanibus ſimulacris deferunt, Deum omnis pulcritudinis auctorem ejurant; & cùm apud Deum ſolummodo amare ſimul & ſapere liceat, nec amant ipſum, nec ſapiunt ipſi. Adeo *vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei? & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gy-*

rum ſtellarum, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt, Sap. 13. Ama ergo, ſi ſapis, vnum Deum ſuper omnia, qui eſt *pulcritudinis vniverſa poteſtas, & ſlos ipſe pulcram efficiens pulcritudinem, pulcritudinis principium & finis*, inquit Plotinus Ennead. 6. lib. 6. qui *ſuperſubſtantialis pulcrorum pulcritudo dicitur.* Ex Dionyſ. lib de divin. nom. c. 4. *Propter traditam omnibus exiſtentibus juxta proprietatem vniuſcujuſque pulcritudinem.* Memineriſque quòd *peritus artifex ex vili materia fecit oriri ingentem pulcritudinem, non vt forniceris, ſed vt ſuam tibi oſtenderet ſapientiam*, ait Chryſoſtomus in Pſal. 43.

II. Assertio. Non impar in Deo pulcritudini gratia. 1. Quia ſi gratia eſt externus rationis fulgor, in Deo ſumma perfectiſſimaque ratio, adeóque omnia agit vt ipſa ratio ageret: quid autem congruentius quàm opus ſummæ rationis? 2. Si gratia in homine eſt congruens dexteritas in obeundis munerum functionibus ex recta animi & corporis conſtitutione conſurgens, ſummam in Deo gratiam eſſe ex eo conſequens eſt, cùm ex regulis ſummæ ſapientiæ & exquiſitæ prudentiæ omnia conſtituat, diſponat & agat. Hæc autem gratia in Chriſto, quandiu inter homines verſatus eſt, potiſſimùm eluxit, præſertim in ſermone, in congreſſu, geſtibus, motibus corporis & actionibus. hac quippe gratia conciliatrice omnium animos ſibi devinciebat, & in Apoſtolorum mentes tam ſuaviter inſinuabat ſe ſe, vt ab eo ægrè avelli ſe paterentur; hinc à Propheta, *gratia in labiis ejus diffuſa* dicitur. & alibi: *Calamum quaſſatum non confringet, & lignum fumigans non extinguet*, &c.

DISPUTATIO IV.

De attributis Dei negativis ſeu modalibus.

ATTRIBUTA modalia vocant Theologi, quæ modum exprimunt, quo Deo quælibet perfectio convenit, ideóque modi appellantur. Negativa etiam appellant, quòd negationibus modorum oppoſitorum explicentur, qui nobis ideo notiores ſunt, quòd creaturis inſint. Porrò verbo tenus negativa ſunt, omnis enim perfectio quæ in Deo eſt, verè eſt poſitiva. Inter hæc attributa recenſentur aſeitas, ſimplicitas, illimitatio, infinitas, immutabilitas, incomprehenſibilitas, æternitas : quidam aſeitatem modalibus annumerant, à qua proinde initium dicendi facio.

ARTICULUS I.

De aſeitate Dei & abalietate creaturæ.

QUONIAM aſeitatis ratio cum ente ſimpliciter à multis confunditur, aut certè ab eo immediatè fluit; ideo de aſeitate primùm diſputabimus, de abalietate creaturæ deinde acturi.

§. I. *De aſeitate Dei.*

QUATUOR de aſeitate Dei quæremus : 1. quid ſit, 2. an ſit, 3. quomodo Deo conveniat, 4. an poſſit creaturæ communicari, 5. quæ ex aſeitate inferri debeant.

I. ASSERTIO. Aſeitas modus eſt, quo Deus ob excellentiam ſui infinitam ita ſibi ſufficiens eſt, vt nullâ cauſâ egeat, à qua produci, conſervari & perfici aliquatenus poſſit : abalietas autem, modus eſt, quo creatura à Deo in omni genere cauſæ, vtpote ex nihilo orta, pendet ac perficitur. Utriuſque definitionis bonitas ex eo patet, quòd prima Deum à creatura, ſecunda verò creaturam à Deo diſtinguat. Aſeitas independentia; abalietas verò, dependentia appellatur.

II. ASSERTIO. Deus eſt ens à ſe. Probatur 1. Quia Deus eſt ens ſimpliciter : ergo opponitur omni non enti : ergo eſt ſine omni non ente : ergo prorſus independens ab omni cauſa, tum vnivoca, alioqui non eſſet primum ens, nec principium omnis entis; tum æquivoca, quia cùm cauſa æquivoca ſit præſtantior ſuo effectu, cauſa à qua Deus produceretur, eſſet ipſo perfectior ; & ita poſſet dari aliquid Deo melius ac nobilius. 2. Deus non poteſt eſſe ab alio vt principio ſui efficiente ; ergo eſt ens à ſe. Prob. ant. ens quod non poteſt eſſe in potentia objectiva, non poteſt eſſe ab alio vt principio ſui efficiente : Deus non poteſt eſſe in potentia objectiva, quia eſt ens actualiſſimum, ſimpliciſſimum, puriſſimumque : ergo non poteſt eſſe ab alio vt principio ſui efficiente.

Jam ſi eſt à ſe, eſt quoque propter ſe, vt ſuo loco oſtendemus: ergo cauſam finalem non habet; hinc Ariſtotelis pronuntiatum lib. 2. de cælo: *Ei quod optimè ſe habet, nihil actione opus eſt, quia eſt id ipſum, cujus gratia.*

III. Assertio. Deus eſt à ſe non poſitivè, ſed negativè. Probatur prima pars: quia ſi Deus eſſet à ſe poſitivè, ſe ipſum produceret: non poteſt ſe ipſum producere, quia eſſet ſimul prior & poſterior ſe ipſo; prior quidem, quatenus eſſet effector ſui; poſterior autem, quatenus eſſet effectus: ergo Deus non poteſt eſſe à ſe ipſo poſitivè. Hinc à S. Juſtino οὐδὲ αὐτόπρακτος, οὐδὲ ἑτερόπρακτος, *nec à ſe, nec ab alio factus* dicitur. Probatur ſecunda: eſſe à ſe negativè, eſt carere cauſa ſuperiore, à qua eſſe acceptum ſit: Deus caret cauſa ſuperiore, à qua eſſe acceperit: ergo eſt à ſe ipſo negativè.

Hinc ab antiquis Theologis αὐτοφυὴς, ἀγέννητος, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἄκτιστος, *à ſe ipſo factus*, nempe negativè, *ingenitus, ſine patre, ſine matre, non factus*; à D. Cyrillo, *ens incauſatum*; à Paſchaſio l. de Spiritu ſancto, *fons fluminis ſui*; à Phæbadio lib. contra Arian. *ens quod quid eſt, ſibi debet*; à Platone, *ens abſque origine* nuncupatur. Poteſt tamen dici ens à ſe aliquatenus poſitivè formaliter, quatenus ſibi ipſi eſt quaſi forma & actus eſſendi: quo ſenſu D. Hieronymus dixit comment. ad Epheſ. 4. Deum *eſſe ſui originem ſuaque cauſam ſubſtantiæ*, quaſi formalem intellige.

IV. Assertio. Aſeitas Deo perfectiſſima convenit. Probatur: datur in Deo independentia tanta, quanta poteſt eſſe maxima; quippe quæ omnem omnino dependentiam quæ eſt in crea-

tura, tum ratione primæ productionis, tum ratione conſervationis, tum ratione operationis, tum ratione beatitudinis, excludat; Deus enim à nullo alio ente creari poteſt aut conſervari, operatur cùm lubet, ſe ſolo dives ac beatus eſt, nec alio bono, ſed ſe ipſo bonus, id eſt, beatus.

V. Assertio. Aſeitas ita eſt Dei propria, vt nulli creaturæ communicari poſſit. Probatur; quia creatura quæcunque ſit, eſt ens ab alio: ergo ex non ente, imò plus habet de non ente, quàm de ente; nam v. g. homo qui nihil erat ante ſui creationem, dum à Deo conditus eſt, cùm non totum eſſe totaliter, ſed partem tantùm acceperit, non ſe ex toto prorſus nihilo expedivit; eſt enim adhuc non aſinus, non leo, non angelus, &c. Hinc finitudo illius ſummaque dependentia à Deo in omni genere cauſæ, & in eſſendo & in agendo, vt fusè oſtendimus in Phyſica vniverſ. tom. 1. part. 2. diſp. 5. a. 2. §. 1. & 2. & in Ethica tomo 1. diſp. 2. a. 3. locum conſule.

§. II. *Conſectaria ex aſeitate.*

Ex aſeitate quinque inferuntur. 1. Deus eſt primum principium rerum omnium, quia cùm ſit ens à ſe, ante ipſum nihil eſt, & poſt ipſum aliquid eſt, vnde dicitur primum, id eſt, antiquiſſimum, quia nihil ante ipſum nec cum ipſo ab æterno fuit, quod ſit cauſa rerum. Primum item dignitate, quia ſupremum: quare habet à ſe potentiæ infinitatem, artem, ſapientiam, & ideam ſui operis, cujus item & finis. Denique dicitur primum, quia omnium aliorum

principiorum & cauſarum eſt cauſa efficiens, exemplar & finis. Ab ipſo quippe materia indolem & aptitudinem ad recipiendam formam, omnis forma ſuam ſpeciem ac venuſtatem, vtraque ſuam proportionem; omnis cauſa effectrix vim operandi, omnis cauſa exemplaris & ars vim dirigendi, omnis cauſa finalis vim illecebroſam accepit. *Ex ipſo quippe, per ipſum & in ipſo ſunt omnia,* inquit Paulus. *Ex ipſo* tanquam ex primaria & archetypa idea, quia ab æterno omnia mente concepit; *per ipſum*, vt cauſam efficientem, nam ſe ſolo omnia condidit: *in ipſo*, Græcè: *propter ipſum*, vel *ad ipſum*, quia omnium finis.

II. Eſt ens ſummè neceſſarium, quia cùm ſit ens à ſe, habet exiſtentiam ab eſſentia ſua, adeóque non poteſt eſſe contingens; ſed ipſius Dei eſſe tota & abſoluta neceſſitas. Beata planè & amabilis neceſſitas, quâ Deus neceſſariò eſt, & aliquando non eſſe non poteſt. Tantùm quippe abeſt, vt neceſſariò eſſe nolit, vt etiam ſine fine gaudeat, quòd non ſolùm non eſſe, ſed neque aliter eſſe vlla ratione non poſſit; quia Deus non eſſet, ſi aliquando aut aliter quàm ſit, eſſe poſſet.

III. Nullius rei indigus, ſed ſibi vni ſufficientiſſimus, quia ſummè independens; hinc à Gregorio Nazianz. dicitur τὸ ἦν καθ᾽ ἑαυτὸ, καὶ ἐκ ἄλλων ἀνενδεέστερον. Hanc Dei ſufficientiam bellè exprimit Chryſologus: *Nec fons ſitit, nec panis eſurit, nec ſol indiget luce, nec requies ipſa laceſſit.* Huc adde, ita Deum ſibi ſufficere, vt tamen non ſuperſit. Totum quod eſt, neceſſarium ſibi eſt.

IV. Hinc etiam cùm agit ad extra, agit liberrimè, non neceſſariò, non ex debito, ſed gratuita liberalitate;

v. Quò creatura propiùs ad Deum accedit, eò minùs dependet, quia Deo ipſi ſimilior.

§. III. *De abalietate creaturæ, ejuſque conſectariis.*

UT abalietas ſeu dependentia creaturæ à Deo perfectiùs cognoſcatur, juvat illam cum aſeitate Dei ſeu independentia componere, & ab vtriuſque quidditativo conceptu diſcrimen vtriuſque repetere: quare ſit

I. Pronunciatum. Deus eſt ens ſimpliciter, adeóque omne eſſe continens vel formaliter, vel eminenter, nihil habens in ſe niſi quod eſt eſſe: creatura aliquod ens ſeu pars entis ipſius, cujus partem tantùm capit, quia eſt certa quædam portio divinæ eſſentiæ. Patet hujus pronunciati veritas ex definitione Dei jam tradita.

II. Quia Deus eſt ſimpliciter ens, nihil habet de non eſſe, nec actu, nec potentiâ, imò omne non eſſe ac nihil penitus excludit: quia creatura eſt tantùm aliquod ens ſeu pars entis, licèt excludat non ens cui opponitur, v. g. rationale non rationale, tamen non excludit omne non ens, imò partim eſt ens, partim non ens: v. g. homo per ſe quidem eſt animal rationale, ſed eſt etiam non leo, non lapis, non Deus; neque enim homo cùm cœpit eſſe, cùm antea nihil eſſet ante ſui creationem, perdidit ipſum nihil totaliter, quia non totum eſſe accepit, ſed partem illius. Certè res creatæ ſecundùm quod ſunt, non omnino ſunt, ſi Deum vnum excipis: ergo ſecundùm id quod ſunt aliquomodo, & non omnino, admixtum quodammodo habent non

ens cum ſuo ente : ſic homo cùm eſt animal rationale, eſt ſuo modo non lapis & non Deus. Hinc à SS. Patribus creatura quælibet dicitur componi ex ente & non ente, plus habere de non ente quàm de ente, cujuſque creaturæ entitas ab ipſo non ente exuperari, infinita, vt ita dicam, negatione circumdari : vnde in homine, & ipſo etiam angelo ſumma demiſſio naſci debet. Porrò hæc compoſitio non phyſica, ſed metaphyſica appellanda ; Metaphyſica enim conſiderat purum ens & non ens negativè.

III. Quia Deus eſt ſimpliciter ens, eſt ens non contractum, non limitatum, non circumſcriptum : quia creatura eſt ens tantùm ſecundùm quid, ideo eſt ens finitum, contractum, limitatum ; vt enim entis omnino, eſt eſſe omnino : ita entis aliquomodo, eſt eſſe aliquomodo. Et ſicut non entis ſimpliciter, eſt non eſſe ſimpliciter, ita non entis ſecundùm quid, eſt non eſſe ſecundùm quid, non poſitivè quidem, ſed negativè.

IV. Hinc Deo & creaturæ nihil vnivocè convenit, ſed tantùm analogicè, tum quia ens eſt in Deo & creatura inæqualiter ; eſt enim in Deo vt totum, in creatura vt pars ; pars autem eſt inæqualis toti, tùm quia ens Deo convenit primariò & infinitè, creaturæ ſecundariò & per participationem, tum quia enti & non enti nihil eſt vnivocum : at creatura eſt non ens ſaltem inadæquatè, pluſque habet de non ente quàm de ente.

V. Quia Deus eſt ens ſimpliciter, ideo eſt ens à ſe, vt §. I. confecimus : quia creatura eſt ens ſecundùm quid, adeóque ex non ente, eſt ens ab alio. Rurſus vt eſſe ens à ſe nihil aliud eſt quàm Deum eſſe tale ens, cui ob plenitudinem entis

competit eſſe neceſſariò, & independenter ab omni alio principio, quod non ſit Deus: ita eſſe ens ab alio, nihil aliud eſt quàm creaturam ob partem entis quam capit, non poſſe eſſe in natura, niſi eſſe ei communicetur ab alio.

VI. Quia Deus eſt ens à ſe, ideo ſummè independens. Quia creatura eſt ens ab alio, ideo ſummé dependens, hoc eſt, eſſentialiter; ſi eſſentialiter, ergo neceſſariò & ſemper & vbique. Tanta quippe eſt dependentia creaturæ à Deo, quanta eſt amplitudo entis à ſe & entis ab alio, quia diuidunt ens & quidem immediata diviſione: vnde neceſſe eſt creaturam pendere à Deo in omni realis entis ratione, & in omni omnino perfectione; cùm enim Deus habeat à ſe ipſo omnem perfectionem poſſibilem, quæ poteſt de Deo affirmari per verbum *eſt*, neceſſe eſt vt creatura omnem quam habet perfectionem, vni Deo referat acceptam, quia eam habet per continuam Dei influentis actionem.

VII. Vt ex ratione entis ſimpliciter & à ſe perfectio quælibet Dei eſſentialis vel proximè vel remotè oritur: ita ex ratione entis ſecundùm quid & ab alio ac proinde ex non ente, imperfectio quælibet creaturæ naſcitur; hinc quia Deus eſt ens ſimpliciter & à ſe, immutabilis: creatura, quia eſt ab alio, mutationi obnoxia; hoc enim ipſo quòd eſt ab alio, partim eſt ens, partim non ens, quia non eſt omnino ens. Hinc vides cur ab Auguſtino libro de cognitione veræ vitæ creaturæ dicantur *in nihilum tendere, mori & transmutari.* Non tamen Deus permittit in nihilum penitus abire, ſed dum labuntur ad non ens, in aliud ens tranſmutantur; ſphæra quippe entis infinita, quæ non permittit extra ſe quidpiam ex potentia

ordinaria ite, ſed tranſmutationem amat, vt idea divina modis innumeris repræſentetur & communicetur, quo nihil melius, inquit ſubtilis Theologus.

VIII. Deus, quia eſt ens à ſe, omnia habet à ſe: creatura, quia eſt ens ab alio, nihil habet à ſe; quod enim ſe ipſum à ſe non habet, quomodo aliquid à ſe haberet? Itaque creatura maximè indiga opis alienæ, & deficiens: eſſe ipſius Dei omnium bonorum theſaurus; eſſe ipſius creaturæ mera ad recipienda Dei dona capacitas.

IX. Deus, quia eſt ens à ſe, nulla re indiget, vt ſit, conſervetur & agat: creatura, quia eſt ens ab alio, indiget cauſa à qua ſit, jugiter conſervetur, & quâ coagente agat. Non alius quippe à Deo primus auctor & fictor creaturæ, ille operis inventor, idem & ſculptor: qui olim condidit formavitque hominem in horto, nunc in vtero, matre etiam inſcia & non cogitante, *totum in circuitu* propriis manibus, & *quaſi laboranti ſimilis* effingit. Neque tantùm primum effingit, ſed jugiter ſuo operi incumbit, ſervatque perenniter. *Non enim fecit, & abiit.* Prima quidem creatio momento peragitur, ſed conſervatio jugis & perpetua: vnde fit vt creatura nobiliſſima ſemper ſit opus imperfectum, nunquam in facto eſſe, ſed in fieri ſemper, nec tam res quàm modus Dei, & veluti ἀποσφράγισμα, ſeu forma ex impreſſione Dei, tanquam primævi & vniverſalis ſigilli reſultans, non in ſolida aliqua materia, quæ detracto ſigillo impreſſam ſibi ſpeciem retinere valeat, ſed quaſi in fluxa & evanida in nihilo; ſublato quippe ſigillo ne ad momentum quidem

ſtare poteſt, ſed aſſidua ejuſdem impreſſione ad ipſius creaturæ extantiam opus eſt. Meritò itaque quamlibet eſſentiam creatam nihil aliud eſſe pronuntiat Scotus in 2. diſtinct. 2. q. 2. quàm dependentiam ſui à Deo, à quo funditus æternumque pendet; hinc diſcrimen agentis naturalis à ſupernaturali, quòd illud ſit tantùm cauſa motûs ſeu fieri ipſius rei; hoc autem ſit cauſa totius eſſe, & ideo ſemper adeſt ſuo effectui; hinc contingentia creaturæ quoad eſſe jam collatum. Sicut enim Deus potuit non dare ipſum eſſe creaturæ, ita cùm dedit, poteſt ad nutum adimere, hoc eſt, in nihilum redigere, ſubtracto concurſu conſervante. Denique nihil poteſt quoque agere, niſi Deo coagente; otioſa quippe & iners virtus omnis creata, quam Deus non exſuſcitat, & inter agendum ſua vi & efficientia non corroborat, vt oſtendimus fusè in Phyſica vniverſali tom. 1. Ratio quippe perfectiſſimi dominii id exigit, vt actionem creaturæ ſuſpendere, minuere & augere poſſit ad nutum ſuum, quod præſtat per concurſus ſubtractionem aut vberiorem ejuſdem influxum. Hinc vt prima cauſa dicitur priùs influere, 1. quia cauſa ſecunda non influente, priùs ſæpe influit. 2. Quia plus omnibus cauſis ſecundis operatur; nulla enim cauſa ſecunda habet eſſe & operari ſine Deo. 3. Quia producit totum eſſe effectus, creatura tantùm partem; agit enim ex præjacente materia. 4. Quia Deus poteſt ſe ſolo agere, creatura nunquam ſine Deo; vnde actio vt eſt à Deo, eſt prior ſubſiſtendi conſequentia. 5. Quia nobiliori modo operatur, vnde actio eſt prior dignitate, vt eſt à Deo, tanquam cauſa principe & vniver-

ſali. Deinde quia cauſa prima ſemper habet rationem cauſæ, ſecunda verò etiam rationem effectus. Denique ſæpe tardiùs cauſa prima recedit ab effectu, quia ſublato concurſu cauſæ ſecundæ ſe ſola conſervat effectum. Quæ omnia adhuc in ordine gratiæ clariùs patent; nam Deus gratiâ ſuâ 1. prævenit, 2. cooperatur, 3. ſubſequitur, 4. nobiliùs operatur, quia juſtificat, gratificat, ſalvat; denique nunquam deſerit, niſi priùs deſeratur.

x. Deus quia eſt à ſe, ſimpliciſſimus; quia creatura eſt ab alio, in compoſitionem cadit, juxta effatum veterum Philoſophorum: *Primum principium eſt hoc tantùm; omne aliud eſt hoc & hoc.* Hinc aptitudo creaturæ cujuſlibet ad recipienda accidentia phyſica tum abſoluta, tum modalia; hinc etiam penes Deum eſt, quamlibet creaturam, quandiu extat, minuere vel augere; quæ dona ipſi conceſſit, adimere; collata novis iiſque majoribus cumulare; fortunam illius ſtabilire, aut ſtabilitam momento evertere; ſi ſe attollat altiùs & efferat, deprimere eandem penitus atque abjicere. Ratio à priori eſt, quòd creatura, quanta eſt, à Deo tota planè ſit, & quidem liberè agente & conſervante.

xI. Ita creatura quælibet eſt à Deo, vt particulam entis exiguam ab eo accipiat, adeóque plus habet de non ente quàm de ente. In vno homine quot non entia? eſt non angelus, non Thronus, non Seraphin, non leo, non Deus, &c. Hinc fit 1. vt creaturæ perfectiones divinas longè meliùs propriorum defectuum oppoſitione, quàm ſuis perfectionibus repræſentent. Hinc 2. quilibet homo ad Deum ſe habet quaſi gutta ad ocea-

num, quaſi atomus ad inane infinitum, quaſi punctum ad ſpatium imaginarium. Fallor, nimium vni homini tribuo; nam ſi tot creaturæ, quæ hactenus extitere exiſtentque in poſterum, ante Deum gutta ſunt quaſi roris antelucani, minùs dico, quaſi nihilum & inane reputantur, certè vnus homo nihilo minùs quiddam videbitur. Hinc 3. totum ſe Deo vni debet homo, & quidem duplici titulo; & ex eo quod eſt, & ex eo quòd non eſt: quidquid eſt, debet ipſi Deo, quia à Deo accepit; & id ipſum quod non eſt, Deo aſtringit eundem, quia particulam entis quam delibavit ex eo, inter tot entia, quæ ipſe non eſt, nihil aut fere nihil eſſe oſtendit: id quod divina bonitas gratuita contulit manu, fidem illius Deo obligat: & id quod non eſt, Deo ita decernente, vel potiùs permittente, ſubmiſſionem animi & reverentiam poſtulat.

XII. Portio entis, quam à Deo homo accepit, licèt perexigua ſit, innumeris vinculis iiſque arctiſſimis Deo aſtringitur, quorum ſi vel vnum ſolvatur, in nihilum, ex quo eum extraxit Deus, relabitur. Nulla quippe particula portionis illius, quæ à toto Deo & ſingulis ejus attributis tota non pendeat; nulla v. g. pars in corpore hominis, nulla in parte qualibet atomus, quæ non ab vnitate naturæ à qua eſſe accepit, à Perſonarum Trinitate, cujus ex prævio, vt ita dicam, ſenatuſconſulto, ſingulæ partes ſuo ſunt ordine digeſtæ, à ſapientia quæ ipſam regat, à potentia quæ ſuſtentet, ab æternitate in quolibet vitæ momento, ab immenſitate in quolibet loco, à providentia in omnibus vitæ caſibus non pendeat.

XIII. Portio entis, quam accepit, non in ortu

perfecta, ſed rudis primùm & impolita; hæc enim lex ſingulis naturis indita jam inde ab ortu mundi, vt nihil ſimul natum ſit & perfectum, ſed quibuſdam incrementis ad id quod ſummum eſt, ſenſim perveniat. Nam ex Auguſtino ſerm. 92 de verbis Domini: *Qui jam exultat pullus, olim ovum fuit; & qua ramos longè lateque diffundit arbor, olim exile ſemen erat; quod ſenſim vbi radices egit, alimentum è terræ viſceribus naturæ ſuæ vi exuctum, in eam altitudinem & fructuum vbertatem protruſit.* Eam ob rem Ariſtoteles lib. 2. Metaph. c. 2. cujuſque rei principium mancum imperfectumque appellat, quod paulatim mutationum quadam viciſſitudine, vel forma excellentiori, vel majori perfectionis adventitiæ gradu denique abſolvatur. *Sicut*, inquit, *ſenſim ex puero fit vir, & ex diſcente ſciens, & ex aurora dies.* Hinc aviditas progreſſionis ſingulis naturis, & vires à Deo vt auctore naturæ & gratiæ, inditæ & collatæ, quibus perfectionem naturæ ſuæ & ſtatui congruentem conſequantur. Et in ipſo homine, quamvis peccando nec pietatem, nec felicitatem tenuerit, voluntas & deſiderium felicitatis, felicitate etiam perdita, remanſit, inquit idem Auguſtinus. In quo ſanè Dei providentia erga hominem elucet; ſi enim eum non ſtatim ditavit ab ortu, id amore fecit, non avaritia: nec vt perpetua in egeſtate relinqueret, ſed vt ſenſum ipſi ſummæ humilitatis ingeneraret, & ad id quod deerat ipſi, petendum excitaret; hinc quippe neceſſitas in naturis intelligentibus ad Deum recurrendi, adhærentiæ, & perpetui cujuſdam cum ipſo commercii, quo quidquid ipſis liberaliter conceſſit, offerre, & quidquid ad perfectio-

nem tum corporis, tum animæ requiritur, efflagitare tenerentur.

XIV. Ex hac quippe excellentia primi principii ſeu entis à ſe, ac multiplici creaturæ rationalis dependentia, 1. innatus cuilibet naturæ, etiam rationis impoti, amor Dei, & quidam religionis inſtinctus, qui cultus metaphoricè dici poteſt. Cùm enim religio ſit cultus Dei, vt principium eſt eſſendi & gubernandi, omnia autem entia ſint tota à Deo & gubernentur, colunt quodammodo Deum pluſquàm ſe, quatenus ſuo modo per actus analogos iis qui hominis proprii ſunt, ad eum ſuo modo convertuntur. Hinc ex D. Hieronym. in 8. Matth *Omnes creaturæ ſentiunt Creatorem.* & ex D. Thoma: *Appetunt Deo aſſimilari omnia juxta ſuum modum.* ex D. Dionyſio: *Omnia convertuntur ad amorem Creatoris.* Quatenus, vt explicat D. Thomas, bonum partis eſt propter bonum totius: vnde res vnaquæque naturalis amat ſuum bonum proprium propter bonum commune totius vniverſi, quod eſt Deus; hinc creaturæ in ſacris literis quaſi ſentientes, amantes & benedicentes Deum, & facientes verbum ejus inducuntur, quatenus inclinantur ad Deum vt ad finem, quamvis rationem finis non attingant. Sua etiam brutis ineſt religio, qua obſequium ſuperioribus cauſis ſibi beneficis præſtant, quæ animalis dicitur: diligunt quippe naturaliter omne principium ſibi beneficum, ipſumque proinde Deum. Ratio à priori vtriuſque pronuntiati, hæc eſt, quòd qualibet entia recurrant ad ſuum principium, à quo eorum eſſe conſervatur: ille autem recurſus eſt cultus principii ſui, qui oritur à religione naturali; nam religio

ligio naturalis cuilibet enti, eſt cultus proprii principii; ita vt quæ à Deo per aliud procedunt, primo ad principium proximum, deinde illo mediante, ad Deum per cultum revertantur: quæ autem à Deo immediatè emanant, vt ſubſtantiæ ſpiritales, Deum immediatè colunt. Sed cùm hæc religio impropria tantùm ſit & analoga, ſit

XV. Innatus eſt cuilibet hominum veræ religionis ſenſus, adeóque homo eſt quaſi naturaliter religioſus, vt jam obſervavi: tum quia ipſi perinde ac aliis rebus, à natura impreſſum, vt colat principium ſui eſſe. Ex mente Platonis in Protagora. *Homo*, inquit, *tanquam divinitatis particeps, ob cognationem quamdam Deum agnoſcit, & cupit tanquam auctorem: invocat & amat vt patrem, veneratur vt regem, timet vt dominum: & ſicut ſol non cognoſcitur ſine lumine ſolis, ita nec Deus ſine Deo: ergo lumine divino innato cognoſcit homo Deum.* Hoc autem lumen eſt legis æternæ, id eſt, Verbi Dei participatio impreſſioque divini luminis, vt creatura ex D. Thoma: tum quia tam naturale eſt homini religioſè vivere, quàm eſſe animal politicum: vnde nulla ſine religione ſtare poteſt reſpublica: tum quia in adverſis ſtatim vultum attollit in cælum, auxilium petiturus; tum quia ipſi à natura inditum, eum à quo beneficium acceperit, amare, colere, ab eo opem petere, quod erga parentes præſtamus: at Deus primum principium & parens hominum ac mundi rector: ergo homini inſitum, Deum colere vt primam cauſam, patrem communem, ac mundi rectorem; hinc *timor Domini*, qui eſt religio, *cum*

hominibus in vulva concreatus eſt. Eccleſ. 2. & à Lactantio lib. 3. c. 9. homo definitur *animal rationale religioſum.* Ex dictis

Patet 1. religionem non eſſe humanum inventum, vt homines a principibus in officio contineantur, quemadmodum ſomniarunt & Epicurus & Machiavellus.

Patet 2. cultum quem Deo per religionis officia exhibemus, à Deo non negligi, ex eo quòd per ſe beatus ſit, vt finxit idem Epicurus: 1. quia naturale eſt parentibus à majoribus, à filiis & minoribus agnoſci colique velle: 2. quia Deus etiam minutiſſima quæque curat: ergo multò magis artem vitæ humanæ principem, quæ eſt religio: 3. quia paſſim in Scripturis hunc honorem, vt ſuæ debitum excellentiæ, ab hominibus requirit.

Patet 3. circa religionem innatam homines non errare, quia omnes intelligunt Deum eſſe potentiſſimum, ſapientiſſimum & optimum ens; errare autem circa additam, hoc eſt, circa eam quæ ab hominum præceptionibus & traditione, vel ab objectis hauritur; cùm enim ſenſibilibus rebus addicti ſint homines, in ſenſibilibus Deum quæſiere, ſibique pro ſua libidine alii alium finxere, vt obſervavi, cùm de polytheiſmo egi; hinc opus eſt Deum revelare hominibus, quæ ſit vera religio: omnes quippe nationes intelligunt ex innata ſibi ſcientia, Dei revelatione ſe indigere, ſeque ab ipſo religionem ſuam accepiſſe glorientur.

Patet 4. rectè dictum ab Auguſtino lib. de vera religione, Religionem Chriſtianam fuiſſe ante Legem ſcriptam ſemper eandem in mundo natu-

taliter inditam, exceptis ceremonialibus. Item & ab Iſidoro, quem Gratianus allegat, *jus naturale eſſe, quod continetur in Lege & in Evangelio.*

XVI. Ex hac quoque dependentia tum ſacrificii, tum orationis, tum perpetui progreſſus in virtute neceſſitas & obligatio in naturis intelligentibus infertur; ſacrificii quidem, quo ſummam ſuam dependentiam profiteantur, & Deum vt vitæ neciſque arbitrum, ipſius creaturæ alteratione & deſtructione, ac ſi fieri poſſet, etiam annihilatione colant ac venerentur; orationis verò, quia cùm Deus in ſe bonorum plenitudinem habeat, vtpote ens ſimpliciter & à ſe, creatura autem indigens ſit, vtpote limitata & ex non ente, per orationem à Deo bona ſibi neceſſaria petere debet, nam pauperis eſt rogare, erogare divitis; bonitatem illius perpetuò ſollicitare, vt illud quod in ipſis incepit opus, perficiat & abſolvat: perpetui denique progreſſus in virtute, quandiu in via ſunt; quia ad id quod perfectioni deeſt, tendere tenentur.

XVII. Non tantùm ſe ſuaſque facultates, ſed vſum etiam omnium facultatum & aliarum creaturarùm Deo natura intelligens debet. Ut enim in ſuo eſſe & facultatibus pendet à Deo, ita in vſu rerum omnium, quæ à Deo accepit; hinc Deus non tam dono dediſſe nobis ipſum eſſe dicitur, quàm mutuaſſe; immo mutuat in dies & horas, vt omnino reddere teneamur, quoties ille quod ſuum eſt, repetere voluerit. Itaque nullum verbum prudens ſcienſque proferre homo debet, nullam actionem edere, quam ad Deum non referat; hinc nulla actio indifferens

in individuo. Et quemadmodum radius ſolis ab eo nunquam ſeparatur, eo oriente oritur, occidente occidit, deficiente deficit, & reſurgente reſurgit: ita in ſingulis à Deo pendere debet homo, hujus ad nutum ſe totum fingere, ex illo aptas totius vitæ & ſuſpenſas habere rationes.

XVIII. Ex dictis perpende, quid ſit creatura, quàm vilis & abjecta, cujus principium gratuita Dei liberalitas, eſſentia ipſum nihil, & ſi quid de Deo habet, perexiguum, idque innumeris ab eo titulis pendens. Hinc eſſe creaturæ eſt primum omnium Dei donorum: cujus proprietates, defectibilitas in natura, bonorum indigentia & paupertas intima, mutabilitas in vitæ diſpoſitionibus, & viciſſitudo perpetua. Jure itaque Lactantius antiquos arguit, quòd Deum Jovem appellarent, quaſi à juvando. *Quia*, inquit, *juvare hominis eſt, nec quiſquam Deum precatur ut adjuvet, ſed ut ſervet, ut vitam ſalutemque tribuat.* Id deinde confirmat exemplo patris: *Nullus pater dicitur filios juvare, cùm eos generat aut educat. Illud enim levius eſt, quàm ut eo verbo magnitudo paterni beneficii exprimatur. Quantò magis id conveniens eſt Deo, qui verus eſt pater, per quem ſumus, & cujus toti ſumus, à quo fingimur, animamur, illuminamur; qui nobis vitam impertit, ſalutem tribuit, victum multiplicem ſubminiſtrat. Non intelligit divina beneficia, qui ſe juvari tantummodo à Deo putat.*

ARTICULUS II.

De ſimplicitate Dei.

SIMPLICITAS, licèt appellatione affirmantium proprietatum vna eſſe videatur, ad negantes tamen revocanda; nam ſimplicem eſſe, eſt carere compoſitione ex partibus. Porrò circa hanc perfectionem diſcutiendum, 1. an Deus verè ſit ſimplex, deinde quo genere ſimplicitatis, 3. an ſimplicitas divina rebus creatis communicari poſſit: denique quæ ex ſimplicitate divina inferri debeant.

§. I. *An Deus ſit ſimplex.*

I. OBSERVATIO. UNITATI ſimplicitas affinis, non tamen planè idem; vnitas enim pluralitati ſeu multitudini, ſimplicitas compoſitioni opponitur. *Tam enim non eſt ſimplex*, inquit Bernardus, *quod vel vni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo, vel vni cognita viro.* Hinc ſimplex minùs latè patet, quàm vnum, quia non omne vnum eſt ſimplex, licèt omne ſimplex ſit vnum.

II. OBSERVATIO. Simplex eſt, quod excludit compoſitionem ſive partis, ſive formæ propriè dictæ. Dixi, formæ propriè dictæ; duplex enim forma, altera propriè dicta, quæ forma informans appellatur: altera impropriè dicta, quæ eſt actus ſeu perfectio præcisè, quo ſenſu Deus dicitur forma ſubſiſtens. Simplicitas autem modus, quo compoſitio ſive partis, ſive formæ

excluditur ; compoſitio autem eſt duorum ad minimum ſimul poſitio, quorum alterum non eſt idem cum altero re & ratione, aut ſaltem ratione ; hinc duplex compoſitio, realis & rationis. Quin etiam ſimplex dicitur quod purum ac ſubtile : vnde ſimplicitas dicitur puritas entis.

III. Observatio. Simplex tot modis dicitur, quot compoſitum ; triplex autem compoſitum, phyſicum, metaphyſicum & logicum : triplex igitur compoſitio, phyſica, metaphyſica & logica, quarum quælibet plures ſpecies ſub ſe continet, de quibus poſtea.

Unica Assertio. Deus eſt ſummè ſimplex. Probatur auctoritate & ratione : auctoritate quidem, 1. Averrois 12. Metaph. tex. 27. vbi ait Deum *eſſe in fine ſimplicitatis* ; 2. Ambroſii lib. 1. de fide c. 7. *Deus naturæ ſimplicis eſt, non conjunctæ atque compoſitæ, cui nihil accedat, ſed ſolùm quod divinum eſt, in natura habeat ſua* ; 3. Cyrilli Alexandrini lib. 1. in Joan. *Simplex natura divina, & compoſitione carens omni* ; 4. Auguſtini lib. 11. de Civit. Dei c. 8. *Propter hoc itaque natura dicitur ſimplex, cui non ſit aliquid habere quod poſſit amittere, vel aliud ſit habens, aliud quod habet* ; 5. Bernardi 5. de Conſid. c. 7. *Non eſt compoſitus Deus, merum ſimplex eſt. Vt liquidò noveris, quid ſimplex dicam, idem quod vnum, tam ſimplex Deus, quàm vnus eſt.*

Ratione verò eáque multiplici, quarum prima ex aſeitate ſic petitur : Deus eſt à ſe : ergo ſimpliciſſimus. Probatur conſeq. quod totum eſt à ſe, non poteſt habere partes, vel formam receptam, vel modum, quia eſſet tale per illas partes, per illam formam, & per illum modum : at Deus

eſt totum ens à ſe, vt jam confecimus: ergo ſimpliciſſimus. Hoc argumentum vrget Richardus à ſancto Victore lib. 1. de Trin. c.12. & 13. *Si ex ipſa*, inquit, *ſunt omnia, nec ipſa quidem eſt, niſi à ſemetipſa: ergo omnis ſapientia, omnis potentia ipſemet eſt*, &c.

Secunda ex ratione entis ſimpliciter: Deus eſt ens ſimpliciter, adeóque primum ens in genere perfectionis; ſed perfectius eſt habere omnem & quamlibet perfectionem in vnica & ſimplici entitate, quàm in entitate compoſita & ex pluribus partibus coaleſcente: ergo Deus ſummè ſimplex eſt. Minor probatur: vbi eſt compoſitio, ibi eſt pars & totum; vbi eſt pars & totum, ibi eſt imperfectio: nam pars vt pars, eſt incompleta, propter totum vt cauſam finalem, toto ipſo ignobilior, ipſumque totum à partibus componentibus, velut à cauſis intrinſecis dependens; quæ tria repugnant conceptui primi entis.

Porrò hîc adverte, ex eo quòd aliquid ſit ſimplex, cæteris non eſſe ideo perfectius; nam elementa quæ corpora ſimplicia dicuntur, minùs iis quæ componunt, perfecta ſunt, ſed ſimplex vt cæteris perfectius ſit, eminentia quadam ac poteſtate id quod compoſitis in rebus cernitur, debet in ſe continere: talis porro Deus eſt. Tertia ex ratione actus puri. Ratio actus puri excludit omnem potentiam paſſivam cui opponitur; purus quippe dicitur, quia nullam admittit potentialitatem actui repugnantem: compoſitio includit potentiam paſſivam perfectibilis: ergo ratio actus puri excludit compoſitionem. Certè nihil

magis repugnat actui puro, ſeu Deo, quàm potentia paſſiva. Potentia eſt propter actum, omnia ſunt propter Deum: potentia recipit, Deus agit: potentia nova rerum acceſſione perficitur, Deo nulla poteſt fieri acceſſio: potentia vacuum quidpiam, Deus eſt omnium rerum abſque vlla permixtione vel compoſitione perfecta plenitudo: itaque actus puriſſimus, totus ex toto actus, qui non eſt niſi actus, non hujus vel illius, non hic vel ille, ſed abſolutè & ſimpliciter actus. Ex hoc argumento ſimplicitas, vt eſt puritas actus, conficitur: actus enim puriſſimus non ſolùm attollitur ſupra omnia corpora, ſed etiam ſupra omnes ſpiritus creatos & creabiles; qui ſi cum infinita Dei puritate comparentur, naturæ quædam craſſæ & impuræ videantur eſſe. Sed vt validiùs Dei perfecta ſimplicitas aſtruatur, ſit

§. II. *Summa Dei ſimplicitas ampliùs aſtruitur.*

I. ASSERTIO. DEus eſt phyſicè ſimpliciſſimus. Probatur 1. ſubſtantia ſpiritalis eſt phyſicè ſimplex: Deus eſt ſubſtantia ſpiritalis: ergo phyſicè ſimplex. Minor eſt de fide, Joan. 4. *Spiritus eſt Deus*, vbi per Spiritum ſubſtantiam ſpiritalem intelligi, vel ex eo patet, quòd Deum vbique adorandum in ſpiritu & veritate innuat, quia Deus ſpiritus eſt. Deinde Deus eſt ens omnium nobiliſſimum: ergo non eſt corpus. Vel enim eſſet corpus inanime vel vivens: ſi inanime, non eſſet res omnium nobiliſſima,

quia nobilius eſt vivere, quàm non vivere. Si vivens, ergo vel per formam ſibi additam, vel per ſuam ſubſtantiam; ſi per formam ſibi additam, ipſa eſſet nobilior corpore; ſi per ſuam ſubſtantiam, vel viveret vitâ vegetante tantùm, vel vitâ vegetante ſimul & ſentiente: at vita intelligens nobilior eſt vtraque: igitur corpus non eſt, adeóque reſpuit omnem compoſitionem phyſicam, quæ corporum propria.

Probatur 2. Quadruplex eſt compoſitio phyſica; prima eſt partium entitativarum & quantitativarum; ſecunda ex materia & forma; tertia ex elementis; quarta ex partibus integrantibus, putà membris, ſeu partibus heterogeneis: Deus non componitur ex materia & forma, nec ex partibus entitativis & quantitativis, nec ex elementis, nec ex partibus integrantibus: ergo non componitur phyſicè. Non ex materia & forma: quia materia, cùm ſit potentia paſſiva, formâ imperfectior eſt, ipſaque forma, licèt materiâ perfectior ſit, pars tamen eſt, itáque imperfecta & limitata: vnde in Deo nihil niſi imperfectum foret. Non ex elementis, quæ inſtar materiæ ſecundæ formæ principi ſubſternerentur, quod deſtruit rationem actûs puriſſimi. Non ex partibus quantitativis, quia quantitas ſupponit corpus, tanquam potentiam paſſivam, in qua recipiatur. Non ex partibus integrantibus, quia talis compoſitio non convenit, niſi rebus compoſitis ex materia & forma. Deinde vel quælibet pars haberet eſſentiam totius, ſicut quælibet pars ligni eſt lignum; vel non eſſet ejuſdem eſſentiæ cum toto, vt in heterogeneis accidit. Si pri-

mum, ergo quælibet pars Dei eſſet Deus, & ita plures dii vnirentur inter ſe. Si ſecundum, ergo quælibet pars eſſet, & non eſſet Deus; non eſſet, quia pars heterogenea non eſt totum, nec enim pes equi eſt equus: eſſet autem, quia cùm quælibet pars ſit ens à ſe & independens à cauſa, vtique Deus eſt. Hinc pronuntiatum D. Auguſtini lib. 11. de Trinit. cap. 7. *Turpiter vana cogitatio eſt, quæ opinatur, Deum membrorum corporalium lineamentis definiri atque circumſcribi.* Meritóque Tertullianus lib. de Trin. c. 6. in has voces erumpit: *Cur requirat oculos, qui lux eſt? aut cur quærat pedes, qui vbique eſt? aut cur ingredi velit, cùm non ſit quò extra ſe progredi poſſit? aut cur manus expetat, cujus ad omnia inſtituenda artifex eſt & ſilens voluntas? nec auribus eget, qui etiam tacitas novit voluntates: aut propter quam cauſam linguam quærat, cui cogitare juſſiſſe eſt?* Quare cùm Scriptura Deo membra tribuit, vt Job. 4. *Si habes brachium vt Deus*; & Pſalm. 43. *Oculi Domini ſuper juſtos*; hæc intelligi debent ſenſu metaphorico & improprio, quatenus per illas voces varia Dei attributa ſignificantur: ſic per brachium potentia Dei deſignatur, per oculos perſpicacia mentis infinita, per manum operatio, per ſeſſionem immutabilitas.

II. Assertio. Deus eſt metaphyſicè ſimplex. Probatur: Deus reſpuit omnem compoſitionem metaphyſicam: ergo eſt metaphyſicè ſimplex. Prob. ant. omnis compoſitio metaphyſica, vel ex eſſentia & exiſtentia, vel ex actu & potentia objectiva, vel ex natura & ſuppoſito, vel ex ſubſtantia & accidente reſultat: Deus non

componitur ex eſſentia & exiſtentia ; ex actu & potentia, ex natura & ſuppoſito, ex ſubſtantia & accidente : ergo reſpuit omnem compoſitionem metaphyſicam. Probatur minor : non ex eſſentia & exiſtentia, quia ſive exiſtentia diſtinguatur realiter vt modus ab eſſentia, ſive metaphyſicè tantùm & virtualiter, accidit eſſentiæ vt actus vltimus, perficiens & complens eſſentiam, quæ proinde imperfecta ſupponitur. Deinde exiſtentia & ipſum eſſe actuale conſtituit intimè eſſentiam divinam, quia eſt eſſentialiter ſuum eſſe, vt jam confecimus.

Non ex potentia & actu ; nam illa potentia eſſet objectiva, vel certè diceret privationem perfectionum, quibus actu careret, vel carere poſſet. Non primum, quia compoſitio ex potentia objectiva & actu ſupponit rem potuiſſe non eſſe, iſtud enim dicitur eſſe in potentia objectiva, quod ex ſe ipſo non eſt ; poteſt tamen eſſe vi alterius potentiæ, in cujus virtute continetur : at nulla eſt cauſa, in cujus virtute Deus contineatur, & à qua poſſit accipere eſſe actuale : quia eſt ens à ſe, nec poteſt illud ipſum ſibi dare ; aliàs eſſet cauſa ſui ipſius eſſe, etiam cùm non eſſet. Non ſecundum, quia Deus cùm ſit ens oppoſitum omni non enti, omnes omnino perfectiones in ſe continet, quas proinde nec acquirat vſquam, nec amittat ; alioqui aliquid non entis haberet, nec eſſet actus puriſſimus, cujus eſt omnem potentiam ad actum deducere, ipſumque actum ad primam puramque potentiam reducere.

Non ex natura & ſubſiſtentia, qualis eſt in homine ; nam ſive ſubſiſtentia ſit modus realis na-

turæ phyſicè jam completæ ſuperadditus, quo vltimò in ratione ſuppoſiti perficiatur, & quo carere poſſit; ſive ſit natura cum negatione vnionis cum altero perfectiori, à quo vltimò compleatur, neutra in Deo ſtare poteſt. Non prima; vel enim modus ille realis eſſet aliquid creatum & dependens, vel aliquid increatum & independens; ſi primum, ſuppoſitum divinum eſſet aliquid creatum & dependens, adeóque ex non ente: ſi ſecundum, ſubſiſtentia illa ſeorſim ſumpta à natura divina, eſſet Deus & ens à ſe: præterea per illum modum mutari poſſet, quia poſſet eo carere. Non ſecunda, quia nulla eſt ſubſtantia à qua Deus perfici poſſit.

Dices: Natura divina admittit hypoſtaſes divinas: ergo Deus poteſt componi ex natura & ſubſiſtentia.

Reſp. diſt. conſeq. Ex ſubſiſtentia tali, qualis eſt in homine, nego: quæ Deo propria ſit, & quæ nihil imperfectionis arguat, concedo. Porrò multitudo perſonarum non officit ſimplicitati divinæ, quia licèt ſibi per relationes opponantur, tamen ſunt quid vnum per identificationem. Ad compoſitionem autem, quæ ſimplicitatem deſtruit, duo requiruntur, & partium diſtinctio & vnibilitas*: at talem compoſitionem facere nequeunt perſonæ divinæ, nec inter ſe, quia opponuntur; adeóque vniri non poſſunt, nec cum natura, quia ab eadem non diſtinguuntur.

Non ex ſubſtantia & accidente, tum quia ejuſmodi accidens per modum formæ Deo, tanquam potentiæ paſſivæ accideret, ipſumque actuaret: at Deus à nulla forma actuari poteſt, nec ſe inſtar potentiæ paſſivæ habere; quippe

qui ſit purus actus: tum quia Deus cùm ſit illimitatus & infinitus in omni genere entis, nihil poteſt ipſi advenire, à quo intrinſecè conſtituatur, nec eget accidente, à quo perficiatur; quidquid enim indiget alio, eſt limitatum, & ab illo emendicat partem aliquam ſuæ perfectionis. Rectè itaque Hilarius lib. 7. de Trin. longè ante finem: *Non ex compoſitis atque inanimis Deus, qui vita eſt, ſubſiſtit; neque qui virtus eſt, ex infirmioribus continetur; neque qui lux eſt, ex obſcuris cogitatur; neque qui Spiritus eſt, ex diſparibus formabilis eſt: totum in eo quod eſt, vnum eſt.*

III. Assertio. Deus eſt logicè ſimplex. Probatur: Deus non patitur compoſitionem logicam: ergo eſt ſimplex logicè. Probatur ant. compoſitio logica fit ex genere & differentia, vel ex prædicato & ſubjecto: in Deo nec eſt compoſitio ex genere & differentia, nec ex prædicato & ſubjecto. Non ex genere & differentia, quia genus eſt quid perfectibile, & quidem cum fundamento in re; in Deo autem nulla ratio perfectibilis concipi poteſt. 2. Quia Deus nulla definitione definiri propriè poteſt ex Auguſtino: at quod conſtat ex genere & differentia, poteſt propriè definiri: *Summus Spiritus,* inquit Auguſtinus de cognit. veræ vitæ c. 7. *ſicut à nullo intellectu valet propriè cogitari, ita nulla definitione poterit propriè definiri.* Non ex prædicato & ſubjecto, quia Deus non judicat formaliter, ſed tantùm eminenter, per vnicum actum, vt poſtea oſtendemus. Vides ex hactenus dictis, quàm meritò dicat Bernardus lib. 5. de Conſid. c. 3. in angelo & homine optimam rationem eſſe, Deum verò non ſui aliquid optimum habere, ſed vnum optimum totum eſſe.

Et cap. 7. Deum non eſſe formatum, ſed formam, non affectum, ſed affectionem; non compoſitum, ſed merum ſimplex; tam ſimplicem, quàm vnum eſſe; non ex tempore alterationem, non in ſubſtantia alteritatem habere. Denique, cur poſtquam cap. 8. multiplex genus vnitatis attulit, ſic concludat: *Igitur inter omnia quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis*, quia nempe *vnitatem conſubſtantialitas facit.*

Quæres, an ſimplicitas Dei poſſit communicari creaturis. Reſp. phyſicam communicari ſpiritibus creatis; angelis quidem perfectiori modo, quia ſunt ſubſtantiæ completæ; animabus hominum imperfectiori modo, quia ſunt incompletæ ſubſtantiæ. Reſp. 2. metaphyſicam & logicam non poſſe, quia nulla creatura eſt, quæ non componatur ex eſſentia & exiſtentia, ex potentia & actu, ex ſubſtantia & accidente, ex genere & differentia, vt ſuis locis oſtendimus: nulla quæ non egeat aliquo modo terminante & complente eſſentiam, & quæ non poſſit habere rationem partis in aliquo toto ſubſtantiali: nulla, quæ non poſſit formare judicium, cujus prædicatum à ſubjecto diſtinguatur.

§. III. *Conſectaria.*

1. SUMMA ſimplicitas eſt propria vnius Dei, & perfectio ſimpliciter ſimplex. Patet prima pars ex dictis. Patet ſecunda, quia eſt perfectio melior ipſa quàm non ipſa. Certè, cæteris paribus, multò perfectius eſt habere totum ſuum eſſe in entitate ſimpliciſſima, quàm compoſita, tum quia quo ens quodlibet eſt vnitum ar-

ctiùs, eò vtique perfectius: tum quia res ſimplex eſt totum quod eſt: non item res compoſita, quæ non eſt ſua pars: nec vna pars compoſiti eſt alia, vt obſeruat Amicus; hinc

II. Deus ita eſt ſimplex, vt in ſua ſimplicitate plenitudinem potentiæ, perfectionum immenſitatem, & infinitatem productionum includat. Habet ſubſtantiam ſimplicem, ſed non pauperem, quia per eſſe ſuum ſibi & omnibus ſufficiens eſt. Subſtantiam incompoſitam, ſed non indigam, quia eſt ſibi omnia, & extra ſe nullo opus habet. Finge lapidem precioſum, qui ſimul carbunculus, adamas, ſaphyrus, topaſiuſque ſit. Et quod mirum eſt, nec facultas actuoſa à ſubſtantia diſtinguitur, nec actio immanens à facultate, nec objectum formale à termino producto. Sed Deus eſt ſua operandi facultas, ſua operatio, ſuum intelligere ac velle, ſua vita ſecunda, vita à ſe, carens omnibus cauſis, quas poſſit habere aliqua vita creata. Quid plura? Deo nihil ſimplicius; & tamen nihil eodem plenius. Eſt Deus omnia, & tamen non eſt in Deo niſi Deus, præter ſe nihil habet, & eſt quidquid habet; & ita eſt ſimplicitatis pleniſſimæ & plenitudinis ſimpliciſſimæ. *Ibi*, inquit Richardus à ſancto Victore lib. 2. de Trin. *vera vnitas cum plenitudinis vniuerſitate: ibi ſummè ſimplex identitas cum totius conſummationis immenſitate.* Hinc ſumma in Deum confidentia oritur, qui ſibi ſufficientiſſimus. *Brachium meum auxiliatum eſt mihi.* Iſa. 3.

III. Simplicitas Dei fœcundiſſima, tum ad intra per emanationes & proceſſiones perſonarum, tum ad extra per productionem creaturæ

rum. Hinc Cyrillus Catech. 6. *Ipſe vnus exiſtens, millenas emittit operationes.*

IV. In Deo non eſt niſi Deus; cùm enim omnia quæ ſunt in Deo, perfectè ſint vnum & idem cum ipſo, vtique nihil eſt in ipſo, quod verè & re ipsà Deus non ſit; hinc Plotinus Enneade 5. lib. 3. c. 9. ait *Deum nihil poſſidere, ſed eſſe omnia quæ in eo ſunt.* Ex Aug. lib. 11. de Civit. cap. 10. *Quod habet, hoc totum eſt.* Ex Bernard. lib. 5. de Conſid. c. 7. *Nihil in ſe niſi ſe habet.* Contrà verò quàm multa habet in ſe homo, quæ non ſunt ipſe homo; ſapientia, ſi qua pollet, non eſt ipſe homo, nec bonitas eſt ipſe homo: at Deus eſt ſua ſapientia, ſua bonitas, viciſſimque ſapientia eſt Deus, & bonitas Deus eſt.

V. Simplicitas à Deo excludit limitationem, diviſionem, inhærentiam & dependentiam. Audi Bernardum lib. 5. de Conſid. cap. 7. *Tam non habet hoc & illud, quàm non habet hæc & illa; eſt qui eſt, non quæ eſt; purus, ſimplex, integer, perfectus, conſtans ſibi; nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in ſe, nihil ex ſe deponens in eis, nihil habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad vnum; vnum quippe eſt, ſed non vnitum. Non partibus conſtat, vt corpus; non affectibus diſtat, vt anima; non formis ſubſtat, vt omne quod factum eſt.*

VI. Ex ſimplicitate ſumma Dei ſufficientia exiſtit, quâ ſibi per ſe ſe & ex toto ſatis eſt Deus. *Niſi enim,* inquit Plotinus Ennead. 5. lib. 4. c. 1. *ſimplex erit ab omni prorſus coagmentatione & compoſitione liberum, ac re verâ vnum, non erit principium; ſed & ſufficientiſſimum eo ipſo debet eſſe, quòd ſit ſimplex & primum omnium.* Certè

quidquid multum eſt, & non vnum, indigens eſt, ex eodem Plotino: ergo quod perfectè vnum eſt, hoc eſt ſimpliciſſimum, idem ſibi ſufficientiſſimum. 2. Ex ſimplicitate immutabilitas, ſicut à compoſitione mutabilitas; nam ſumma ſimplicitas negat explicitè omnem compoſitionem: mutabilitas autem explicitè importat potentiam ad aliquam compoſitionem: mutabilitas enim reſpicit mutationem, quæ non poteſt concipi ſine aliqua compoſitione. Nam quod mutatur, vel accipit formam cum qua componat, vel veterem amittit cum qua componebat: vnde Auguſtinus 11. de Civit. Dei c. 2. *Eſt itaque bonum ſolum ſimplex, & ab hoc ſolum immutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia bona, ſed non ſimplicia, & ab hoc mutabilia.* 3. Impeccabilitas, quia tunc voluntas eſt impeccabilis, cùm rectiſſima; tunc autem eſt rectiſſima, cùm eſt perfectè conformis infinitæ ſapientiæ, quæ eſt omnis honeſti rectique regula: tunc eſt maximè conformis, cùm eidem eſt identificata: at voluntas Dei habet à ſimplicitate, vt divinæ ſapientiæ identificetur. Item jucundiſſima voluptas Dei in operando. Rationem reddit Ariſtoteles lib. 7. Ethic. c. 14. *Quòd ſi*, inquit, *alicujus natura ſit ſimplex, ſemper eadem operatio jucundiſſima erit. Idcirco Deus vna ſemper ſimplicique gaudet voluptate. Non enim ſolùm motionis eſt operatio, ſed & immobilitatis: & voluptas in quiete, potiùs quàm in motu conſiſtit; mutatio verò omnium dulciſſimum eſt ſecundùm Poëtam, ob pravitatem quandam; vt enim homo pravus, facilè eſt mutabilis: ſic & natura prava eſt ea, quæ indiget mutatione, non eſt enim ſimplex, nec bona.*

VII. Unum gaudet in vno. Simplicitas multiplicitatem refugit, & cognitio fit per ſimiles: nunquam videbunt Deum, qui duplici ſunt corde, & in duas partes claudicant.

VIII. Compoſitio fundata in æquipollentia virtuali, qua vnus idemque actus valet idem quod multi, & eadem præſtat officia, ac ſi eſſet multiplex, nullam involvit imperfectionem objectivam: quia nec involvit ratione extremorum, nam vnicus realiter actus ſupponitur exiſtere, qui nullas partes habeat, ſed tantùm illis æquivaleat: nec ratione diſtinctionis, quia nulla objecto, niſi per æquivalentiam diſtinctio tribuitur: at æquivalere diſtinctioni non eſt imperfectio, immo perfectio ſumma, ſicut æquivalere compoſitioni aut generi eſt perfectio.

IX. Quò vnumquodque ſimplicius, eò perfectius, licèt in operando & virtute multiplex ſit, vnde & pronuntiatum fluxit: Quæ ſparſa ſunt in inferioribus, colliguntur & vniuntur in ſuperioribus. Item quò quidlibet ad Deum propiùs accedit, eò ſimplicius.

X. Quamvis Deus compoſitionem partis reſpuat, vtpote intrinſecam, tamen extrinſecam & in genere cauſæ efficientis cum cauſis creatis non reſpuit: quia talis compoſitio perfectiva eſt, & activa, non paſſiva, nullamque proinde arguit mutationem intrinſecam in principiis componentibus, ſed ſolam ſubordinationem cauſæ inferioris ad ſuperiorem.

Colliges ex dictis duo. 1. Quàm meritò D. Bernardus ſerm. 81. in Cant. Deum vocet *primum & puriſſimum ſimplex*, vel vt ex Ariſtotele refert Beda in ſententiis, *ſolum ſimplex*. Quamvis enim

quædam ſubſtantiæ creatæ partibus careant, tamen multùm à divina ſimplicitate deficiunt, quia, vel ſunt partes vnibiles, vt anima rationalis: vel ſi completæ ſint, vt Angelus, admittunt compoſitionem realem ex ſubſtantia & potentiis & operatione, ex genere & differentia, &c. 2. Auguſtinus jure ethnicos lib. 7. de Civit. c. 6. ſtoliditatis arguit, qui putarunt Deum eſſe materiam primam, vel animam mundi, & principium eſſentialiter conſtitutivum rerum omnium, & quidem ex nativa quadam Dei exigentia: quo nihil abſurdius.

XI. Hanc Dei ſimplicitatem æmulare, ſi ſapis, intentione ſimplex, directus, fuge deſideriorum infinitatem, quæ animum in res humanas effundunt, rapiuntque ad cujuſlibet boni ſpeciem objectam; non eſt integer, qui multa deſiderat: multorum deſideriorum, multæ curæ & magnæ triſtitiæ appendices. At contrà ſuus eſt, ſimplex & dives, qui nullis dividitur votis. Deum itaque vnum quære, Deum vnum deſidera, qui vnus erit tibi omnia.

ARTICULUS III.

De infinitate Dei.

DUPLEX in Deo infinitas; altera ſimpliciter dicta, altera ſecundùm quid. Illa continet omne genus puræ perfectionis in gradu eminentiſſimo ſeu infinito; hæc in aliquo tantùm genere continet puram perfectionem intra ſuum genus infinitam: illa illimitatio & vniverſalitas entis à multis appellatur; hæc infinitudinis no-

men retinet, ſed cum reſtrictione. De illimitatione ſeu infinitate ſimpliciter dicta, primùm; de infinitate ſecundùm quid, deinde diſputabitur.

§. I. *De infinitate ſimpliciter dicta.*

UT illimitatio, ſeu infinitas Dei ſimpliciter dicta, clariùs explicetur, tria hîc diligentiùs obſervanda.

I. Duplex diſtinguenda infinitudo, radicalis vna, formalis altera; illa radix eſt, vnde formalis conſequitur, nempe neceſſitas quædam per modum principii habendi conſequenter omnem perfectionem, ſimpliciter ſimplicem & mixtam; illam formaliter, hanc eminenter; talis eſt aſeitas, ſeu eſſe ſimpliciter Dei ipſius: formalis eſt complexus quidam omnium poſſibilium perfectionum tum purarum, tum mixtarum, qui Deum conſtituit formaliter infinitum. De formali hîc præſertim agimus, non de radicali.

II. Perfectio aliqua poteſt in alio contineri vel intentionaliter, vel realiter; intentionaliter, cùm vna res eſt in alia per quandam ſui ſimilitudinem ſeu imaginem: ſic roſa eſt in intellectu meo intentionaliter, cùm per ſpeciem ſui expreſſam, quæ notio dicitur, menti meæ objicitur. Ratione hujus continentiæ, intellectus dicitur cauſa exemplaris rerum earum, quas foris producit realiter, cùm ſecundùm eſſe reale ineſt. Quanquam

III. Perfectio realiter in alio contineri poteſt tripliciter, formaliter, eminenter & virtualiter. Tunc formaliter continetur, cùm ſecundùm veram & propriam rationem convenit: ſic Deus eſt

formaliter ſapiens, quia ratio ſapientiæ in eo verè ac formaliter continetur. Eminenter, cùm continens eſt nobilioris naturæ, quàm contentum, ipſumque continet, vel vt cauſa efficiens, vel vt finalis: ſic calor continetur eminenter in igne, tanquam in aliquo nobiliori, à quo vi illius excellentiæ produci poſſit, non autem animal in ſemine quo perfectius eſt, aut effectus in cauſa vnivoca, cui æqualis in perfectione: ſic media ſunt eminenter in cauſa finali. Virtualiter, quatenus continetur in virtute productrice rei illius, à qua effici poteſt.

IV. Perfectio duplex, altera pura, altera mixta; pura eſt, quæ nihil imperfectionis habet adjunctum, vt ſapientia: mixta, quæ imperfectionis quidpiam habet admixtum, vt temperantia. Prima dicitur perfectio ſimpliciter ſimplex, quam nobilius eſt habere, quàm eâdem carere, ideóque melior eſt ipſa, quàm non ipſa: ſecunda, perfectio ſecundùm quid, quia in ſua definitione aliquid imperfectionis includit.

I. ASSERTIO. Infinitudo ſimpliciter dicta eſt modus, quo ens aliquod includit totam entis plenitudinem, & ei ſe exæquat, ſeu quo ens continet in ſe omnem perfectionem poſſibilem, adeóque excludit quamlibet negationem entis, ſeu imperfectionem. Probatur: definitionis germanitas, ex eo quòd infinitudinem ſimpliciter dictam diſtinguat, tum à finitudine, quæ nihil addit infiniti, tum ab infinitudine ſecundùm quid, à qua res habet, vt ſit infinita in certo tantùm genere. Porrò licèt infinitum nomine tenus negativum ſit, re tamen ipſa poſitivum eſt; quod enim continet in ſe omne genus perfectionis in gradu eminen-

tiſſimo, poſitivum eſt, ratione eorum quæ continet, licèt negativum dici poſſit, ratione eorum, quæ excludit.

II. Assertio. Deus continet in ſe omnes perfectiones creatas idealiter ſeu intentionaliter. Probatur: Deus ſe habet ad res creatas, ſicut artifex ad opus ſuum, quod producat vel poſſit producere: agens ex arte continet in ſe ideam rerum omnium à ſe producibilium; vt enim agens per naturam continet in ſe ſimilitudinem formæ faciendæ ſecundùm eſſe naturale, ſic agens dianoeticum ex arte rerum à ſe producibilium ideam habet mente præconceptam, in qua deſixum, in opere ſimilitudinem illius exprimat, ſi velit producere: ergo Deus continet in ſe res omnes creatas idealiter, hoc eſt, rerum omnium producibilium ideas. Confirmatur ex Joan. c. 1. *Quidquid factum eſt, in ipſo vita erat.* Quem in locum Auguſtinus ita loquitur tract. 1. in 1. Evang. Joan. *Attendite arcam in arte, arcam in opere. Arca in opere non eſt vita, arca in arte vita eſt, quia vivit anima artificis, vbi ſunt iſta omnia, antequàm proferantur: ſic ergo quia ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundùm artem continet omnia, antequàm fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipſam, non continuò vita ſunt, ſed quidquid factum eſt, vita in illo eſt. Terram vides, eſt in arte terra: cælum vides, eſt in arte cælum: ſolem & lunam vides, ſunt iſta in arte; ſed foris corpora ſunt, in arte vita ſunt.* Porrò ex illis ideis primigeniis componitur mundus ille intelligibilis & archetypus, de quo multa diximus in Logica, ad cujus ſimilitudinem mundus hic realis, quem incolimus, effictus à Deo eſt.

III. Assertio. Deus continet formaliter omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices. Probatur ex illo D. Auguſtini principio, lib. 1. de Doctrin. Chriſt. cap. 7. Deus eſt aliquid, quo nihil melius eſt atque ſublimius : ergo neceſſe eſt, vt contineat in ſe formaliter id omne quod melius eſt habere, quàm non habere, cujuſmodi eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Probatur 2. Deus eſt ſimpliciter perfectus, quia exhaurit omnem entis plenitudinem, itáque nihil ipſi deeſt, nullius rei indiget, ex ſe ipſo ſufficientiam habet; hinc à D. Dionyſ. c. 13. de divin nom. ait Deum *eſſe omnia vnicè, & totum eſſe vniformiter praeaccipere*; qua voce gradus generici indigentiam à Deo excludit, qui ſi caderet in Deum, prior Deo accipiendus eſſet : at Deus non eſſet ſummè perfectus, niſi formaliter contineret omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices. Poſſet enim concipi natura Deo perfectior, quæ omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem in ſe vniret; præſertim cùm ſecundùm ſe non ſint incompoſſibiles, nec vna excludat alteram. Hinc Auguſtinus in Pſalm. 7. *Ipſe eſt ſummum bonum, & ab ipſo eſt omne bonum; proinde ſi ille bonus & ſummè bonus, & de ſe ſibi bonus, & nullo alieno bono bonus, & ipſe noſtrum ſummum bonum, recedendo inde, quid eris, niſi malus?*

IV. Assertio. Deus continet eminenter omnem perfectionem mixtam. Probatur : omnis cauſa principalis debet continere effectum vel formaliter, vel eminenter, quia debet eſſe aut perfectior, aut æquè perfecta atque effectus: Deus eſt cauſa principalis cujuſlibet perfectionis mixtæ : ergo debet eam continere, vel forma-

liter, vel eminenter: at non continet formaliter, quia perfectio mixta imperfectionis habet quidpiam, adeóque non poteſt perfectè identificari cum perfectione ſimpliciter ſimplice, nam v.g. corpus ſpiritui repugnat: ergo continet ſaltem eminenter.

V. ASSERTIO. Deus eſt infinitus ſimpliciter. Probatur 1. ex Pſalm. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* Probatur 2. ratione: infinitum ſimpliciter illud eſt, quod continet in ſe omnem omnino perfectionem poſſibilem: Deus continet omnem omnino perfectionem poſſibilem; nam perfectio omnis vel eſt ſimpliciter ſimplex, vel mixta ſeu ſecundùm quid; illam continet formaliter, hanc verò eminenter: ergo continet omnem perfectionem poſſibilem. Et verò omnia ſunt in Deo, vt in prima cauſa efficiente, ratione virtutis actuoſæ, vt in cauſa exemplari, ratione idearum, vt in cauſa finali, quia vt omnia ſunt ab ipſo, ita & propter ipſum, vel tanquam cauſæ particulares in vniverſali; hinc omnia dicuntur contineri eminenter in eſſentia divina, quæ eſt fons omnis eſſentiæ; idealiter in intellectu, quia eſt idea omnium producibilium; finaliter in voluntate, quia amor, quo Deus neceſſariò ſe amat, eſt motivum, propter quod omnia ab eo fiunt; cauſaliter in omnipotentia, quæ eſt cauſa effectrix omnium producibilium: vnde patet, quanta ſit nobilitas Dei, vt eſt prima cauſa, qui creaturas in eſſentia, tanquam in fonte; in ſapientia, vt dirigente; in bonitate, tanquam in cauſa impellente, & in omnipotentia, tanquam in cauſa exequente; qui denique non tantùm res ipſas in ſe, ſed

ſed ipſa etiam principia rerum, omneſque cauſas contineat. Præterea Dei illimitationem ſic D. Thomas probat ex potentia Dei infinita, lib. 1. contra Gent. c. 43. *Virtus infinita non poteſt eſſe in eſſentia finita: quia vnumquodque agit per ſuam formam; quæ vel eſt eſſentia ejus, vel pars eſſentiæ: virtus autem principium actionis nominat: ſed Deus non habet virtutem finitam, movet enim in tempore infinito, quod non poteſt eſſe niſi à virtute infinita.*

V. Assertio. Deus ita omnes perfectiones poſſibiles continet & colligit in ſe, vt in ſimpliciſſimam vnitatem coaleſcant citra limitationem & defectum omnem. Probatur: quia vt antè confecimus, Deus ſimpliciſſimus eſt, adeóque perfectiones ſuas & creaturarum non per diverſas particulas & formas, in ſe, vt mundus, ſed per vnam ſimpliciſſimam deitatis ſuæ rationem complectitur. Unde infinitudo illius eſſentiæ ex Leſſio eſt omnis perfectionis, tum creatæ, tum increatæ, & entitatis ſimpliciſſima & eminentiſſima complexio. Nam in vnitate divina ex Dionyſio, *omnia vnicè ſunt conjuncta, ſupervincta & præexiſtentia ſupereſſentialiter.*

VI. Assertio. Infinitas ſimpliciter dicta nulli creaturæ communicari poteſt. Probatur. Infinitas ſimpliciter dicta ei tantùm ſubjecto competit, cui vniverſalitas entis convenit: ſoli Deo convenit vniverſalitas entis, quia ſolus Deus eſt ens ſimpliciter & à ſe; non creaturæ, quæ eſt ens ab alio, adeóque finita & limitata: ergo nulli creaturæ, ſed vni Deo infinitas ſimpliciter dicta convenit.

§. II. *Conſectaria ex infinitate ſimpliciter dicta.*

I. DEus rectè dicitur à Syneſio baſis, radix & ſemen entium; à ſancto Maximo fundamentum ipſius boni: eſt enim radix, ex qua naſcitur; ſemen, ex quo pullulat; baſis & fundamentum, in quo recumbit omnis realitas, omnis poſſibilitas poſitiva, & omnis actualitas, quæ non eſt formaliter ipſe Deus. Certè totum eſſe dependens, potentiale & contingens fundatur in ente à ſe, actuali & neceſſario.

II. Ratione eminentiæ illius & illimitationis dicitur à Dionyſ. ὑπερούσιος οὐσία, *eſſentia ſupereſſentialis*, & ὑπέρθεος θεότης, *divinitas omni deitate eminentior.* quia per illam infinitatem tranſgreditur omnia entia, & ſuperat totam creaturæ poſſibilis præſtantiam infinities infinitè, inquit Leſſius; quippe ſe habet ad Deum tota creatura ſicut imago picta ad exemplar, aut vmbra ad ſolem.

III. Longè perfectiori modo creata omnia ſunt in Deo, quàm in ſe. 1. quia in ſe limitata ſunt & anguſtis finibus circumſcripta; in Deo autem ſine limitatione & termino. 2. quia in ſe vita plerúmque ac ſenſu carent; in Deo vivunt vitâ ipſius Dei, ſaltem idealiter: ſic radius puriùs emicat in ſole, quàm in nube, & argentum, dum coit in maſſam cum auro, vltro candorem deponit ſuum, vt nitidiùs effulgeat.

IV. Deo nullus defectus ineſt, quia habet omnem eſſendi perfectionem, penituſque illimitatam in omni genere entis. Rationem reddit D. Thomas lib. 1. contra Gentil. cap. 28. *Sicut autem om-*

nis nobilitas & perfectio ineſt rei ſecundùm quod eſt: ita omnis defectus ineſt ei ſecundùm quod aliqualiter non eſt. Deus autem ſicut habet eſſe totaliter, ita ab eo totaliter abſiſtit non eſſe: à Deo ergo omnis defectus abſiſtit. Quaſi diceret, quod habet plenitudinem eſſendi, non habet aliquid de non ente: quod nihil habet de non ente, nullum habet defectum: ergo Deus cùm habeat plenitudinem ſeu totalitatem entis, nullum defectum habet. Itaque *ille dignè pro ſua poſſibilitate divinam æſtimat magnificentiam*, ex D. Bern. ep. 190. *Qui nihil in ea cogitat diſpar, vbi eſt totum ſummum: nihil diſtans, vbi totum eſt vnum: nihil hians, vbi totum eſt integrum: nihil denique imperfectum vel egens, vbi totum eſt totum.*

V. *Deus eſt omnia & nihil rerum.* Ita Gregorius Nazianzenus. Eſt omnia, quia omnia vel formaliter, vel eminenter continet: nihil rerum, quia ſupra imperfectiones & modos creaturarum aſſurgit. Hinc

VI. Omnia de Deo affirmari & negari poſſunt. Nam quatenus continentur in eo, affirmari de ipſo poſſunt: quatenus autem imperfectionem & limitationem rerum creatarum ſua infinitate prætergreditur, de eo negari poſſunt: vnde dicitur à Dionyſio *non ſubſtantia, non vita, ſed quiddam his omnibus eminentius.* Aliter tamen perfectio ſimpliciter ſimplex, aliter perfectio mixta de Deo enuntiatur. Perfectio ſimpliciter ſimplex de Deo ſimpliciter dicitur; nam rectè dicitur: *Deus eſt ſapiens: Deus eſt bonus.* Dum autem perfectio mixtà Deo atribuitur, modus qui continetur in Deo, debet exprimi; hinc non dicitur, *Deus eſt leo*; ſed *Deus eſt eminenter leo.* Porrò monent SS. Patres, cùm de Deo loquimur, vtendum potiùs negatione quàm

affirmatione, quia rerum quas de Deo negamus, proprios & adæquatos conceptus habere poſſumus: v. g. cùm corpus de Deo negamus, perfectè concipimus id quod de illo negamus. Perfectiones autem, quas ei affirmando tribuimus, non per conceptus proprios & adæquatos, ſed per ſpecies à rebus creatis hauſtas concipimus, in quibus explicandis negationibus vtimur: ſic Dei ſimplicitatem per negationem compoſitionis explicare ſolemus.

VII. Nulla poteſt dari creatura perfectiſſima, quia cùm Deus ſit infinitè participabilis à creaturis, qualibet data creatura perfectiori, poteſt adhuc dari perfectior; hinc creatura perfectiſſima chimæra eſt.

VIII. Quò tamen creatura propiùs accedit ad Deum, eò perfectior, ſimplicior, minúſque dependens: quia magis participat de Dei illimitatione; ita tamen vt ſemper infinitè diſtet à Deo: hinc Deus dicitur menſura omnium rerum, non quidem per adæquationem aut multiplicationem, ſed per excellentiam, quatenus quodlibet ens creatum eò nobilius cenſeri debet, quò ad Deum magis accedit.

IX. Ex illimitatione tanquam ex radice, omnipotentia quaſi pullulare à nobis concipitur. Ex eo enim Deus dicitur omnipotens, quòd poſſit producere quidquid eſt producibile: ex eo autem poteſt producere quidquid eſt producibile; quia continet in ſe omnem perfectionem poſſibilem ſeu rationem omnem entis, quæ eſt in quolibet producibili: ex eo denique continet omnem rationem entis, quia eſt vniverſaliter ens & illimitatum in ratione eſſendi. Item illimitatio quoad

intelligere, hoc eſt attributum ſapientiæ, qua Deus omnia novit, illimitatio quoad velle, hoc eſt libertas perfectiſſima, impeccabilitas, veracitas, fidelitas, miſericordia, juſtitia, aliæque id genus virtutes morales, quæ nihil imperfectionis in ſuo conceptu proprio involvunt; illimitatio quoad locum, quæ eſt immenſitas; denique illimitatio quoad durationem, quæ eſt æternitas. At

Quæres, an Deus junctus cum creaturis ſit majus bonum, ſeu aliquid perfectius, quàm Deus ſolitariè ſumptus;

Reſp. huic propoſitioni duplicem ſenſum ſubeſſe poſſe. Primus eſt, an Deus & creaturæ ſimul ſumpta, ſint plura bona, quàm Deus ſolus. Secundus, an aggregatum ex Deo & creaturis, ſit totum aliquod majoris, vt ita dicam, valoris, quàm Deus ſolus. Primo ſenſu propoſitio accepta, vera eſt, quia Deus & creatura ſunt plura realiter diſtincta; ſecundo autem ſenſu ſumpta, falſa eſt. Deus enim junctus cum creaturis non eſt bonum majoris valoris quàm Deus ſolitariè ſumptus. Ratio duplex ex D. Thom. Prima quidem, quia bonum increatum ſe habet ad creatum ſicut punctum ad lineam: ergo ſicut punctum lineæ adjunctum, non facit aliquid majus, ita nec bonum creatum additum bono increato, facit melius. Secunda verò, quia tota ratio bonitatis, quæ rebus creatis ineſt, in Deo continetur: vnde non poteſt fieri additio alicujus boni Deo, quod in Deo non ſit. Prima ratio petitur ex improportione creaturæ ad Deum, vnde meritò Iſaias exclamat: *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt.* Creaturæ quippe infinities

multiplicatæ inſtar nihili ſunt, ſi cum Deo contendantur; ſunt enim ſemper entia ab alio & quaſi nihilum, quod enti adjunctum non facit melius. Secunda ducitur ex continentia formali aut eminentiali, à qua Deus id habet, vt bonum creatum ſecundùm omnem rationem boni ſimpliciter dicti in ipſo ſit; hinc Deus perfectiori modo continet creaturas, quàm quælibet cauſa æquivoca contineat ſuos effectus: cauſa enim æquivoca non continet omnem rationem puri boni quod eſt in effectu: v.g. intellectio addit ſupra intellectum imaginem intentionalem, quæ eſt repræſentatio objecti, & quæ eſt perfectio ſimplex ex ſuo genere.

§. III. *De infinitate ſecundùm quid.*

I. OBSERVATIO. INFINITAS Dei ſecundùm quid, eſt nobilitas divini eſſe, quatenus æquivalet alicui perfectioni creatæ, quæ ſine contradictione major in infinitum cogitari poteſt, ſeu excellentia divini eſſe, qua continet in ſe puram aliquam perfectionem intra genus ſuum infinitam, hoc eſt, ita excellentem intra ſuum genus, vt quamvis intra idem genus infinitæ ſpecies contineantur, quarum aliæ aliis perfectiores ſint, eas tamen omnes ſuperet. Breviſſimè, excellentia ſumma in ſuo genere ſeu plenitudo perfectionum omnium abſolutarum in vno genere, in quo diſtinguitur ab infinitudine ſimpliciter dicta, quæ eſt exactiſſima plenitudo omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, ſeu complexio omnium perfectionum poſſibilium.

II. OBSERVATIO. Infinitudo in certo gene-

te tria requirit. 1. Debet continere in ſe formaliter aut eminenter omnem perfectionem poſſibilem. 2. In illarum perfectionum ſerie debet creſcere ſine termino. 3. Quidquid in illa interminabili ſerie determinatum aſſignaveris, debet infinitè ſuperari ab eo, quod in illo genere dicitur infinitum: v. g. ſapientia divina vt dicatur infinita in ſuo genere, 1. debet in ſe omnes ſapientiæ ſpecies, gradus & menſuras, quæ ſunt vel poſſunt eſſe intra genus ſapientiæ, complecti; 2. nullos pati extenſionis aut intenſionis terminos; 3. ſe extendere ad omnia intelligibilia ſimplicia & complexa, exiſtentia, præſentia & futura. Porrò differt infinitudo ſecundùm quid ab infinitudine ſimpliciter dicta, in duobus potiſſimùm. 1. Quòd hæc reſpiciat ens vt ens, illa autem certum tantùm genus entis. 2. Quòd infinitudo ſimpliciter dicta, negationem propriè dictam excludat, infinitudo ſecundùm quid, privationem ſeu imperfectionem. His obſervatis, ſit

I. Assertio. Deus eſt infinitus in quolibet genere perfectionis puræ. Probatur 1. à majori ad minus: Deus eſt ſimpliciter infinitus ſeu illimitatus in omni genere entis, vt jam confeci 1. paragrapho: ergo eſt etiam infinitus in quolibet genere entis. 2. Perfectio in ſuo genere infinita eſt ea, quæ omnes ſpecies poſſibiles intra idem genus alias aliis perfectiores longè ſuperat, vt patet ex obſervatione vtraque: quælibet perfectio Dei ſimplex omnes ſpecies poſſibiles intra idem genus ſuum, alias aliis perfectiores longè ſuperat; alioqui dari poſſet aliqua vel perfectior, vel certè eidem æqualis; & ita Deus aut ſuperius aut par haberet in illo genere, quod deſtruit notio-

nem Dei omnium mentibus impreſſam, & ab Auguſtino traditam lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 7. *Omnes*, inquit, *pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt. Itaque in hoc omnes conſentiunt Deum eſſe, quod cæteris rebus omnibus anteponant.* 3. Quidquid finitur in aliquo genere, vtique à cauſa, vel efficiente, vel finali, vel materiali, vel formali finitur : Deus à nulla cauſa finitur ; non ab efficiente, quia eſt ens à ſe; non à finali, quia eſt forma formarum: ergo à nulla cauſa finitur. Denique eſſentiæ infinitæ proprietates ſeu attributa ipſi non congruunt, niſi in gradu & perfectione infinita ; debent enim ipſi commenſurari : ergo quælibet perfectio Dei eſt infinita in ſuo genere.

II. Assertio. Infinitudo Dei ſecundùm quid, nulli creaturæ communicari poteſt. Probatur : Infinitudo ſecundùm quid, ſeu in certo aliquo genere, vel eſt in ſubſtantia, vel in quantitate continua & diſcreta, vel in qualitate : talis infinitudo nulli creaturæ communicari poteſt, vt fusè probavi tom. 2. Phyſ. vniverſ. part. 3. diſp. 2. vbi art. 3. iis quæ objici poſſunt, occurrimus.

§. IV. *Conſectaria.*

1. QUODLIBET attributum Dei tantum eſt, quantum poteſt cogitari maximum; alioqui non eſſet infinitum in ſuo genere : itaque contrario ſuo repugnat quàm maximè ; quare nec fallere poteſt Deus, nec falli : quia ſi falſitati ſubeſſet veracitas divina, major ipſa excogitari poſſet, nempe quæ omnem falſitatem excluderet.

Hinc tanta eſt ſapientia ejus, quanta eſt natura; tanta pulcritudo, quanta ſapientia; tanta bonitas, quanta pulcritudo: hinc etiam ſcientia ejus dicitur omniſcientia; potentia, omnipotentia, quia quælibet perfectio Dei gaudet plenitudine ſui generis, vt obſervat ſubtilis Theologus.

II. Ut infinitudo poſitiva eſt affectio vnius Dei: ita finitudo eſt nativa creaturæ proprietas, quæ hoc ipſo quòd eſt ab alio, eſt eſſentialiter finita & limitata in quolibet genere perfectionis. Et quemadmodum magnitudinis divinæ non eſt finis, ita parvitatis creaturarum non eſt finis, de ſe quippe nullum eſſe habent, de quo glorientur. Hinc

III. Nulla creatura dici poteſt infinita, niſi metaphoricè & impropriè. Nempe vel reſpectivè ad noſtram æſtimationem, quòd non poſſit à nobis menſurari: vel ad vires alterius, ſic ſpatium viginti leucarum reſpectu equi multùm fatigati, infinitum appellatur: vel ratione ordinis ſuperioris, in quo eſt; quo ſenſu homo dicitur infinitus relativè ad ſpecies animalium, quæ quamvis in infinitum multiplicentur, nunquam adæquabunt ſpeciem humanam. Unde fluxere hæc effata: *Infimum ſupremi majus eſt ſupremo infimi: qualibet virtus ſuperioris ordinis eſt infinita reſpectu virtutis inferioris ordinis.*

IV. Magnitudo Dei ſeu excellentia eſt infinities infinita. Illa enim excellentia eſt infinities infinita, quæ includit infinitas ſpecie perfectiones, quarum ſingulæ ſunt in ſuo proprio genere infinitæ: at talis eſt excellentia divina. Quin etiam quælibet perfectio Dei eſt infinities infinita entitativè & realiter: quia perfectio infinita

H v

aliis infinitis identificata, quæ in ſuo proprio genere infinitæ ſunt, eſt infinities infinita: quælibet perfectio Dei infinita eſt in ſuo genere & aliis ſpecie diverſis identificatur, quarum ſingulæ ſunt in ſuo genere infinitæ: ergo quælibet perfectio Dei eſt infinities infinita.

v. Ab vtraque infinitudine Deus habet, vt dicatur circulus infinitus, in cujus centro totus mundus eſt, circumferentia nuſquam eſt; numerus, ſed ſine numero; menſura, ſed ſine menſura; pondus, ſed ſine pondere, quia perfectio illius omnes & arithmeticas & geometricas rationes proportioneſque longè ſuperat: non quanta, neque quota eſt. Nam ſi numeres, omnes numeri in nullo ſunt numero; ſi metiaris, menſuras omnes exhaurit; ſi appendis, ne judicio quidem mentis vel animi ſciri poteſt, quàm grave ſit Dei pondus. Nec clauditur punctis, nec circumſcribitur angulis, nec terminatur viſu, nec tenetur tactu, nec ſentitur inceſſu, nec comprehenditur intellectu. Ipſe eſt finis finiens omnes fines, nullis tamen finitus, quia nullum finem habet in quem dirigatur; nullum, quo perficiatur, quia vndequaque infinitus. Hinc ſi ſcire tentas, quid ſit Deus, deficis; ſi æſtimare vis, non potes; ſi comparas, erras; ſi definis, ipſa etiam definitione creſcit, vt qui inter finita vnus invenitur infinitus; ipſius infiniti eſt infinitio, & ipſa infinitione infinitior, cui etiam omnes infinitiones finitæ ſunt. Quare liceat hìc Deum iiſdem verbis affari, quibus eum olim Theologus affabatur: O magne, ô potens, Domine Deus. Tu bonum, tu perfectum, tu principium, tu terminus rerum omnium. Per te diſpoſita ſunt om-

nia; tu inveniſti, dum creaſti; diſpoſuiſti, dum collocaſti; perfeciſti, dum ornaſti. Ad hanc vſque diem & ſingulis vniverſi partibus & ipſi quoque vniverſo præfigis fines, præſcribis modos, ſpeciem præbes, & omnia ad te trahis tanquam ad quietem. Tuo pondere omnia alia pondera rapiuntur; tuâ menſurâ omnes aliæ menſuræ cohibentur; tuo numero omnes alii numeri formantur; ideoque tu limites neſcis, nec metam habes: abs te ſingula quidquid habent, accipiunt; tu nihil accipis, quia totum habes. O Deus meus! verè magnus es & excelſus, & non habes finem; tu capis omnia, & nemo te capit hominum! Tu ἀπέρατος, ἀπερίγραπτος & ἀτέλειος. Tuam adoro infinitatem, & ſine modo ac limite, ſi fieri poſſet, amare cupio. O *finis ſine fine! quando fruar te ſine modo & fine?*

VI. Item ratione vtriuſque infinitudinis, Deus quatuor potiſſimùm religionis officia ab homine ſuo quodam jure depoſcit; ſummam reverentiam, amorem benevolentiæ ſuper omnia, amorem concupiſcentiæ, & admirationem. Reverentiam ſummam & ſubmiſſionem infinita ejus excellentia poſtulat; quò enim major eſt princeps, eò majorem ſibi reverentiam & ſubmiſſionem vindicat. Amorem deinde benevolentiæ ſupra omnia exigit, quia vt quidlibet excellentiſſimum, ita & digniſſimum, cui tribuatur omne bonum ipſi congruens. Porrò id fit per caritatem & benevolentiam, ex qua deinde naſci in nobis debet deſiderium ipſius gloriæ, gaudium de bonis internis, nempe quòd Deus ſit in ſe tantus tamque infinitus; ex gaudio gratulatio. Amorem concupiſcentiæ, quo ipſum ſuper omnia deſide-

rabilia deſideremus, petit, quia in ipſo id omne continetur, quod concupiſcere poſſumus, vt nobis benè ſit: vnde contemptio bonorum omnium terrenorum, putà divitiarum, honorum, &c. quid enim eſt gloria & opulentia principum, niſi vmbra quædam & pictura rudis, ſi cum æterna Dei gloria & opulentia comparetur? Denique admirationem in nobis excitare maximam debet: quia Deum nobis contemplantibus multa quidem ex rerum creatarum, per quas ad ipſum aſſurgimus, attenta conſideratione nobis patent; ſed multò plura, eaque præſtantiora latent: admiratio autem eſt objecti excellentis partim patentis, partim latentis, quæ cupiditatem in animo pene infinitam excitat illius partis, quæ latet, cognoſcendæ.

VII. Hinc etiam naſcitur nobilitas ſervitutis divinæ, quæ omnibus regnis ſceptriſque potior, ex Philone Jud. lib. de Cherubim. *Nihil ſic purificatam mentem afficit lætitia, quàm quòd Dominum habet quem agnoſcit regem rerum omnium, nam ſervire Deo maxima eſt gloriatio, non modò libertate major, ſed & divitiis & principatu & omnibus rebus, quas mortales mirantur, pretioſior.* Continetur autem ſervitus illa 1. cognitione Dei; 2. caritatis & benevolentiæ officiis; 3. religionis cultu; 4. cuſtodiâ mandatorum, & virtutum omnium ſtudio.

Quæres hîc, an infinitudo Dei ſecundùm perfectionem, ſit ſpeciale attributum à cæteris diſtinctum. Reſpondet Ferrerius non eſſe. Ratio illius eſt, quòd infinitudo Dei vel ſit complexio omnium omnino perfectionum ſimpliciter ſimplicium; vel ſit tantùm plenitudo perfectionum in

vno duntaxat genere. Infinitudo primo ſenſu accepta, nihil dicit ſupra ſimpliciſſimam complexionem omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, quarum quælibet in ſuo genere infinita: at hoc nihil eſt aliud quàm omnes Dei perfectiones ſimpliciter ſimplices in vna & eadem re per identitatem adunatæ. Secundo autem ſenſu vſurpata, nihil aliud eſt quàm perfectio Dei aliqua, v. g. intellectio, quæ hoc ipſo infinita eſt, quòd ſua excellentia poſſibiles intellectiones alias aliis perfectiores infinito ſuperet intervallo, quod nihil dicit ſupra intellectionem ad gradum intellectionis eminentiſſimum contractam. Alii reſpondent infinitudinem eſſe attributum complexum, conſequens alias perfectiones divinas: quia eſt complexus aliorum attributorum, poſterius ratione cæteris attributis; complexus enim ex partibus, partes ipſas ratione conſequitur, quia eſt ratione poſt ipſas. Alii conciliare nituntur, dicendo infinitudinem radicalem nihil eſſe præter perfectiones Dei ſimpliciter ſimplices; formalem autem eſſe aliquid quaſi ratione conſequens ad ipſas.

ARTICULUS IV.

De immutabilitate Dei.

CIRCA immutabilitatem quæritur 1. quid ſit; 2. an Deo conveniat; 3. an ita Deo conveniat, vt nulli creaturæ communicari poſſit; 4. quæ conſectaria inferri ex ea poſſint.

§. I. *Quid ſit immutabilitas, & an Deo vni conveniat.*

UNICA OBSERVATIO. IMMUTABILITAS non vno nomine inſignitur. Dicitur enim vniformitas eſſendi, invariabilitas, conſtantia in eſſe, & immortalitas.

I. ASSERTIO. Immutabilitas definitur, æterna & indefectibilis poſſeſſio omnis poſitivæ perfectionis ſimplicis: ex eo enim quòd Deus perfectiones omnes ſimpliciter ſimplices ab æterno & indefectibiliter poſſidet, fieri non poteſt, vt accipiat aliquid intrinſecè quod antea non habebat, aut quidquam amittat quod antea habebat. Porrò cùm ſua entitas ſit ipſi Deo talis poſſeſſio, eſt etiam ſua ſibi immutabilitas: vnde immutabilitas formaliter ſumpta, eſt Dei ipſius entitas, prout excludit ab eo poſſibilitatem carendi vlla planè perfectione pro vllo inſtanti æternitatis. Clariùs definitur, excellentia divini eſſe, excludens omnem actum & potentiam mutationis intrinſecæ & phyſicæ. Dixi 1. intrinſecæ, quia non repugnat Deum mutari extrinſecè, quatenus mutat objecta, immutatus in ſeſe. Dixi 2. phyſicæ, quia Deus non reſpuit mutationem moralem ortam ex objectis, ad quæ Deus manens ſemper idem, diverſas ſucceſſivè relationes habere à nobis concipitur. Quandiu autem ſumus in via, immutabilitas exprimitur à nobis per negationem mutationis, quæ ſubſtantiam rei attingit, vel alterationis, quæ accidens, vel motûs, quæ locum ſpectat; hinc multiplex ſpecies immutabilitatis: prima ſecundùm ſubſtantiam, quæ immortalitas;

ſecunda ratione accidentis, quæ vniformitas eſſendi; tertia ratione loci, quæ immobilitas dicitur, &c.

II. Assertio. Deus eſt ſimpliciter & abſolutè immutabilis. Ita D. Thomas quæſt. 9. art. 1. & 2.

Probatur 1. ex Scriptura Pſalm. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Exodi 3. *Ego ſum qui ſum*, indefectibiliter nempe & invariabiliter. Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor.*

Probatur 2. ratione multiplici, quarum primam ex tribus principiis ſic eruo.

I. Nulla imperfectio intrinſeca poteſt eſſe eodem inſtanti in eodem ſubjecto cum perfectione ſibi oppoſita; alioqui ſimul in eodem ſubjecto & pro eodem inſtanti forma & privatio, ens & non ens ineſſent.

II. In eo, in quo eſt omnis omnino perfectio intrinſeca, non poteſt pro eo inſtanti, quo manet in ipſo illa omnis perfectio intrinſeca, eſſe vlla imperfectio intrinſeca, quia complexio ex omni omnino perfectione includit perfectionem cuilibet imperfectioni oppoſitam.

III. In Deo ab æterno & pro tota æternitate neceſſariò non tantùm intrinſecè, ſed etiam identicè & realiter eſt complexio omnium perfectionum intrinſecarum; niſi enim ſic haberet, poſſet eſſe aliquo tempore vel inſtanti ſine tali perfectionum complexu, adeóque imperfectus: ergo non ſimpliciter perfectus, ergo nec illimitatus, ergo nec ens ſimpliciter; quæ omnia repugnant, immò & deſtruunt conceptum Dei quidditativum: hinc vides Deum ex vi plenitudinis

ſuæ neceſſariæ, excludere formaliter poſſibilitatem tranſitus ab vno intrinſeco ad alterum intrinſecum, adeóque eſſe vſquequaque immutabilem.

Secunda vt informetur, quatuor obſervanda. 1. Immutabilitas concipitur vt mutationis incapacitas. 2. Mutatio propriè dicta, fit ratione alicujus intrinſeci, quod acquiritur vel deperditur; eſt enim tranſitus à non eſſe ad eſſe, vel ab eſſe ad non eſſe, ſeu à privatione ad formam, vel à forma ad privationem mobili intrinſecam. 3. Illud intrinſecum, quod mutabile eſt, aliud primarium, nempe ſubſtantia; aliud ſecundarium, nempe accidens vel modus realiter à ſubſtantia diſtinctus; ſi enim ratione tantùm diſtinguatur, mutatio rationis eſt, non rei. 4. In natura intelligente quadruplex mutationis genus: vel quoad primarium eſſe, nempe quoad ſubſtantiam, quæ incipit eſſe, vel deſinit: vel quoad formam ſubſtantialem aut accidentalem, quæ acceſſu vel receſſu ſuo ſubjectum variè afficit ac mutat: vel quoad modos intrinſecos, cujuſmodi eſt vbi internum, duratio aut paſſio: vel quoad intellectum & voluntatem per quandam cogitationum & volitionum viciſſitudinem, quæ ſibi ſuccedunt ſine contrarietate, aut cum aliqua contrarietate. His obſervatis,

Sic arguo: Quadruplex eſt ſpecies mutationis phyſicæ & intrinſecæ, quæ naturæ intelligenti convenit: nulla ex iis ſpeciebus in Deum cadere poteſt. Non ſecundùm primarium eſſe ſeu ſubſtantiam, 1. quia eſt ens oppoſitum omni non enti, 2. quia eſt ens à ſe, 3. quia ens ſimpliciter neceſſarium, adeóque non poteſt tranſire de non

eſſe ad eſſe, vel de eſſe ad non eſſe, juxta illud Exodi: *Ego ſum qui ſum*, nempe *neceſſariò abſolutè, invariabiliter*: quare nec Deus converti poteſt in aliud, in cujus naturam faceſſat, quia deſineret eſſe id quod erat, & fieret illud ipſum, in quod converteretur: nec aliud quidquam in Deum phyſicè converti, quia id quod in Deum converteretur, deberet fieri Deus; converſio enim eſt actio, qua vnum vertitur in aliud, & illud ipſum quodammodo fit, adeóque à ſuo eſſe ad illius eſſe tranſit; hinc commentum Stoïcorum jure irridet Plutarchus lib. de communibus contra Stoïcos notionibus cap. 28. qui deos minores in Deum magnum verti ſomniabant: nec minùs abſonus eorum hæreticorum error, qui carnem Chriſti in divinitatem converſam, aut beatos in ipſum Deum ſubſtantialiter tranſire falsò pugnabant: *Eſſentia* quippe *divina nec poteſt converti in aliud, cùm ſit incorruptibilis; nec aliud in ipſam, cùm ſit ingenerabilis*, inquit D. Thomas, 3. part. q. 2. art. 1.

Non ſecundùm formam ſubſtantialem aut accidentalem, quia cùm ſit ſimpliciſſimus, omnem compoſitionem reſpuit, & cùm ſit illimitatus in omni genere perfectionis, nulla formæ ſubſtantialis aut accidentalis acceſſione perfici poteſt. Hinc Aug. lib. 5. de Trin. cap. 2. *Aliæ eſſentiæ, ſive ſubſtantiæ, accipiunt accidentia, quibus in eis fiat magna vel quantacumque mutatio; Deo autem aliquid ejuſmodi accidere non poteſt. Et ideo ſola eſt incommutabilis ſubſtantia, vel eſſentia, quæ Deus eſt.* Cyrillus 12. Theſauri in medio: *Accidens Deo nullum ineſſe poteſt; perfecto enim ex ſe ipſo, nihil poteſt accidere.*

Non ſecundùm modos intrinſecos actionis, quia Deus vt agens non mutatur, ſed mutat: vbicationis, quæ Deo repugnat propter immenſitatem, qua rebus omnibus præſens adeſt; durationis, quæ ſtare in ipſo non poteſt propter æternitatem, per quam neceſſariò & invariabilitèr exiſtit.

Non ſecundùm cognitionum & volitionum viciſſitudinem, quia cùm ſit actus puriſſimus, vno eodemque actu ſimpliciſſimo omnia cognoſcit & vult. Rationi Patres ſuffragantur. Gregorius Magn. lib. 16. Moral. cap. 17. *Sicut immutabilis naturâ eſt Deus, ita & immutabilis cogitatiòne.* Auguſtinus lib. 12. de Civit. cap. 17. *In Deo non alteram præcedentem altera ſubſequens mutavit aut ſuſtulit voluntatem; ſed vna eademque ſempiterna & immutabili voluntate, res quas condidit, & vt priùs non eſſent egit, quandiu non fuerant; & vt poſteriùs eſſent, quando eſſe cœperunt.* Et ibid. *Ad opus novum, ſed ſempiternum adhibet conſilium.* S. Maximus, qui Centuria 8. c. 88. apud Cypariſſiotum decade 8. ait in Deo *motum amatorium boni eſſe ſimplicem & immobilem.* Quid quòd illa cogitationum & volitionum viciſſitudo ignorantiam in Deo & inconſtantiam in volendo argueret? ignorantiam quidem, quia ſi aliquid de novo cognoſceret, vtique antea ignoraſſet: vel ſi deſineret cognoſcere, eſſet jam in illo ignorantia: at vtrumque repugnat infinitæ illius ſcientiæ; inconſtantiam verò, quia aliter ſe haberet quàm antea in volendo, aut non volendo, aut volendo, vel nolendo, nulla perfectiùs cognita ratione, cur res aliter ſe habeat.

Vides in hoc argumento Dei immutabilitatem potiſſimùm aſtrui ex ratione entis ſimpliciter, illimitati, à ſe, ſimplicitate & actus puritate. Jure itaque Plotinus Enneade 4. lib. 1. c. 4. pronuntiat omnia in Deo penitus conſiſtentia: *Quid enim*, inquit, *permutare queat, cùm bene ſe habeat, quóve tranſire queat, cùm penes ſe cuncta poſſideat. Sed neque exigit incrementum, cùm ſit perfectiſſimus, &c.* Hinc à Davide Deus *idipſum appellatur.* Nam idipſum eſt, inquit Auguſtinus in hunc locum, quod ſemper eodem modo eſt, & non modo aliud, & modo aliud eſt. Triſmegiſtus cap. 11. Pimandri: *Ipſum idem Dei quaſi eſſentia, bonum, pulcrum, beatitudo, æternitas, eſſentia, ipſum idem.*

Tertia ratio ſit. Omnis mutatio potentiam inter & actum intercipitur, quo potentia formatur & quaſi perficitur; mutatio enim eſt via quædam & progreſſio ad perfectiorem ſtatum: at Deus mera forma eſt actuſque ſimpliciſſimus, adeóque totum ſimul eſt quidquid eſt, neque potentiâ quidquam continet, ſed omnia actu actualiſſimo poſſidet, vt ex Plotino jam obſervavi.

Denique vt vrbs vallis vndique & propugnaculis firmiſſimis cincta, adverſus hoſtium aggreſſiones & impetus munitur: ita divina immutabilitas aliis attributis circumſepta, quaſi totidem propugnaculis ſeſe adverſus omnia mutationum genera tuetur ac defendit. Deum quippe ab annihilatione vindicat omnimoda exiſtendi neceſſitas, à corporali mutatione ſpiritalitas, ab accidentium complexione ſimplicitas, ab ubicatione interna immenſitas, à durationis modo æternitas, ab ignorantiæ metu ſcientia, à conſi-

liorum & decretorum viciſſitudine infinita in decernendo ſapientia, & ab omni miſeria ſumma & omnibus partibus abſoluta felicitas, &c.

III. Assertio. Immutabilitas Dei non poteſt communicari vlli creaturæ. Probatur 1. ex D. Paulo 1. Tim. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, id eſt, *immutabilitatem*, vt expoſuit Auguſtinus, qui lib. 1. de Trin. cap. 1. vt immortalitatem creaturæ aliquatenus concedit, ita perfectam immutabilitatem abjudicat: *Immortalitatem aliquo modo habet creatura, nullam autem habere mutabilitatem, ſolius eſt Creatoris.* Et Exodi 1. Deus dicit ſe ipſum eſſe ens, id eſt, vt interpretantur Patres, ſe eſſe incommutabiliter, cùm creaturæ ſint quaſi non ſint. Ratio à priori, quia cùm res quælibet creata Dei nutu verboque condita ſit, eſſentialiter pendet à ſuo auctore, qui ſicut illam liberè produxit, ita in nihilum, ſi lubet, redigere poteſt. Itaque nulla eſt prorſus creatura, quæ ſupremo Dei dominio non ſubſit, tum quoad molitionem ſui, tum quoad conſervationem: nulla, etiam ſpiritalis, quæ recipiendis accidentibus non ſit apta. Nam ipſi angeli recipiunt in ſe intellectum & voluntatem, dum ab ipſis emanant: nulla, quæ ſi corporata ſit, alterari non poſſit: nulla, quæ non loco & tempore circumſcribatur: nulla quæ viciſſitudinem cogitationum & volitionum, ſi concretionis expers, non patiatur, & quæ per habitus vſu & exercitatione partos non poſſit perfici: nulla demum, quæ perfectionem, qua carebat antea, conſequi non valeat, aut eam amittere quam habebat. *Solus* itaque *Deus*, inquit Auguſtinus, lib. de natur. boni cap. 1. *eſt immutabilis; quæ autem fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia ſunt.*

§. II. *Conſectaria ex immutabilitate.*

I. UT immutabilitas eſt affectio Dei genuina, ita & mutabilitas creaturæ, quæ plus participat de non ente, quàm de ente; hæc quippe eſt quaſi prima diverſitas creaturæ ab ipſo Deo, vt obſervat Suares Granat. ex Lactantio lib. 2. de origine erroris. Pronuntiatum iſtud inculcat Proclus Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Armen. *Mutabilitas*, ait, *eſt affectio naturæ præterfluentis; ſempiternæ verò & eodem modo ſemper habentis immutabilitas.* Cui concinit Cyrillus: *Deus quidem in bonis eſt, quæ commutari nequeunt; creaturæ autem ſunt in converſione, & in foribus habent corruptionem.*

II. Ex argumentis, quibus Dei immutabilitatem phyſicam ſtabilivimus, etiam immutabilitas moralis Dei tùm in deliberando, tum in decernendo conficitur: quare nulla eſt in Deo cogitationum, volitionum & decretorum viciſſitudo. Sed omnis cogitatio, omnis volitio & decretum in Deo ab æterno fuit & in æternum erit, quia per vnam eandemque ſententiam, vnamque intrinſecam volitionem, ſed multis æquivalentem, facit extra ſe contrarios effectus; creatura autem intelligens mutabilis eſt moraliter intrinſecè, priuſque ſe mutat intrinſecè per cogitationes juxtà & volitiones, quàm alia à ſe diſtincta mutet. *Æterna* itaque *& incommutabilis eſt voluntas ejus*, nempe Dei, *nec conſilio alternante variatur: in qua ſimul eſt quidquid in rebus creandis, vel ordinandis præceſſit aut ſequitur.* Ità S.

Proſper ſententia 145. Itaque quod ſemel Deus voluit ac decrevit, fixum immotumque perſiſtit: nec quiſquam eſt, qui eum ad ſententiam mutandam impellat. Nemo, ait Job, avertere poteſt cogitationem tuam, nec prævalet reſiſtere judiciis tuis: nemo poteſt precibus eum flectere, hoc eſt, conſilium illius propriè mutare. Sed ſi qui deprecando ſententiam illius avertiſſe videantur, id dictum ad hominis captum. Sed fuit in Deo æterna cogitatio, vt ſententiam illius vitare potuiſſent, & ab eo quod deprecantur, acciperent. Non denique operando mutatur Deus, ſed operatione ſua cuncta immutat immutabilis. Sic ſol immutatus flores explicat, maturat meſſes, ac fructus ipſamque naturam immutat.

111. Quoties quidpiam Deo tribuitur, quod non poteſt intelligi ſine mutatione intrinſeca, mutatio in creaturam refundi debet: aut ſi quæ Deo tribuatur, activa eſt, non paſſiva, quæ ſoli creaturæ convenit: quo ſenſu Deus dicitur Sapientiæ 7. omnibus mobilibus mobilior, activè ſcilicet, non paſſivè, quòd omnia moveat & mutet, immotus idem & immutatus. Quòd ſi actus immanens Deo tribuitur, qui ſine mutatione intelligi non poſſit, vt pœnitere, iraſci, voces accipiendæ ſunt vel in ſenſu metaphorico, vel in ſignificatione tantùm inadæquata; ita vt Deus intelligatur facere mutationem, creatura autem pati; hinc 1. cum Deus dicitur modò amare, modò odiſſe eundem hominem, mutatio fit in objecto, non in Deo, qui eodem ſimpliciſſimo actu amat omne bonum, & odit omne malum, idemque actus ſimpliciſſimus citra ſui mutationem, nunc amor, nunc odium dicitur; amor

erga hominem, quando bonus eſt; odium, quando malus. Sicut nummus ex Auguſtino lib. 5. de Trin. cap. 15. nulla ſui interna mutatione, varias habet ſucceſſivè denominationes pro mutatione rerum ad quas relativè dicitur. *Si ergo*, inquit, *nummus poteſt nulla ſui mutatione toties dici relativè, vt neque cùm incipit dici, neque cùm deſinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus eſt, mutationis fiat; quantò faciliùs de illa incommutabili ſubſtantia debemus accipere, vt ita relativè dicatur ad creaturam, vt licèt temporaliter incipiat dici, non tamen ipſimet Dei ſubſtantiæ accidiſſe aliquid dicatur, ſed illi creaturæ ad quam dicitur.* 2. Pœnitentia Deo attribuitur, quòd mutet opera, deſtruendo quæ fecerat, & quæ comminatus fuerat, remittendo, quod hominibus non accidit, niſi mutata voluntate per prioris facti pœnitentiam inquit Ruis. Et ex Auguſtino in enarrat. Pſalm. 21. ira & furor Domini Dei vis eſt, qua juſtiſſimè vindicat ſubjectam ſibi ad miniſterium vniverſam creaturam, ſicut pœnitere in Deo, eſt velle non eſſe aliquid, ſicut fecerat vt eſſet. Sed tamen & cùm ita eſſet, ita debebat; & cùm ita eſſe jam non ſinitur, jam non debet ita eſſe, perpetuo quodam & tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia immutabili voluntate diſponit. Ita ille lib. 2. ad Simplic. quæſt. 2.

IV. Nihil improviſum aut inexpectatum Deo, ſed omnia jam inde ab æternitate ſapientiſſimè proviſa ac pleniſſimè conſiderata; perinde ac ſi infinito tempore omnia & ſingula expendiſſet, immo & ſtatuta ac decreta: vnde nec voluntas ejus circa vllum objectum vnquam ſuſpenſa fuit

aut indeterminata; hinc rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ apud Deum, & rerum omnium mutabilium rationes immutabiles manent; hinc creaturæ ſunt perfectiori modo in Deo, quàm in ſe ipſis; ſunt enim in Deo invariabiliter, in ſeipſis autem variabiliter. Itaque cùm Deus rebus providet, procreat, deſtruit, juſtificat, condemnat, remuneratur, id ipſum exequitur in tempore, quod ab æternitate decrevit. Finge pictorem qui ſolo actu voluntatis tabulas pingat, is abſque vllâ ſui mutatione tabellam decem pòſt annis producendam nunc decernere poſſit: ſic Deus ab æterno ſingula ſuis procreanda momentis decrevit.

v. Ex perfecta immutabilitate ſumma quies divini appetitus & pax altiſſima. Tunc enim ſumma quies appetitus eſt, cùm eſt ſecura poſſeſſio omnis boni: tunc eſt ſecura poſſeſſio omnis boni, cùm omne bonum poſſidetur ſine metu ipſius amittendi, & cujuſlibet mutationis periculo; hinc effatum Tertulliani lib. de carne Chriſti cap. 3. *Periculum ſtatus ſui Deo nullum eſt.* Et ex S. Eucherio in libro de formulis intelligentiæ cap. 1. *Dei natura ideo imperturbata dicitur, quia immutabilis.* Philo Judæus lib de Cherubim, ait Deum ſolum propriè quieſcere, & feſtum agere, quia ſolus viciſſitudinis & mutationis expers. *Lætatur ac ſolus gaudet, & hilaritate paceque fruitur: ac ſoli ipſi convenit, vt in pace degat, quam nullum turbet interpelletque bellum.* Denique ſanctus Hilarius beatitatem Dei indè colligit in Pſalm. 2. *Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deeſt: de mutatione non novus eſt, qui origine caret. Ipſe eſt, qui quod eſt, non aliunde*

aliunde eſt, in ſeſe eſt, ſecum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt, carens omni demutatione novitatis: qui nihil aliud quod in ſe poſſet incidere per id quod ipſe ſibi totum totus eſt, reliquit. Certè Deus eſt ita immutabilis, vt ſtatum ſuum mutare non poſſit, ex Cyrillo Alexandrino dial. 1. *Velut defixus & ſtabilitus eſt*, inquit, *in bonis propriis, nullum in vtramque partem tranſitum ſuſtinens, & eſt ſtabilitas illa eſſentialis, non ex electione manantis ſecuritatis inventum.*

VI. Ita in ſua immobilitate Deus quietus eſt, vt non ſit otioſus, immo actuoſiſſimus. Pelagus quippe eſſentiæ eſt, non longa mora duratum, non torpore ſolutum; ſed impigrum & vivax, quod ſine vllo fine ſe ipſum ciet, & extra ſe egrediens fluit vt effluat refluatque, omnium quæ ſunt, ſervator idem & conditor, ſingula movet, verſat, circumagit; & ſicut per ſeipſum in ſe ipſo perenniter vivit, & non per alterius vitam, ſic per ſeipſum, quoque ſeipſum movet, non aliunde motus; immo ne à ſeipſo quidem motus, ſicut nec à ſeipſo creatus. Hinc ab Auguſtino lib 1. Confeſſ. cap. 4. Deus dicitur *immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innouans omnia & in vetuſtatem deducens ſuperbos; ſemper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, portans & implens & protegens, creans & nutriens & perficiens.* Et ex D. Proſpero, nihil fit viſibiliter in hac totius creaturæ velut ampliſſima republica, quod non ab inviſibili aula ſummi imperatoris vel jubeatur, vel permittatur.

VII. Quò qualibet creatura ad Deum propiùs accedit, eò mutationi minùs obnoxia; quò autem longiùs recedit, eò mutabilior: hinc an-

geli magis participant de divina immutabilitate; materia autem omnium rerum mutabiliſſima, & ſubjectum omnium mutationum ſublunarium, quia à Deo remotiſſima. Ipſi tamen angeli non tantùm ſecundùm accidentia, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam mutabiles ſunt reſpectu Dei, quia pendent ex libero Dei influxu, à quo vt liberè ſunt conditi, ita ad nutum illius in nihilum redigi poſſunt, quamvis nulla ſit cauſa creata à qua deſtrui queant. Quin etiam ipſi beati ſua felicitate, ſanctitate & gloria excidere poſſunt, ſi Deus velit, qui nemini obnoxius, nemini debitor eſt, niſi ex gratuita ſua & liberali promiſſione, vt obſervat Leſſius. Hinc à D. Damaſceno lib. 2. de fide c. 3. *Immortalis eſt angelus non naturâ, ſed gratiâ*; nempe ob influxum jugem ac perennem quo conſervatur à Deo, & qui cum Deo liber ſit, & nullo prævio ejuſdem merito ipſi conferatur, idcirco gratia à Damaſceno vocatur.

VIII. Cùm id quod eſt tale per accidens, reduci debeat ad id quod eſt tale per ſe; Deus autem ſit immotus in bono per ſe, homo autem per accidens: hinc patet primò hominem figi & ſtabiliri in bono, quatenus Deo arctiùs vnitur, qui eſt omnis firmitatis principium: vnitur autem per actus fidei, ſpei & caritatis. Nam per fidem tanquam per vinculum inviſibile, primæ veritati adhæret intellectus hominis, quæ cùm ſit infallibilis & inconcuſſa, ſuam certitudinem in intellectum humanum refundit, vacillantem firmat & munit contra errores omnes. Hinc ex D. Dionyſ. de divin. nom. cap. 6. Fidelis beneficio fidei ſuæ *habet permanentiam immobilis & in-*

tranſmutabilis identitatis. Per ſpem quoque Deo firmiùs innitimur. Nam ex D. Thoma 2. 2. q. 17. art. 6. *Spes facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum ſcilicet per ſpem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Hunc ſtatum D. Paulus Coloſſenſibus, fide & ſpe ſequeſtris, apprecatur Coloſſ. 1. his verbis: *Si tamen permanetis in fide, fundati & ſtabiles & immobiles à ſpe Evangelii, quod audiiſtis.* Denique caritas, cùm vinculum perfectionis ſit, quo Deo amanti amati vnimur, & tanquam fini vltimo arctiſſimè conjungimur: quis non videt per amorem nos quodammodo divinam immutabilitatem æmulari? Certè cùm amor ille ſupernaturalis gratuitus ſit, ſimplex, vnicus, itáque ipſi Deo indiviſim annectat, conſtantiſſimus idem & immutabilis perinde ac objectum eſſe debet, nec tribulatione, nec anguſtia, nec fame nos à Chriſto avelli & ſeparari patitur. *Ita*, inquit D. Thomas, *certitudo cauſatur ex virtute caritatis, quæ quantum in ſe eſt, ab aliquibus non poteſt ſeparari, cùm Deum ſuper omnia diligant.* Hanc immutabilitatem bene deſcribit Gregorius Naz. orat. 27. *Hic enim divinum aliquid ſentiens, his quoque Dei verbis vti poteſt. Ego idem ſum, & non mutor; quare nec ab animo ſuo migrabit, nec immutabitur cum temporibus ac rebus, aliàs alios mores induens, ac novos ſubinde colores aſſumens, non ſecus ac Polypi; ſed idem ſemper, ſuique ſimilis permanebit fixus in rebus minimè fixis, immotus in incertis & fluctuantibus; non aliter ac rupes quædam ventorum fluctuumque impetu non modò non concutitur, ſed etiam incurſantes vndas circa ſe frangit atque abſumit.*

2. Quilibet ſtatus religionis Chriſtianæ divinam immutabilitatem vtcumque imitatur, vt ipſa vox notioque indicat; ſtatus enim à ſtando dicitur: ſed ſtatus perfectionis perfectiùs imitatur. Hinc religioſus ſtatus hominem dum Deo mancipat, quodammodo reddit immutabilem, ex Bernardo. *Non eſt*, inquit, *alia magis Deo propinqua ſimilitudo in quantum voluntaria, quæ in his virtutibus conſiſtit, in qua anima virtutis magnitudine, ſummi boni quaſi imitari geſtit magnitudinem, & perſeverantia in bono conſtantia, æternitatis ejus immutabilitatem.* Et verò per tria vota totum penitus hominem Deo addicit & mancipat; hinc holocauſto comparatur, in quo nihil quidquam victimæ reſervabatur; & matrimonio, quo ſponſa in jura ſponſi, viciſſimque ſponſus in jura ſponſæ tranſit, ita vt neuter ſit ſui ampliùs juris ac poteſtatis. Et à Suare ipſa votorum emiſſio, donatio, commutatio, reſtitutio & traditio appellatur. Præterea à regulis quæ divinæ ſapientiæ expreſſiones quædam ſunt, ad finem tutò & ſecurè perducitur quilibet religioſus; finis autem ſtatus illius eſt perfecta & conſummata caritas, quæ ex natura ſua immutabilis eſt, quia ſequitur naturam objecti ſui, nempe Dei, ſicut amor creaturæ mutabilis eſt pro indole objecti, quod cùm ſit ex non ente, mutabile eſt. Sed ſtatus beatorum divinam immutabilitatem perfectiſſimè imitatur, tum ex parte objecti, tum ex parte principii & modi: objectum enim Deus eſt, qui omnis mutationis expers, & quidem potentiis beati immediatè conjunctus. Ex parte principii efficientis, quia anima cum potentiis immortalis & indeficiens:

ex parte modi, quia per lumen gloriæ quod perenne eſt, clarè & intuitivè Deus videtur vt in ſe eſt. Hinc Auguſtinus lib. de ſpiritu & anima cap. 36. *Ibi videtur ſine intermiſſione, cognoſcitur ſine errore, amatur ſine offenſione, laudatur ſine fatigatione.* Et alibi: *O ſancta Sion, vbi totum ſtat, & nihil fluit, vbi juventus numquam ſeneſcit, vbi decor nunquam palleſcit, vbi amor nunquam tepeſcit. vbi vita terminum neſcit.*

3. Nulla natura intelligens in bono ſtare poteſt, niſi opitulante gratia adjuvetur, nec perſeverare in illius adeptione vſque ad finem poteſt, niſi gratuitò & ſpeciali Dei beneficio, quo infallibiliter in finem ſuum tranſmittatur; hinc ſumma animi demiſſio & jugis gratiarum actio in Sanctis.

4. Cùm quis à Deo per peccatum avertitur, & creaturæ per amorem indebitum adhæret, tum à Dei immutabilitate maximè deficit: amor quippe creaturæ mutabilitatem & inconſtantiam ſequitur, & quò in plura objecta creata effundit ſe ſe, eò inſtabilior, juxta illud Thren. 1. *Peccatum peccavit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Quin etiam *impii* dicuntur Pſalm. 11. *in circuitu ambulare.* Et Iſai. 19 *Dominus miſcuiſſe in medio eorum ſpiritum vertiginis*, quod nempe circa creaturas perpetuò obambulent cupiditatibus ſuis, quæ mutabilitatem ſuam & inconſtantiam in corda ipſorum refundunt, vnde agitatio perpetua animi & vertigo, qua jugiter circumaguntur, nec vſquam conſiſtunt. *Iuſtus* quippe *in ſapientia permanet vt ſol, ſtultus vt luna mutatur.*

VIII. Ex mundi creatione & angelorum ho-

minùmque obſequiis nihil felicitatis & gaudii intrinſecè accedit Deo, ſicut nihil mœroris & triſtitiæ ex eorumdem peccatis. *Si peccaveris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò ſi juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua recipiet?* Iob 35. Nemo itaque ſibi blandiatur, quaſi multùm pro Deo fecerit; obſequia quippe noſtra non Deo ipſi, ſed nobis proſunt. Auctor libri de Trinit. qui Novatianus falsò perhibetur, id ipſum inſinuat: *Ideo nec adjectio in illo vnquam vllius aut partis aut honoris accedit, neque vnquam perfecto defuiſſe videatur. Sed quod eſt, id ſemper eſt; & qui eſt, ſemper ipſe eſt; & qualis eſt, ſemper talis eſt.* Nemo item ſcelera ſua impudentiùs venditet, quaſi Deum læſerit. Nec enim lædit Deum, ſed ſeipſum, quia quidquid in illam incommutabilem rectitudinem illiditur, neceſſariò confringitur juxta Bernardum, *læſio alterius ſit, abſit vt Dei.* Dei, inquam, quoad bona intrinſeca, quæ cùm ipſi eſſentialia ſint, nec minui, nec augeri poſſunt. At bonum Dei extrinſecum, quod eſt ipſius gloria externa, peccato minuitur & obteritur, ſicut morum ſanctimonia augetur & amplificatur; hinc licèt totus mundus periret, nihil amitteret Deus, nec detrimenti quidquam intrinſecùs caperet.

11. Confuge ergo ad Deum, & ejus immutabilitatem æmulari ſtude conſtantiâ propoſiti in virtutis ſtudio, & patientiâ in adverſis; ita vt nec adverſis fractus, nec proſperis illectus, à via rectitudinis vnquam deflectas. Si ei adhæſeris, firmabit te ſuo ſalutari præſidio, licèt infirmum, per quem firmantur omnia, poteriſque ipſius gra-

tiâ corroboratus dicere cum Job: *Iuſtificationem quam cœpi tenere, non deſeram.*

ARTICULUS V.

De immenſitate & æternitate Dei.

IMMENSITATI æternitatem conjungo ob ſummam vtriuſque affinitatem & cognationem: immenſitas enim omnia replet loca, æternitas omnia complectitur tempora; illa Dei magnitudinem colligit in punctum, hæc durationem colligit in momentum; illa ad omnia omnino loca latiſſimè funditur abſque extenſione, hæc ad ſæcula omnia, alia aliis ſuccedentia, pertinet ſine ſui ſucceſſione; illa nec terminum, nec menſuram habet, hæc nec initium, nec finem: quodlibet ſpatium adumbrata quædam eſt divinæ immenſitatis imago: quilibet dies, æternitatis rudis delineatio. Nec enim alium ob finem Deus loca & tempora procreat, quàm vt in iis immenſitatem juxtà & æternitatem vtcumque exprimat. Deinde quodlibet ens gemina affectio ſequitur; ſi finitum ſit & limitatum, locus, quo circumſcribitur, & tempus, quo definitur; ſi infinitum & illimitatum, immenſitas & æternitas, quibus omnem & loci & temporis infinitatem exhaurit. Sed quoniam de vtroque attributo jam egimus in Phyſica vniverſali tom. 2. de immenſitate quidem part. 4. diſp. 1. art. 3. §. 2. 3 & 4. de æternitate autem part. 5. diſp. vnica de durat. a. 1. §. 3. hîc breviſſimè tractabimus.

§. I. *De immenſitate Dei.*

I. OBSERVATIO. UT natura immenſitatis divinæ clariùs pateat, duplex diſtinguenda magnitudo ſeu extenſio; formalis vna, virtualis altera. Formalis eſt poſitio partium extra partes in ordine ad locum, quæ corporum propria; omne enim corpus actu extenſum conſtat pluribus partibus, quæ non ſunt ſimul omnes, ſed ſitu, ſpatio & loco cum quadam impenetrabilitate diſſitæ ſunt. Virtualis, alia rebus intrinſeca, alia extrinſeca. Ab illa res habet, vt quamvis ſit ſita in toto loco & tota realiter in qualibet parte loci, ſingulis tamen ſpatii partibus per virtualem quandam ſui diffuſionem reſpondeat, adeóque non ſit tota totaliter in qualibet parte loci, quamvis ſit tota realiter. Ab hac habet actio quæ à ſubſtantia procedit, vt loco extendatur: per illam res dicitur propriè extendi; per hanc impropriè & metaphoricè, ſeu per aliud. Hinc

II. OBSERVATIO. Duplex ſententia circa Dei immenſitatem: prima illi tribuit extenſionem quandam virtualem intrinſecam, qua etiam ſpatiis imaginariis correſpondet; ſecunda extrinſecam & quaſi metaphoricam, quatenus Deus omnia loca operatur & facit. De vtraque ſententia jam plura loco mox citato diximus: quare pauca juxta vtriuſque ſententiæ principia hîc attexo.

III. OBSERVATIO. Nomine immenſitatis, attributum interpretamur, à quo habet Deus, vt vbique præſens adſit, & omnem locum repleat, rebus omnibus non tantùm proximus ſit,

ſed etiam infuſus ; intra omnia ſit , ſed non incluſus ; extra omnia ſit, ſed non excluſus ; interior, vt omnia contineat ; exterior , vt incircumſcripta magnitudinis ſuæ majeſtate omnia includat, inquit Iſidorus lib. de ſummo bono c. 2. His obſervatis ſit

I. ASSERTIO. Deus eſt verè immenſus. Probatur 1. Scripturæ auctoritate : *Immenſus eſt Deus, & non habet finem.* Baruc cap. 3. *Cælum & terram impleo.* Jerem. 12. *Si aſcendero in cælum, tu illic es ; ſi deſcendero in infernum , ades.*

Probatur 2. ex teſtimonio SS. Patrum. Auguſtini epiſt. 212. *Nuſquam abſens eſt, qui cælum & terram implet : nec ſpatiis includitur parvis, magniſque diffunditur ; ſed totus eſt , & nullo continetur loco.* D. Baſilii tom. 1. pag. 506. *Neque Pater in loco , neque Filius in circumſcripta aliqua vel definita regione continetur ; ſed immenſus eſt Pater, immenſus etiam Filius. Totum illud quodcunque mente intellexeris , & quocunque ſpiritu pervaſeris ; id ipſum reperies Deo plenum , ubique ſimul extenſam Filii hypoſtaſim reperies.* Quæ poſtrema verba ipſam Dei ſubſtantiam totum mundum implere demonſtrant. Gregorii Magni lib. 2. Moral cap. 8. *Deus eſt intra omnia , & extra omnia, & infra omnia. Superior per potentiam, inferior per ſuſtentationem , exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem. Surſum regens, deorſum continens , extrà circumdans , interiùs penetrans univerſa.*

Probatur 3. variis argumentis , quorum primum ex conceptu Dei petitur , ſecundum ex illimitatione , tertium ex operatione, quartum ex ratione ipſius immenſitatis.

Ex conceptu Dei ſic rem conficio. Ens oppoſitum omni non enti eſt vbique, hoc eſt, immenſum: Deus eſt ens oppoſitum omni non enti: ergo eſt vbique, hoc eſt, immenſus. Probatur major: ens oppoſitum omni non enti non poteſt moveri de loco in locum, ſeu deſerere vnum locum, & acquirere alterum; eſſet enim in potentia ad locum quem nondum haberet, & ad quem moveri poſſet: ergo haberet carentiam illius loci quem acquirere poſſet, adeóque non eſſet ſine omni non ente, quia haberet non eſſe ſeu privationem illius loci ad quem tenderet: at ens oppoſitum omni non enti nullum non ens admittit: igitur ens oppoſitum omni non enti eſt vbique, adeóque immenſum: igitur Deus immenſus eſt.

Ex illimitatione: ens ſimpliciter illimitatum nullo loco circumſcribitur, alioqui illimitatum eſſet & non eſſet; eſſet, vt ſupponitur; non eſſet autem, quia loco terminaretur: Deus eſt ens ſimpliciter illimitatum: ergo nullo loco circumſcribitur. Deus itaque quia verè eſt id quod eſt & infinitus eſt, vbique eſt, nunquam deeſt, nuſquam non adeſt. Certè vt Deus eſt infinitus in ſubſtantia & in entitate, ita debet eſſe infinitus in quantitate. Ut enim quantitas ſequitur entitatem quam afficit, ita modus quantitatis modum entitatis ipſius: ergo ſicut entitas Dei eſt ſine modo & limitatione, quia infinita, quantitas illius erit quoque ſine modo, adeóque immenſa. Hoc argumentum pluribus vrget Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus lib. de incircumſcripta Dei eſſentia. *Si ab vno*, inquit, *loco vel ſolo, quod vel minimum ſit, omnium ſubmoveatur, hic*

jam locum habet circumſcriptio. Per hoc enim, quod ab alio terminatur, declarat ſubſtantiam ejus qui ambitur, eſſe circumſcriptam. Hinc vides cur Deus à SS. Patribus ſimul dicatur *eſſe intra omnia, ſed non incluſus; extra omnia, ſed non excluſus; interior ſimul & exterior.*

Ex operatione: vbicunque agens operatur, ibi eſt, quia ex Ariſtotele 7. Phyſic. cap. 2. *Movens & motum debent eſſe ſimul*, id eſt, in eodem loco. Ratio eſt, quòd productio effectûs ſit immediata dependentia effectûs à cauſa, cui proinde conjungi debet vel immediatione virtutis, vel immediatione ſuppoſiti: Deus operatur vbique, producendo & conſervando omnes creaturas, vbi vbi ſint, poteſtque novas producere, vbi nullæ exiſtunt, putà extra cælos: ergo Deus eſt vbique locorum, etiam extra cælos, licèt nulla ibi ſint ſpatia realia.

Neque dicas hoc argumento confici quidem, eum eſſe immediatè præſentém ſingulis rebus præſentiâ virtutis, non autem præſentiâ ſuppoſiti; quia cùm in Deo virtus ſit ipſa eſſentia, ſi ſit in re per virtutem, vt ex operatione colligitur, conſequens & illud eſt, vt ſit etiam in ea per eſſentiam, vt rectè probat D. Thomas in 1. diſt. 37. art. 2. in corpore. Valet itaque hæc illatio: Deus eſt præſens intimè per operationem, ergo per eſſentiam ſeu ſubſtantiam. Hoc argumento immenſitatem probant SS. Patres poſt D. Paulum, qui intimam Dei in rebus præſentiam ex eo conficit, quòd in ipſo vivamus, moveamur & ſimus. Anſelmus in Monol. *Quoniam nihil ſine Deo poteſt eſſe aut conſervari, dicere cogimur Deum vbique & ſemper eſſe.* Hugo Victorinus lib. 7. erud. Theol. cap. 19.

Deus qui per ſemetipſum cuncta propria virtute fecit, vbicunque præſens eſt opere, præſens etiam neceſſe eſt vt ſit deitate Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad litt. cap. 12. vbi verba Apoſtoli expendit, ex eo quòd Deus res producit & conſervat immediatè, immediatam Dei in rebus præſentiam infert: ipſum conſule.

Ex ratione immenſitatis: ſive immenſitas ſit illimitata diffuſio divinæ ſubſtantiæ & aptitudo coexiſtendi omnibus locis actualibus & poſſibilibus; ſive ſit omnipotentia divina, vt eſt productrix plurium & plurium ſpatiorum in infinitum; eſt perfectio melior ipſa quàm non ipſa. Nam primo ſenſu concipienda eſt vt diffuſio divinæ entitatis vndequaque infinita, per quam Deus excedit omnes mundi limites, habetque in ſe & ex ſe quidquid opus eſt, vt intimè præſens ſit corporibus extra cælum producibilibus; ſecundo autem ſenſu eſt potentia Dei infinita, vt ſe extendit ad omnia ſpatia producibilia: at melius eſt alterutram perfectionem habere, quàm eadem carere: ergo Deo tribuenda. Denique Deo tribuenda eſt ea perfectio quam entia creata ſuo modo affectant: entia creata quandam immenſitatis ſpeciem affectant; ſenſibilia corpora, quæ in ortu exigua, ſenſim augeſcunt, & in omnem extenſionis differentiam funduntur; animalia bruta per motum localem majora ſpatia ſucceſſivè occupant; cæli, quia cæteris corporibus anteſtant, magis quoque extenduntur, & quò corporis diffuſione pertingere nequeunt, eò qualitates occultas ſuumque lumen emittunt. Angeli ipſi, quò ſunt naturæ præſtantioris, eò ad majora ſpatia ſeſe diffuſione quaſi virtuali extendunt. Quin etiam

reges & principes omnès ſimul ditionis ſuæ partes occupare per ſeſe, vbique locorum adeſſe quàm maximè vellent, vt per ſe agere omnia, intereſſe ſubditorum conſiliis, & dicta factaque omnia eorum audire & intueri poſſent. Quid ita? quia vi & efficientia præſentiæ ſuæ ſubditos in officio continent, amorem juxtà & reverentiam ſibi conciliant, milites ad pugnandum excitant, quæ omnia cùm per ſe vno loco & temporis veſtigio præſtare nequeant, continenter provincias, & militum ordines obeunt, vicarios magiſtratus & legatos ſibi ſufficiunt, in quibus auctoritas eminet, qui monetas cudunt ipſorum imagine inſignitas, negotia conficiunt, edicta ſanciunt. Hinc ſolenne fuit Imperatoribus Romanis in omnes Imperii provincias imagines ſui quoquoverſum mittere, quæ inſtar aſyli omnibus forent, vt qui ad eas quaſi ad tutiſſimum perfugium confugerent, præſentiam quaſi realem Imperatorum interpretarentur. Adeo ſingulis rebus innatum quandam immenſitatis, quam proinde Deus vnus poſſidet, ſpeciem ambire.

II. Assertio. Immenſitas, ſive ſit diffuſio Dei virtualis, ſive omnipotentia locorum productrix, eſt attributum infinitum. Probatur: illud attributum eſt infinitum, quod facit ſubjectum ſuum actu & ex omni parte exiſtens extra omnem aſſignabilem finitam ab hoc mundo diſtantiam; aut ſi non faciat actu exiſtens, facit proximè potens, vt abſque ſui mutatione exiſtat extra mundum: immenſitas primo modo ſumpta facit Deum actu & ex omni parte exiſtentem extra omnem aſſignabilem finitam ab hoc mundo diſtantiam; ſecundo autem modo

accepta, facit Deum próximè potentem, vt abſque ſui mutatione exiſtat extra mundum: ergo immenſitas quocunque modo ſumatur, eſt attributum Dei infinitum. Minoris prima pars patet, quia Deus poteſt ex omni parte producere aliquod corpus extra omnem aſſignabilem finitam ab hoc mundo diſtantiam: ergo jam debet inibi exiſtere, quia ſicut prius eſt eſſe, quàm operari, ita prius eſt eſſe alicubi, quàm ibi operari. Secunda verò conficitur ex eo, quòd omnipotentia Dei ex ſe habeat omnia requiſita, vt abſque ſui mutatione poſſit extra mundum ad quamlibet finitam diſtantiam ſpatium producere, & producendo ſibi locum facere: vnde dicitur eſſe extra mundum extraitate potentiæ & virtutis, licèt non ſit extraitate diffuſionis in ſecunda ſententia. Sed vt vtriuſque ſententiæ principia & conſectaria clariùs explicentur, ſit

§. II. *Explicatur magis, quid ſit immenſitas, & quæ illius conſectaria in prima ſententia.*

1. PRONUNTIATUM. Immenſitas in prima ſententia eſt illimitata diffuſio virtualis ſubſtantiæ divinæ, & aptitudo coexiſtendi omnibus locis & ſpatiis poſſibilibus, quibus nec continetur, nec concluditur; hinc duo includit: alterum negativum, nempe negationem menſurabilitatis à ſpatio.; alterum poſitivum, nempè infinitam extenſionem, & quaſi replicationem ſubſtantiæ divinæ, aptæ coexiſtere omnibus rebus locis & ſpatiis, ita vt negativum ſit quaſi

inſtar formæ, poſitivum autem inſtar materiæ ſeu fundamenti. Eòdem recidit definitio quam Leſſius tradit: *Immenſitas*, inquit, *eſt Dei vbique & abſque termino in omnem dimenſionem diffuſio, non per partes, ſed per totalitates. Vbique*, id eſt, tam per mundum, quàm extra mundum, etiam in ſpatiis imaginariis. *In omnem dimenſionem*, id eſt, in omnem loci differentiam, nempe in longum, latum & profundum, deorſum & in obliquum. *Non per partes, ſed per totalitates*, vt diffuſio Dei diſtinguatur à diffuſione corporum, quæ per ſuas partes partibus loci reſpondent: at Deus eſt vbique per ſe totum, quia in quolibet puncto ſuæ, vt ita loquar, immenſitatis totam eſſentiam, bonitatem, ſapientiam, aliaſque perfectiones habet, eſtque perinde ſapiens in puncto A, aut in puncto B, quàm in ſpatio immenſo; non tamen eſt in qualibet parte loci totaliter, quia licèt ſit in qualibet parte totus, totalitate realitatis, non eſt tamen totus, totalitate virtualitatum ſeu diffuſionis. Hinc

11. Pronuntiatum. Sicut nihil fieri poteſt, quod continuò Deus ſapientiâ ſuâ & influxu ſuo non contingat: ita nihil poteſt eſſe ad vllam ab iſto mundo diſtantiam, cui non ſit per ſuam divinitatem intimè præſens & quaſi infuſus. Rurſus ſicut Deus nunc habet, habuitque ab æterno tum ſapientiam, tum omnipotentiam, quibus quidquid extitit, exiſtit exiſtetque in poſterum, neceſſariò & non per accidens contingere poteſt in ſua differentia temporis: ita ab æterno perfectionem intrinſecam, hoc eſt, immenſitatem habet, vi cujus nihil quantumcunque di-

ſtans vel extenſum eſſe poteſt, cui non coextendatur per intimam ſuæ ſubſiſtentiæ cum ipſo penetrationem. Hinc Deus non eſt tantùm præſens rebus per inſpectionem & potentiam, ſed per præſentiam ſubſtantialem & coexiſtentiam ſuæ entitatis; ita vt ſi per impoſſibile Deus aliquam creaturam non produceret, & ea tamen exiſteret, præſens ipſi foret, non contactu actionis quaſi vivo ac ſpiranti, ſed contactu ſubſtantiæ quaſi mortuo, vt jam obſervavi in Phyſica vniverſali loco citato.

III. Immenſitas ſumitur vel in actu primo, ſeu per modum aptitudinis; vel in actu ſecundo, ſeu per modum actus. Primo ſenſu accepta, immenſitatis nomen retinet, eſtque attributum Dei æternum & neceſſarium: ſecundo ſenſu accepta, dicitur præſentia actualis Dei, vel potiùs vbiquitas Dei, quæ ei convenit ex tempore & liberè. Porrò ab immenſitate, vbiquitate & ſpiritalitate habet Deus, quòd ſit in omni re & loco repletivè; in nullo autem circumſcriptivè, aut definitivè. Eſt in omni loco repletivè, ſpiritali nempe repletione, ſpiritus cùm ſit, quatenus eſſentiâ ſuâ totus exiſtit in toto loco, & totus in ſingulis loci partibus, non excluſis corporibus. Non autem circumſcriptivè, quia eſt ſubſtantia ſpiritalis & indiviſibilis, non habens molem quantitativam, nec partes adæquatas partibus loci. Nec etiam definitivè, quia eſſe definitivè in loco, eſt habere præſentiam loco finitam & limitatam, ita vt exiſtentia locati non excedat locum, quamvis partium extenſione careat.

IV. Præſentia actualis Dei ad creaturas exiſten-

tes, addit ſupra immenſitatem radicalem Dei, connotationem ſeu reſpectum rationis ad res & loca actu exiſtentia & per ſuas vbicationes ipſi correſpondentia, qui fundatur in ſubſtantia Dei, quatenus continet virtualem quantitatem, ſicut præſentia creaturæ actualis ad Deum in vbicatione ejuſdem fundatur, quam in Phyſica vniverſali vt modum à re locata diſtinximus. Hinc

v. Quàm neceſſe eſt creaturam, dum fit præſens divinæ immenſitati, mutari intrinſecè per modum vbicationis in ſe receptum, tam neceſſe Deum intrinſecùs localiter non mutari, quia mutari localiter intrinſecè, eſt accipere novum locum internum, vel veterem deponere: Deus nullum locum internum accipere poteſt, quia habet omnem ab æterno, quippe qui ſit locus omni ex parte infinitus, adeóque omnis locus; nec veterem deponere, quia omnem neceſſariò habet, ipſi enim immenſitas identificatur; hinc ſi deſtrueretur mundus, periret tantùm, vel potiùs deſineret reſpectus rationis divinæ immenſitatis ad mundum & varias mundi partes.

vi. Itaque extenſio actualis Dei, ſe diffundentis per corpus productum, non eſt actio, qua producitur illud corpus, aut extenſio formalis ejuſdem corporis, ſed intrinſeca Dei perfectio, quæ nihil aliud eſt, quàm extenſio ſeu diffuſio ſubſtantiæ divinæ, quæ in omnem diſtantiam ex omni parte abit, *Omni magnitudini*, inquit Dionyſ. de divin. nom. cap. 9. *extrinſecùs ſuperfunditur & ſuprà expanditur, omnem complectens locum.* Hinc

vii. Patet 1. Deum eſſe extra cælum, quia Deum eſſe extra cælos, eſt Deum ſic cælo & toti mun-

do coextendi, vt extenſio illius extra cæli mundique limites omni ex parte abeat. 2. Cur Deus dicatur à Patribus illocabilis, incircumſcriptus, locus omnium locorum, ſedes, baſis & fundus, in quo omnia firmantur & recumbunt. Dicitur illocabilis & incircumſcriptus, quia nullum eſt ſpatium tam latè patens, extra quod Deus non ſit. Dicitur etiam locus omnium locorum, quia immenſitas Dei, vtpote interminata, & extra cælos infinitè diffuſa, ſibi & mundo ſpatium eſt ſufficientiſſimum, ſuoque ſinu vaſtiſſimo naturam omnem creabilem tum corpoream, tum ſpiritalem continet, ambit, tranſcendit. Hinc ex Patribus Deus præ immenſitate ſua, dum interiùs penetrat omnia & replet, exteriùs præſidet & circuit; dum ſuperiùs regit & continet, inferiùs ſuſcipit & ſuſtentat: penetrat non effuſus, replet non exinanitus, circumdat non diſtentus, ſupergreditur non elatus, regit haud inquietus, continet non defeſſus, ſuſtentat non depreſſus; longior terrâ, latior mari, cæli convexo ſublimior, profundior inferno. Itaque ſicut eſſentia divina, inquit Leſſius, eſt primæva eſſentia, origo & fundamentum omnis eſſentiæ & cujuſlibet entis poſſibilis; ita ejuſdem immenſitas eſt ſpatium omnium ſpatiorum, & quaſi baſis primordialis cujuſque loci. Ratio eſt, quòd Deus ſit ſpatium infinitum, æternum, neceſſarium, in quo proinde connaturaliter omnia eſſe debeant; locus quaſi natalis omnium creaturarum, in quo foveantur, ſerventur ac perennent. Unde locum Pauli Actor. 17. ita explicat idem Leſſius, vt velit in ipſo non tantùm tanquam in cauſa efficiente, ſed etiam tanquam in ſede & baſi con-

tinente, conſervante, ſuſtentante & vndique ambiente contineri; nos in ipſo eſſe & vivere ſicut in domicilio & fundo firmiſſimo. Finge ergo ſpongiam, magnam illam quidem, ſed tamen finitam, quæ immerſa ſit omni ex parte immenſo mari; mundum Deo infinito plenum & intra ipſum incluſum vtcunque expreſſiſti: finge ignem intrinſecùs foventem, circumdantem deinde & defendentem extrinſecùs; cogitaſti Deum ipſum exiſtentem intra omnia ad fovendum, & extra omnia ad defendendum. Hinc à Dionyſ. cap. 1. de divin. nom. vocatur ἐγκόσμιος, περικόσμιος, ὑπερκόσμιος, ὑπερουράνιος.

VIII. Præſentia immenſitatis ſic explicata, qua Deus totus eſt in ſingulis rerum omnium quaſi atomis, non tamen totaliter, præſtantior eſt, quàm præſentia per inſpectionem, aut per potentiam. Excellens quidem eſt præſentia per inſpectionem, qua per eam Deus pervidet vias noſtras, greſſus dinumerat, pertingit ad compages & medullas oſſium noſtrorum, ſignat delicta noſtra quaſi pecuniam in ſacculo, & minima quæque proſpicit. Nihilo inferior eſt præſentia per potentiam, qua vbique vt totius naturæ auctor, moderator & dominus operatur, omnia regit & gubernat. At certè præſentia per eſſentiam longè potior, & quidem duplici ex cauſa; & quòd duo priores modi intimam ſubſtantiæ conjunctionem cum creatura non requirant, quam præſentia per eſſentiam requirit; & quòd licèt per impoſſibile Deus fingatur non eſſe rerum auctor, aut è cælo terris proſpiciat, adhuc tamen per ejuſmodi præſentiam cunctis rebus erit ſubſtantialiter & intimè præſens. Ut

enim anima eſt in toto corpore tota, & in qualibet corporis parte tota, & quidem multò intimiùs, quàm ipſum corpus eſt in ſe: ſic Deus eſt totus in vniverſo, & totus in quolibet loco & parte illius; non in muſca minor, aut major in elephanto; æquè in parvis ac in magnis incircumſcriptus, immenſus. Huic porrò argumento ſatisfecimus in Phyſica vniverſali.

IX. Deus dicitur magis præſens cuilibet rei, quàm res ſit ſibi præſens: quia totus eſt præſens & intimus cuilibet particulæ & indiviſibili puncto rei, ſi quod ſit; ipſa verò res non eſt ſingulis ſuis partibus tota præſens, nec vna pars eſt intimè præſens alteri parti, nec vlla pars toti.

X. Aliter Deus eſt in hoc mundo, aliter in ſpatio imaginario, quia in hoc mundo eſt triplici modo, 1. per ſubſtantiam ſeu per diffuſionem virtualem; 2. per potentiam, qua ipſum producit & conſervat; 3. per præſentiam ſeu per cognitionem, qua omnia quæ fiunt in orbe, intuetur: in ſpatiis autem imaginariis eſt tantùm præſens per ſubſtantiam, non per potentiam, quia nihil operatur ad extra; nec per cognitionem, quia nihil eſt ibi præter ipſum Deum, quod ab eo cognoſci poſſit; hinc præſentia per eſſentiam non includit præſentiam per potentiam aut per cognitionem, licèt includatur ab illis.

Adverte hîc cognitionem, qua Deus dicitur eſſe præſens rebus, non eſſe qualemcumque Dei cognitionem, ſed intuitivam rei præſentis vt præſentis & actu exiſtentis: quare ſi ſtrictè loquimur, Deus hac ratione non dicitur præſens eſſe rebus poſſibilibus aut futuris, aut præteritis, nec ante mundum conditum, iis enim propriè dicitur eſſe

præſens per cognitionem , ad quæ vt actu exiſtentia ſe ſe divinus intuitus exporrigit, quamvis aliunde præterita & futura cognoſcat.

XI. Dum Deus in Scripturis deſcendere dicitur, vt videat turrim quam poſteri Adami ædificabant, id dictum humano more , non ex rei veritate , vt nempe moneat nos, non citò & temere ferendum eſſe judicium , ſed in rem præſentem antè veniendum , nec ſententiam niſi cauſâ cognitâ & exploratâ , eſſe proferendam. Et verò Philo Judæus lib. de confuſ. linguarum, omnia nomina , quæ progreſſionem ac motum ſignificant , velut ſuprà, infrà, ad dextram, ad ſiniſtram , antè, retro , à Deo procul removet. Item dum cælum Deo tanquam domus, & terra hominibus tribuitur , non id ideo fit , quòd Deus loco circumſcriptus vllo ſit ; ſed vt Dei ſublimitas , & hominum humilitas ſignificetur: vel quòd in cælis major ſit cognitio ſummæ illius majeſtatis & eſſentiæ in beatis mentibus, quàm in ſanctis terram incolentibus : vel quòd cælum magis particeps ſit operationis divinæ ac munificentiæ, ideo cælum eſt ipſius thronus, inquit Damaſcenus.

Quæres hîc , an tres Perſonæ divinæ ſint ſibi mutuò locus. Reſp. 1. hanc quæſtionem Theologum ſapere, non Philoſophum. Reſp. tamen 2. juxta placitum SS. PP. ſibi quaſi ſedem eſſe & cathedram, quia nihil tam dignum eſt majeſtate vnius perſonæ , quàm duæ aliæ. Sunt itaque ſibi mutuò locus digniſſimus atque ſuaviſſimus, mutuamque habent , qua ſe quaſi localiter comprehendunt , inhabitationem, quam circuminſeſſionem Theologi vocant. Certè ſunt ſibi invicem

intimè præſentes, & quidem vbique locorum. 2. Cum infinita conjunctione, non modò ratione naturæ cui identificantur, ſed etiam ratione propriæ ſubſiſtentiæ. Sic enim Pater producit Filium, Pater & Filius Spiritum Sanctum, vt & vi generationis Pater & Filius debeant ſe invicem penetrare, quaſi localiter in omni loco, & vi ſpirationis Spiritus ſanctus, Pater & Filius. Denique non poſſunt eſſe extra ſe invicem; ita vt vna Perſona ſit alicubi, vbi non ſit alia; idque vi ſuæ & naturæ & ſubſiſtentiæ habent: vnde conſequens eſt tres Perſonas ſe mutuò continere & comprehendere localiter. Quid eſt enim contineri & comprehendi localiter ab alio, niſi intra ipſum ſic eſſe totum, vt extra eſſe non poſſit?

Quæres 2. an poſſit poni creatura nullibi, adeòque eſſe ſine vbi interno. Reſp. non poſſe: vt enim nihil poteſt poni in rerum natura, quod non ſit intra ſphæram agentis infiniti, nihil quod non ſit intra durationem temporis ex omni parte infiniti; ita nihil poteſt poni, quod non ſit intra extenſionem vſquequaque infinitam: vnde ſequitur non poſſe poni vllam creaturam ſine actione agentis infiniti, ſine coexiſtentia ſeu duratione, qua æternitati divinæ reſpondeat, ſine præſentia, ſeu vbi interno, quo immenſitati inadæquatè coexiſtat.

Objicies. Non poteſt eſſe extenſio virtualis, vbi non eſt corpus: extra cælos nullum eſt corpus: ergo extra cælos nulla eſt Dei extenſio virtualis. Reſp. nego majorem, quia non eſt de ratione extenſionis virtualis, vt faciat rem actu exiſtentem in toto loco totam, & totam in ſingulis par-

tibus loci; ſed vt faciat rem ſic extenſam, vt ſi coextendatur corpori, tota ſit in toto, & tota in ſingulis partibus ipſius: at talis extenſio Deo convenit, etiam in ſpatiis imaginariis, vt poſſit coexiſtere pluribus & pluribus in infinitum corporibus, ſi ibi ponantur. Ratio à priori eſt, quòd ab extenſione virtuali res tantùm habeat, vt in longum, latum & profundum ſine poſitione partium extra partes abeat, ad quod non requiritur coexiſtentia corporis extrà partes habentis. Exemplo cæli vltimi reſponſionem illuſtrabis, quod licèt non ſit actu totum in toto loco externo, & per partes in ſingulis partibus ipſius, non deſinit ideo habere extenſionem formalem: ergo à pari, licèt in ſpatiis imaginariis nullum ſit corpus, in quo Deus totus ſit, & totus in ſingulis illius partibus, inibi tamen extenſionem virtualem retinet.

§. III. *Explicatur magis quid ſit immenſitas, & quæ illius conſectaria in ſecunda ſententia.*

1. PRONUNTIATUM. Ubi Deus agit, ibi quoque Dei virtus reperitur: quia movens & motum debent eſſe ſimul, ex Ariſtotele 2. Phyſic. text. 10. Ratio eſt, quia actio ſi ſit alligata ſubjecto, ſe habet ad illud vt actus ad potentiam, cum quo proinde exigit conjunctionem intimam, ſi non ſuppoſiti, ſaltem virtutis; ſin autem nullum ſubjectum ſupponit, vt creatio, dum cauſa creat ponitque effectum actu extra ſe, ipſum tenet quaſi ſub manu: vnde produ-

ctio eſt quædam manutentia, qua cauſa effectum tenet in rerum natura.

II. Nunquam Deus eſt præſens effectui per virtutem, quin præſens eidem ſit per eſſentiam ſeu ſubſtantiam. Ratio eſt ex D. Thoma in 1. diſtinct. 37. art. 2. quia virtus Dei eſt ipſa eſſentia: hinc vbi Deus operatur, ibi actu eſt præſens, non tantùm præſentiâ virtutis, ſed etiam præſentiâ ſuppoſiti; ibi autem eſt virtute & potentiâ, vbi poteſt operari, & ita eſt extra cælos virtute & potentiâ. Huic argumento ſuum robur aſtruximus tom. 2. Phyſ. vniverſ. part. 4. diſp. 1. art. 3 §. 3. vbi hæc ſententia à nobis ſtabilita eſt, quam Auguſtinus confirmat de Civit lib. 7. cap. 30. *præſente*, inquit, *potentia, non abſente natura*.

III. Duplex itaque in Deo diſtinguenda extenſio; vna Deo intrinſeca, altera extrinſeca. Intrinſeca Deo, eſt omnipotentia Dei, non quidem adæquatè ſumpta, vt ſe extendit ad omne producibile, ſed relativè ad corpora, quæ vel produxit, vel poteſt producere: extrinſeca eſt ipſa actio Dei tranſiens, vt eſt effectrix corporum extenſorum ſeu locorum, quæ dicitur immenſa, non poſitivè quidem, quia limitata; ſed negativè tantùm, quatenus ex parte principii à quo fluit, talis eſt naturæ, vt poſtulet extendi ad omne corpus extenſum poſſibile. Quanquam dixerim potius actionem Dei tranſeuntem eſſe fundamentum proximum divinæ immenſitatis, vt explicavi in Phyſica vniverſali loco jam citato.

IV. Immenſitas Dei rectè definitur, omnipotentia Dei, vt eſt productrix ſpatiorum & corporum majorum & majorum in infinitum, quia ſub

ſub eo reſpectu verè interminata eſt quoad locum; poteſt enim producere pluta & plura ſpatia abſque termino: vnde immenſitas diſtinguitur ab omnipotentia Dei, vt incluſum ab includente. Latiùs enim patet omnipotentia, quàm immenſitas, quia illa ſe extendit ad omne producibile; hæc verò ad ſpatia tantùm & corpora extenſa.

v. Hanc ſententiam vt animo informes, finge pictorem adeo induſtrium & in arte ſua eximium, vt eodem momento temporis omnes & ſingulas vaſtiſſimi corporis partes pingat; dum oculos intra orbes efformat, brachia & crura diducat, ſuam vultui venuſtatem & majeſtatem affundat, &c. Deum vbique operantem & ſpatia producentem, adeóque immenſum expreſſiſti. Aut ſi voles, animam in corpore cogita, quæ membris omnibus vitam dat ſuâ intimâ præſentiâ; ſingulis facultatibus vim & efficientiam ita largitur, vt pedibus ambulet, auribus audiat, cernat oculis, ac toto corpore ſentiat: Deum vbique operantem omnia in omnibus adumbraſti, & quidem aptiſſimè ad mentem D. Fulgentii lib. de fide ad Petrum cap. 10. *Firmiſſimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, Trinitatem Deum immenſum eſſe, virtute, non mole, & omnem ſpiritualem & corporalem creaturam virtute ejus & potentia contineri.* Cui conſentit S. Maximus in ſcholiis ad cap. 1. D. Dionyſii de divin. nom. *Si Deus omnium eſt locus, non corporeo modo, ſed tanquam opifex.* D. Bernardus qui lib. 5. de Conſid. cap. 6. ait omnia eſſe in Deo non tanquam in loco, ſed quaſi in virtute: *In quo omnia non quaſi in loco, ſed quaſi in virtute* Hinc

VI. Juxta principia hujus ſententiæ, 1. Deus non alio contactu res creatas tangit, quàm contactu virtutis & actionis, quatenus immenſus. 2. Non eſt in rebus creatis, niſi tanquam cauſa in effectu, quæ continentia tralatitia eſt, non propria. 3. Non eſt extenſus, nec in loco, niſi metaphoricè, quatenus ejus actio extenditur ad extenſionem ſubjecti in quo recipitur, & operatur locum. 5. Licèt operetur in locis multùm diſſitis, non eſt à ſe ipſo diviſus, ſed actio illius tantùm diviſa. 6. Dum incipit operari in ſpatiis imaginariis, vbi antea non operabatur, nullatenus mutatur, quia agens vt agens non mutatur, ſed mutat. 7. Ut concipias immenſitatem, non concipiendus eſt Deus inſtar ſpatii, aut infinito vſquequaque ſpatio formaliter æquipollentis; ſed ſatis eſt, ſi concipias vt æquivalentem principio efficienti; quod poſſit hujus mundi fines in infinitum dilatare, & ſpatium majus vndique creare: ſic enim immenſitas communes habet cum æternitate rationes. 8. Dum movetur corpus in vacuo, intelligitur mutari localiter, quatenus mutat habitudinem cum divina immenſitate. Aptatur enim illud corpus omnipotentiæ divinæ, vt operatrici iſtius loci, qui locus hîc eſſe intelligitur per comparationem cum ſpatio vſquequaque infinito immobili & fixo, cui divina immenſitas æquipollet in genere cauſæ efficientis, non formalis.

VII. Hæc ſententia primæ à multis præfertur, 1. quia eſt D. Thomæ, vt aliàs oſtendimus. 2. quia magis Deum decet, quæ ipſum à rerum corporearum extenſione longiſſimè removeat, ad quas non aliter ſe habet, quàm vt agens ad pa-

tiens, & opifex ad opus ſuum. Prima tamen ad captum vulgi accommodatior; juvat quippe vim imaginandi, dum Deum quaſi inſtar molis inſanæ vbique diffuſum exhibet. Sed cave ne in illam idololatriam incidas, cujus ſe reum fatetur Auguſtinus, dum Manichæorum erroribus implicabatur; ait enim Deum ſe cogitaſſe inſtar infiniti cujuſdam oceani lucis, in quo mundus quaſi ſpongia immergeretur. Deinde ſubjungit: *Ita ſuſpicabar, qualiter cogitare non poteram, ſed falſum erat.*

VIII. Quocumque ſenſu immenſitas Dei explicetur, nulli creaturæ communicari poteſt. Probatur: quia implicat dari creaturam infinitam: creatura immenſa eſſet infinita, quia diffuſio virtualis ſine termino eſt infinita, & potentia productrix majorum & majorum corporum, infinita quoque ſit oportet: ergo quocumque ſenſu ſumatur immenſitas, nulli creaturæ communicari poteſt.

IX. In vtraque ſententia facilè intelligitur, quomodo juxta doctrinam D. Auguſtini tom. 2. epiſt. ad Voluſ. 3. *Deus novit venire, non recedendo, vbi erat, novit abire, non recedendo, quò venerat.* In prima quidem, quia cùm virtualis illa diffuſio ſiſtat Deum præſentem omnibus locis, cùm creatis & poſſibilibus, tum plenis & vacuis; omnes ſitûs differentias vel maximè oppoſitas, puncta longiſſimè diſſita, infra & ſupra, dextram & ſiniſtram, quod intra eſt & quod extra, ſuperius & inferius, longum & latum ſine contradictione in ſe colligat: vtique beneficio ſuæ immenſitatis id conſequitur vnum, vt rectè dici de eo poſſit, quòd veniat non appropinquando,

abeat non recedendo ; in eum adventet locum, vbi ſemper fuit ; exeat ex eo loco , vnde recedit nunquam ; abeat ſimul & maneat , quia eſt vbique , nec loco definitur & circumſcribitur vllo. In ſecunda verò , quia quodcumque corpus pereat, non ideo movetur loco., ſed definit tantùm operari , & quodcumque producatur de novo in ſpatiis imaginariis , etiam ad centum leucas , immotus in ſe idemque manens, incipit ibi operari , vbi antea non operabatur , quia agens vt agens non mutatur.

x. Perfacile nobis eſt in vtraque ſententia, Deum vbique præſentem intueri , viciſſimque omnia intueri in Deo. Nam per diffuſionem virtualem , ſi quam habet , permeat omnia entia creata , totus in toto mundo , in minutiſſimis ejus quoque particulis integer , latet ſub ipſis creaturis velut ſub integumentis, ſed non incluſus , &c. Per operationem verò eſt in iiſdem tanquam cauſa in effectis , quæ fovet aſſiduè & jugiter conſervat , &c. Sed viciſſim omnia intueri in Deo poſſumus, quia non tantùm à Deo penetrantur intimè , ſed etiam exteriùs continentur ſuſtentanturque. Nam quod eſt globulus vitreus , luce ſolis penetratus intimè & circumquaque ambitus exteriùs , id ipſum mundus eſt in Deo. Finge itaque lumen in duratione æternum , in extenſione infinitum , cujus in medio mundus ſit quaſi globulus cryſtallinus , ita vt ſplendor quo penetratur , portio perquam exigua ſit ac ferè nihil , ſi cum lumine , quo vndique circumfunditur , componatur. Jam tolle globulum illum , æquale ſemper & tranquillum lumen manebit , quia non tam eſt in globulo , quàm in ſe ipſo , à quo,

immutato in ſe perficitur : vnde lumini accedit tantùm reſpectus quidam extrinſecus, quòd globum quaſi diffuſione ſui ditarit : ſic mundum penetrat Deus, & vndique ambit quaſi infinitum lumen ; hunc ex nihilo producit, conſervat, implet, ſuſtinet, immotus in ſe & ſibi ſemper æqualis ; nec alia mutatio fit, quàm in ipſo mundo. Ut ergo per ſe ipſum lumen illud ſubſiſtit, non per globulum cryſtallinum, ſine quo ſtat per ſe, & cui non neceſſariò adhæret : ſic eſſentia divina res omnes creatas attingit & penetrat intimè, nec tamen cum ipſis confunditur ; ita porrò iis vnitur, vt ab iiſdem perfectionum ſuarum infinitate ſecernatur. Cumque in ſpatiis imaginariis eſſe dicitur, idem eſt ac ſi in ſua infinitate eſſe diceretur, quia nulla effingi poſſunt ſpatia adeo vaſta & immenſa, quæ non inſtar puncti, aut certè grani milii ſe habeant, ſi cum Dei immenſitate comparentur

Hinc à Dionyſio dicitur *domicilium omnium*; ab Arnobio *locus rerum & ſpatium, & fundamentum cunctorum quæcunque ſunt* ; à Tertulliano vniverſitatis *extrema linea* appellatur. Item ab auctore libri de cognitione veræ vitæ cap. 7. in append. tom. 9. Aug. *Omnem creaturam inſtar puncti continere* dicitur. Et Theophilus in primo ad Autolycum hac ſimilitudine eleganti rerum omnium circumplexum bellè ſic explicat. *Quemadmodum*, inquit, *punicum malum corticem habens, quo comprehenditur, intus habet manſiunculas, loculoſque plures, membranis interceptos, ac multa grana in ſeipſo locata continet : ſic vniverſa creatura à Dei ſpiritu comprehenditur ; & ſpiritus qui comprehendit, cum natura comprehendi-*

tur à manu Dei. Itaque D. Auguſtinus meritò Deum ſic compellat lib. 1. Soliloq. cap. 1. *Dominus ſolus incircumſcriptus, illocalis, immenſus, incomprehenſibilis, vbique totus, vbique præſens, ineffabiliter omnia continens, omnia penetrans, omnia ſciens, cuncta proſpiciens, omnia potens, vniverſa gubernans, totus in cælo, totus in terra, totus etiam vbique, quem nullus circumſcribit locus, & ſolus es, præſens etiam his quæ longè ſunt à te: à quo manant vſque ad nos omnia bona, à quo coercentur vſque à nobis omnia mala: ſupra quem nihil, extra quem nihil eſt: ſine quo nihil eſt, ſub quo totum, in quo totum eſt.* Hîc porrò Auguſtinus tum de præſentia per cognitionem, tum de præſentia per operationem loquitur.

XII. Maxima ad Deum recurrendi facilitas. Non vallis, non præſidiis intercludimur; nemo arcet alloqui volentes; quoties lubet nobis, adimus; audit nos vbique & quandocumque, audimus etiam & nos viciſſim, & intuemur intuentem; videtur à nobis, etiam cùm non videtur, quia omnia nobis Deum loquuntur & inculcant; ſentimus etiam viſitantis illapſum, & cordis penetrantem intima: *Nemo Deo barbarus, nemo cimmerius.* Hinc Arnobius lib. 6. ex neceſſitate juxtà & facilitate Deum obſecrandi, quaſi à poſteriori præſentiam in omni ſpatio colligit. *Arbitramur Deum omnino, ſi modò nominis hujus vi pollet ex quacunque mundi parte, quod quiſque fuerit locutus, tanquam ſi ſit præſens, audire debere. Immò quod quiſque conceperit, ſubobſcuris & tacitis ſenſibus, cognitione anticipata præſumere, atque vt aſtra, ſol, luna, cùm ſuper terras meant, omnibus omnino cernentibus, ſtatim ſunt & vbique præſen-*

tes.: ita quoque convenit audientiam numinum nulli eſſe clauſam linguæ, ſemperque eſſe præſentem, quamvis ad eam voces regionibus ex diſtantibus confluant. Hoc eſt enim proprium Deorum complere omnia vi ſua; non partiliter vſpiam, ſed vbique eſſe totos, &c. Quod ſi ita non erit, tollitur omnis ſpes opis, & erit in dubio, audiamur à diis, necne, ſi quando res ſacras ceremoniarum conficimus, &c.

XIII. Magna quoque neceſſitas rectè agendi, & pugnandi fortiter, quia Deo teſte, Deo ſpectante, approbante, vires ſufficiente, immo & coronante, certamus; ſub oculis regis, judicis, patris. Age porrò, ſi coram rege miles manum conſereres, quo animi robore, qua virtute & alacritate congrederere? Et tamen tibi homini homo præſto eſſet, non vires, non animum infunderet. Tu verò ſub oculis regis Dei certas, qui novos tibi animos addit, qui tibi corona erit; & langues, viribuſque deficis? Hac Dei præſentia corroborati Judæi, vt obſervat Minut. Fel. Octav. hom. 34. ſub finem, *de paucis innumeri facti ſunt, de egentibus divites, de ſervientibus reges; modici multos, inermes armatos Dei juſſu & elementis adnitentibus obruerunt.*

XIV. Denique magna neceſſitas fugiendi peccata. Id ipſum inculcat Auguſtinus Deum offenſuro. *Quò fugies à Deo fugiens? quò fugies à Deo, fugiens ab illo qui nuſquam abſens eſt, qui converſum liberat, punit averſum?* Et alibi: *Quære locum vbi te non videat, & fac quod vis*, & rectè quidem. Nam Deus non opera modò & verba omnia, ſed etiam animi ſenſa reconditiſſima notat ad cenſuram, vt judex; pœnas intentat, vt

ſupremus dominus; & ſtatim inferre poteſt, vt omnipotentiſſimus. Divus Auguſtinus epiſt. 111. explicat exemplo ſervorum, quantùm valeat Dei præſentis cogitatio ad fugam peccati. *Hoc nempe*, inquit, *ſervulorum linguas & manus coercet, vt nec floſculum carpant, nec pomulum ex horto rapiant, nec fruſtulum panis ſublegant, ſi nullam ſibi herilis abſentiæ ſecuritatem polliceri queant; hinc crebriores querelæ illæ: Dominus meus ſemper mihi à tergo hæret, loco quo minimè formido, deprehendor*, &c. Hinc meritò Boëtius Chriſtianos ad odium vitiorum amoremque virtutum ex Dei omnia cernentis intuitu exhortatur: *Averſamini vitia, colite virtutes, magna vobis neceſſitas indita eſt probitatis, cùm ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.* Porrò ex præſentia Dei, quem præſentem ſciens prudenſque offendis, gravius peccatum, tum quia contemptum ingratique animi vitium habet annexum: tum quia ſacrilegii cujuſdam ſpeciem præ ſe fert; Deus enim in mundo quaſi in templo ſuo habitat: in eo Pater Filium generat; Pater & Filius Spiritum ſanctum producunt, &c.

xv. Ut eſſe Dei, eſt fundamentum eſſe omnium creaturarum, immenſitas præſentiæ localis, æternitas durationis; ita actio divina eſt quaſi baſis actionis cujuſlibet eſſe creaturæ. Tolle eſſe Dei ipſius, immenſitatem, æternitatem, ipſum eſſe creaturarum omnium, præſentiam localem & durationem tollis: tolle Dei actionem, tollis illico actiones creaturarum; hinc neceſſitas in nobis exiſtit, Deum in omnibus conſulendi, ſi ſanctè & laudabiliter agere velimus.

Quæres hîc, an Deus aliis modis ſit in rebus,

quàm per eſſentiam, potentiam & præſentiam.

Reſpondeo eſſe in Eccleſia per directionem infallibilem & per aſſiſtentiam extrinſecam, in Sanctis per gratiam, in cælo per gloriam, in beata Virgine per identitatem, quia carnem ex ea aſſumpſit, in humanitate Chriſti per vnionem hypoſtaticam, in beatis per juſtitiam remunerantem, per vindicantem in damnatis: vnde multiplex modus naſcitur, quo Deum variis in rebus præſentem intueri poſſimus. Immo & in eodem homine variis modis vt præſens conſiderari poteſt. 1. Ut principium jugiter conſervans, à quo magis quàm à nobis ipſis pendemus, & id quod ſumus, quod habemus & poſſumus, in ſingula momenta accipimus. 2. Ut principium totius entis ſupernaturalis, cujus communicatione nos quodammodo novam creaturam efficit. 3. Ut ſupremus omnium dominus, ſuo nos jure gubernans, leges ſuas promulgans. 4. Ut magiſter & doctor, qui per dona fidei & ſapientiæ nos inſtruit. 5. Ut finis vltimus, qui ſe nobis in præmium ampliſſimum proponit, mediaque ad id conſequendum opportuna copiosè ſufficit: ex quibus modis varii in nobis cultus exiſtunt; putà maxima excellentiæ illius principii exiſtimatio, ingens noſtri ſubmiſſio ſub tanta majeſtate, obedientia, timor & reverentia erga tantum Dominum, attentio ſumma ad magiſtri doctrinam, ſpes & fiducia in magnificum remuneratorem, laus, gratiarum actio. 6. Cùm in nobis per intellectum & voluntatem operetur, rebus noſtris provideat, nos amet ac ſaluti conſulat, enitendum, vt nos totos ei ex vero amore reddamus, cognoſcamus, gloriam aſſi-

duè procuremus; miſericordiam illius, ſi miſeri ſ; juſtitiam, ſi rei; bonitatem, ſi filii; ſapientiam, ſi cæci; potentiam, ſi infirmi, divitias ac plenitudinem bonorum, ſi egeni, in nobis colamus, laudibus extollamus, & toto voluntatis impetu in eum feramur. Sed his actibus actus fidei præire debet, quo Deum in nobis præſentem & inhabitantem apprehendamus, firmiterque credamus. Quamvis enim ex diſcurſu naturali præſentiam Dei in nobis colligere poſſimus, multò commodius erit tum ad contemplationem, tum ad virtutum aliarum exercitium, intimam Dei in nobis præſentiam humili fide apprehendere.

Ex hoc Dei tum in nobis, tum in aliis intuitu & familiaritate, lumina in mente, gaudia in voluntate, progreſſus in virtute, vt obſervat Guerricus in nativit. Apoſt. Petri & Pauli ſerm. 1. num. 5. *Sola vel maximè facili compendio ad perfectionem perducit, & velut in diſciplina famulantium Domino ſemper aſſiſtere facit.* Excellens ſanctimonia, plena pietatis & devotionis attentio, gloriæ divinæ maxima cupiditas, noſtræ cum divina voluntatis perfectiſſima conformatio, rebus in adverſis auxilium, in arduis & adverſis ingens animi vis & conſtantia, in difficillimis expediendis facilitas; & ſi votis non reſpondeant, magna animi quies & tranquillitas tanquam fructus vberrimi exiſtunt.

Colliges ex dictis, quàm jure dictum ſit à D. Thoma 1. Sent. diſt. 37. art. 1. Deum eſſe in omnibus rebus diverſimodè. Aliter enim eſt in ſeipſo, aliter vbique, aliter in omni re, aliter in re, aliter in dæmone aut peccatore. Cùm enim dicitur, *Deus eſt in ſe*, arguitur ſumma Dei in-

dependentia, ſufficientia & immunitas ab omni exteriore continente. Cùm dicitur, *Deus eſt vbique*, deſignatur habitudo implentis ad repletum; ita vt ſenſus ſit, Deum eſſe præſentem omni vbi, & replere omne vbi. Cùm dicitur, *Deus eſt in omni re*, habitudo conſervantis ad conſervatum vel continentis ad contentum innuitur, ita vt ſenſus ſit omnia contineri à Deo, quia omnia ab eo conſervantur, juxta illud ad Hebr. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, quatenus continet & conſervat omnia, generaliter, verbo & imperio faciliter, (ſicut loqui eſt facile) propria voluntate principaliter, inquit ſubtilis Interpres. Cùm dicitur, *Deus eſt in re*, importatur vna habitudo ſanctificantis ad ſanctificatum in vtero, vt in beata Virgine, & alia gratificantis ad gratificatum, vt in juſtis, in quibus per gratiam præſens eſt. Denique non eſt ſimpliciter in dæmone, aut peccatore, quia in iis natura peccato eſt deformata, cujus Deus non eſt auctor; eſt tamen in iis, quatenus ſunt creaturæ, & quidem per eſſentiam, præſentiam & potentiam.

Colliges 2. cur Deus à veteribus Philoſophis dictus ſit ſphara, cujus centrum vbique ſit, circumferentia verò nullibi. Cùm enim centrum ſit tota circuli virtus, immo totus circulus complicatus; circumferentia autem ſit ipſum centrum evolutum & explicatum, centrum quippe eſt in omnibus lineis, centrum attingunt omnes lineæ, ſed ad circumferentiam terminantur, ipſaque concluduntur, quæ propterea neque vllis, neque omnibus includitur. Hinc meritò Deus ratione immenſitatis, dicitur ſphæra, cujus cen-

K. vj

trum vbique eſt, circumferentia nullibi, quia ingreditur omnia tanquam centrum, & egreditur omnia, tanquam circumferentia: omnia ſunt quodammodo Dei loca, viciſſimque Deus eſt locus omnium. Ipſos etiam ſpiritus poteſtate occulta, ſed vbique diffuſa, ſecreta & inviſibili majeſtate, intus & foris ingreditur, penetrat, permeat, portat, implet & circumdat, ſervat & protegit, rerum omnium ψύχωσις, κίνησις καὶ σύστασις, *animatio*, *motio*, *ſtatio*, juxta illud Pauli: *In quo vivimus, movemur & ſumus.* Hinc etiam ex Auguſtino lib. 1. Confeſſ. cap. 4. dicitur, *portans*, *implens*, *protegens*; portans infirmos, implens egentes, oppreſſos protegens. Et vt ait Minutius Fel. Octav. *Nativitatem omnibus præſtat, ſibi perpetuitatem: univerſa verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat:* quatenus nempe præſens eſt rebus per potentiam & operationem.

§. III. *De natura æternitatis divinæ.*

I. OBSERVATIO. EX illarum proprietatum, quæ negativa attributa dicuntur, numero jure cenſenda æternitas, vt intelligentiæ noſtræ ſubjicitur. Duplici quippe negatione ſepta; & termini à quo, ſive initii, & termini ad quem, ſeu qui ſit finis rei: immutabilitatis quoque comes & ſocia, quia motus omnis & defectus æternitati repugnat, vt ait D. Thomas. Denique immenſitati vtcunque affinis, quia eſt ævi & temporis quædam immenſitas, vt jam obſervavi. Porrò cum de æternitate egerimus tom. 2. Phyſic. vniverſ. part. 5. diſput. vnica de durat. a. 1. §. 3. de ea quærimus breviter: 1. quid ſit, 2. an Deo

eique ſoli conveniat, 3. in quo differat ab ævo & tempore, quæ ex illius natura inferri debeant.

II. Observatio. In æternitate ſpectatur natura & modus. De natura primùm, tum de modo agendum.

III. Observatio. Æternitatis natura ſumitur negativè, vel poſitivè, vel partim negativè, partim poſitivè. Hinc

I. Assertio. Æternitas negativè ſumpta, definitur duratio indefectibilis, vbi duratio tenet locum generis, indefectibilis rationem differentiæ: vel duratio principii & finis expers. Poſitivè, duratio includens omnem durationem poſſibilem: ſeu duratio habens extenſionem exiſtentiæ infinitam: ſeu duratio quæ tota ſimul eſt. Partim poſitivè, partim negativè, interminabilis vitæ & tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Ita Boëtius lib. 3. de conſolat. proſa vlt. dicitur *poſſeſſio*, vt firmitas divinæ exiſtentiæ ſignificetur; vita enim quæ poſſidetur, tenetur præſens, non tantùm ſine præcipitur. *Vitæ*, & quidem ſubſtantialis enti enim perfectiſſimo convenit vita ſubſtantialis: non vitæ tantùm in actu primo, & radicalis, quæ eſt principium actionum vivendi; ſed vitæ actualis, quæ eſt in Deo intellectio & volitio. Porrò vitæ nomine vſus eſt, non exiſtentiæ, tum quia in Deo eſſe & vivere ſunt idem: tum quia vivere ſecundùm noſtrum modum concipiendi, habet rationem actus, magiſque ſe ad operationem quàm ipſum eſſe, videtur extendere. *Interminabilis*, id eſt, principio & fine carentis, in quo diſtinguitur à rebus generabilibus, quæ habent principium ac finem, & à ſubſtantiis ſeparatis, quæ habent initium durationis

ſine fine. *Tota*, id eſt, non diviſa, non diminuta, cui nihil extra ſit; deinde vt diſtinguatur ab animabus beatis, in quibus ante judicium eſt quidem interminabilis vitæ poſſeſſio; ſed non tota, quia Deum tantùm poſſident ſecundùm partem animæ, non corporis. *Simul*, duplex quippe vita; altera cum ſucceſſione & quaſi per fruſta habetur: altera ſine ſucceſſione & quaſi complexim; per illam non omnes vitæ actiones exercentur ſimul & ſemper, hoc eſt, pro omni inſtanti exiſtentiæ, ſed alia poſt aliam: per hanc verò omnes vitæ actiones ſimul & ſemper ita habentur à vivente, vt in perpetuo exercitio omnium actionum ſuæ vitæ ſit. Prima rebus creatis convenit; ſecunda vni Deo, qui omnes vitæ actiones ita exercet ab æterno, vt ne momento quidem eſſe poſſit, quin omnes exerceat: vnde poſſeſſio vitæ, quam habet, non ſolùm vitæ interminabilis, ſed etiam hujus vitæ tota ſimul & ſemper exiſtens poſſeſſio eſt. *Perfecta*, id eſt, independens, & inamiſſibilis, excellens. Nam perfectio poſſeſſionis præter exercitium perpetuum & indeficiens omnium actionum vitalium pro omni vitæ inſtanti, tria requirit 1. perpetuitatem & inamiſſibilitatem illius poſſeſſionis; 2. ſummam vitæ poſſeſſæ excellentiam; 3 ſummam actionum vitæ concordiam. At poſſeſſio, qua Deus vitam poſſidet, eſt inamiſſibilis, quia illi ab intrinſeco convenit: 2. vita quam poſſidet, eſt excellentiſſima, tum quia vita Dei eſt actus puriſſimus qui vitam ſubſtantialem cum actuali modo ſimpliciſſimo coniungit: tum quia vivere eſt operari ab intrinſeco; Deus autem cùm ſit ens à ſe, operatur ab intrinſeco & independenter ab omni

alio principio extrinſeco. Denique actionum divinarum maxima eſt inter ſe conſenſio ob ſummam identitatem.

Hæc definitio æternitatis breviùs exprimi poteſt, poſſeſſio ſempiternæ vitæ nobiliſſimæ, interminabilis & totius ſimul. Eſt omnium perfectiſſima, quia naturam æternitatis, quæ vni Deo convenit, bellè exprimit, in eo poſitam, 1. vt ſit duratio indiviſibilis, ſeu quæ nullis partibus conſtet, nec permanentibus, nec ſucceſſivis: 2. vt ſuum eſſe habeat abſque initio & fine, & quidem ab intrinſeco: 3. vt ſuum eſſe perfectiſſimè poſſideat, hoc eſt, integrè & ſecundùm omnem perfectionem, quam illud eſſe & poteſt & debet habere. Deinde diſtinguit eam à qualibet alia duratione; à duratione quidem rerum temporalium, quæ partibus ſucceſſivis conſtat, & ſecundùm vnam vni, & ſecundùm alteram alteri temporis parti ſucceſſivè coexiſtit. Diſtinguit quoque à duratione angeli qui ab æterno Deo coextitiſſet, & per conſequentem æternitatem jugiter conſervaretur in ſententia eorum qui ſempiternitatem divinitus creaturæ tribui poſſe autumant, quia ille angelus, inquiunt, potuiſſet abſolutè initium habere, & deſtrui à Deo. Item poſſet acquirere in tempore varias perfectiones, tranſire ab vno loco ad alterum, amare hodie id quod heri oderat, adeóque ſecundùm accidentia mutari, quamvis ſecundùm ſubſtantiam nec initium, nec finem haberet. At duratio Dei propria nunquam abeſſe poteſt ab ipſo ob indeficientiam ſubjecti, nec abſentiam vllius perfectionis & actionis vitalis pro vllo inſtanti pati poteſt. Denique hæc definitio

explicat omnes æternitatis divinæ proprietates, ſolvitque omnes difficultates quæ contra æternitatis naturam objici poſſunt.

Nam ex eo quòd tota ſit ſimul, rectè dicitur vniformitas eſſendi, momentum ſemper ſtans, nunc ſemper exiſtens. 2. Nullus in ea ordo prioris & poſterioris, niſi per denominationem extrinſecam ab ordine prioris & poſterioris creaturis intrinſeco. 3. Nulla in Deo cogitationum & volitionum aliarumve operationum viciſſitudo; amor quo nos amat in tempore, æternus, juxta illud Auguſtini lib. 3. Confeſſ. cap. 11. *Ama amorem te ab æterno amantem.*

Item ex eo quòd interminabilis ſit & tota ſimul, 1. rectè dicitur longiſſima & breviſſima; longiſſima, quia virtute ſua pluribus & pluribus in infinitum durationibus ſe exæquat, eaſque exuperat: breviſſima, quia in momento ſuo habet omnia, quæ per infinitum tempus habere poteſt. 2. Patet cur dicatur vorago & gurges temporum, annus jugiter in ſeipſum revolutus, fons jugis in ſe revertens, circulus in ſe recurrens, dies perennis, dies apud quem non eſt tam quotidie, quàm hodie, neque hodie labentis temporis, ſed ſtantis ſemper æternitatis. Cùm enim æternitas infinita ſit, & infiniti dos gemina; altera, quòd ſit impertranſibile; altera, quòd omnia in ſuo genere includat: hinc conſequens eſt, vt omnem durationem, omnes annos, omnia ſæcula, omnes ſæculorum periodos in ſe complectatur, omnes differentias temporis gurgitis inſtar abſorbeat, & quemadmodum omnes lineæ & puncta, quæ à centro ducuntur; licèt quò longiùs à centro recedunt, eò majori à ſe

intervallo diſtent, tamen vbi ad centrum redeunt, colliguntur in vnum: ita in ipſo temporis orbe præteritum, inſtans & conſequens, cùm inter ſe lineæ quaſi parallellæ videantur, coëunt in vnam illam, vnde tanquam à principio & origine exeunt, inſectilem æternitatem. Præterea cùm interminabilis ſit, id eſt, initio & fine careat, non tantùm omnia tempora complectitur, ſed etiam infinities ſuperat & excedit. Ut enim Deus, quia eſſentiâ infinitus, omnes eſſentias in ſe continet & ſuperat; immenſitas illius omnia loca ſuo ambitu definit & excedit: ita æternitas omnes durationes complectitur & exuperat. Denique vt circulus nulla ſui parte incipit, nulla deſinit, ita æternitas. Itaque ſi æternitatis longitudinem mente concipere placet, concipienda eſt tanquam linea, cui nulla ex latere ſunt puncta, hoc eſt, principium & finis temporis: ſi latitudinem & ambitum, tanquam ſphæra immenſæ magnitudinis, extra quam ideo nullum eſt tempus: ſi profunditatem, tanquam infinitum corpus, quo omnes temporum dimenſiones continentur. Denique patet æternitatem, quamvis per negationem explicetur, eſſe aliquid poſitivum: 1. quia per illam Deus conſtituitur proximè aptus ad coexiſtendum omni tempori poſſibili, ac proinde æquivalet durationi rerum creatarum, quæ eſt aliquid poſitivum. 2. quia opponitur incœptioni & deſitioni, quæ aliquid negativum includunt.

II. Assertio. Æternitas ſoli Deo convenit. Hæc propoſitio, cùm excluſiva ſit, in duas reſolvenda, quarum prima ſit: Deus eſt ſimpliciter æternus; ſecunda; omne ſimpliciter æternum eſt Deus.

Probatur prima 1. ex Scripturis, Deuteron. 32. *Viuo ego in æternum, dicit Dominus.* Daniel 6. *Ipſe eſt Deus viuens & æternus in ſæcula.* Pſalm. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Accedit omnium Patrum conſenſus, immo & gentium omnium. Nam teſte Boëtio lib. 5. de conſol. proſ. 6. Deum *æternum eſſe cunctorum ratione degentium commune judicium.*

Accedit & ratio non vna, quarum prima ducitur ex conceptu Dei: ens quod ita per ſe eſt, vt excludat omne non ens, excludit ſe ipſo duas imperfectiones æternitati contrarias, nempe mutabilitatem & terminabilitatem durationis, adeóque habet in ſe duas perfectiones vtrique huic imperfectioni oppoſitas: Deus eſt ita per ſe ens, vt excludat omne non ens: ergo excludit mutabilitatem & terminabilitatem durationis: ergo includit immutabilitatem & interminabilitatem durationis, hoc eſt, æternitatem ſimpliciter dictam. Hoc argumentum ſufficit nobis Auguſtinus lib. de ver. relig. cap. 49. *Nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum eſt: quia quod præterit, eſſe deſinit, & quod futurum eſt, nondum cœpit: æternitas autem tantummodo eſt, nec fuit, quaſi jam non ſit, nec erit quaſi adhuc non ſit. Quare ſola ipſa veriſſimè dicere potuit humanæ menti: EGO SVM QVI SVM; & de illa veriſſimè dici poterat: QVI EST, MISIT ME.*

Secunda ex definitione ipſius æternitatis ſic elicitur: Definitio æternitatis Deo conuenit: ergo Deus eſt ſimpliciter æternus. Probatur ant. 1. habet vitam interminabilem, quia non poteſt incipere & deſinere; quippe qui ſit ens à ſe, prorſuſque immutabile, vt jam confecimus, ipſe-

que conficit Auguſtinus lib. de natur. boni contra Manich. *Summum bonum, quo ſuperius non eſt, Deus eſt, ac per hoc immutabile bonum, & hoc ideo verè æternum & immortale.* 2. Totam ſimul vitam poſſidet, quia in Dei æternitate nulla ſucceſſio; ſed totam vitam poſſidet in momento, tum citra partium durationis ſuæ fluxum. *Deus*, inquit Gregor. Nazianz. *Semper eſt, non erat, & erit; hujus noſtri temporis fluxa caducaque natura ſegmenta ſunt:* tum citra omnium perfectionum, cogitationum & volitionum varietatem: quia hæc omnia ſimul & ſemel ab omni æternitate poſſidet, & in quolibet puncto æternitatis, & quidem integrè ac perfectè: quia poſſidet per eſſentiam & à ſe; itáque illimitatè & invariabiliter vitam habet & actus quoſlibet tum intellectus, tum voluntatis in quovis momento perfectiſſimè, omnibus retro ſæculis & in poſterum futuris deſignabili, inquit Leſſius. Certè quòd tres æternitatis dotes, quarum duæ primæ negativæ ſunt, nempe quòd careat initio & fine; tertia quòd permanentiam habeat in eſſe, ſimulque ſit vniverſa & in puncto ac momento conſiſtat, SS. Patres Deo tribuunt. Tertullianus quidem duas primas lib. 1. contra Marcion. cap. 8. *Non habet tempus æternitas, omne enim tempus ipſa eſt. Caret ætate quod non licet naſci. Deus ſi eſt vetus, non erit: ſi eſt novus, non fuit. Novitas initium teſtificatur, vetuſtas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine eſt, quàm à tempore arbitro ac metatore initii ac finis.* Tertiam verò Petrus Damianus opuſc. c 8. *Omnipotenti itaque Deo non eſt heri vel cras, ſed hodie ſempiternum.* Anſelmus in Proſologio: *Quo-*

modo nec tu habes partes, nec tua æternitas quæ tu es, nuſquam & nuſquam eſt pars tua aut æternitatis tuæ, ſed vbique totus es, & æternitas tua tota eſt ſemper.

Probatur ſecunda : Nulla creatura poteſt eſſe ab æterno : ergo omne ſimpliciter æternum eſt Deus. Probatur ant. Quidquid eſſentialiter eſt ex non extantibus, non poteſt eſſe ab æterno: omnis creatura eſt ex non extantibus : ergo nulla creatura poteſt eſſe ab æterno. Minor eſt omnium fere Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum. Græcorum quidem, qui creaturam definiunt ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγήν, *ex non ente ad eſſe productionem.* Hinc Damaſcenus lib. de fide cap. 8. *Creatio cùm ſit opus divinæ voluntatis, non eſt coæterna Deo, quia quod ex non ente ad eſſe producitur, non eſt natum aptum eſſe coæternum ei, quod principio caret, & ſemper eſt.* Ubi vox, πέφυκε, idem ſonat atque οὐ δύναται, juxta interpretationem Argyropili apud Ariſtotelem. Latinorum, putà Ambroſii lib. 6. Hexamer. *Quid tam inconveniens, quàm vt æternitatem operis cum Dei omnipotentis conjungeret æternitate?* Alios Patres jam citavimus tom. 1. Phyſ. partic. part. 1. diſp. vnica de mundi natura & affect. art. 2. §. 5. & 6. vbi hanc quæſtionem ex profeſſo agitavimus. Et verò cùm creatura ſit eſſentialiter ens ab alio, vtique in ſuo eſſe limitata eſt, & quidem ab intrinſeco: ergo par eſt vt in modis entis ſit quoque limitata : ergo in duratione, ac proinde ſub non eſſe ſui tota æternitate latuerit, ne poſſit vlla in re par eſſe ſuo auctori, ſibique durationem Deo coævam arrogare, *qui ſolus*, ex D. Paulo, 1. ad Tim. 6. *habet immortalitatem. Quia ſolus,*

inquit Auguſtinus tract. 23. in Joan. *habet veram æternitatem. Quod eſt ergo, quod ait Apoſtolus de Deo, Qui ſolus habet immortalitatem, niſi quia hoc apertè dixit, Solus habet incommutabilitatem, quia ſolus habet veram æternitatem?* Et ex Tertulliano æternitatem quaſi propriam dotem ac cenſum: *Quis enim*, ait lib. contra Hermogen. cap. 4. *alius Dei cenſus quàm æternitas? quis alius æternitatis ſtatus, quàm ſemper fuiſſe & futurum eſſe ex prærogativa nullius initii & nullius finis?* Porrò ex teſtimoniis SS. Patrum hæc ratiocinatio contexi poteſt. Quod convenit alicui ex ſe, priùs illi convenit, quàm quod illi convenit ex alio: creaturæ convenit ex ſe non eſſe; ab alio verò eſſe, convenit dependenter ex alio: ergo priùs convenit creaturæ non eſſe, quàm eſſe: ergo debuit priùs eſſe ſub non eſſe, quàm ſub eſſe: ergo non potuit eſſe æterna; alioqui in eadem æternitate ipſi ſimul conveniret non eſſe & eſſe, quod impoſſibile eſt.

Dixi æternitatem ſimpliciter dictam vni Deo convenire, & creaturis incommunicabilem, non autem æternitatem ſecundùm quid. Nam ſit

III. ASSERTIO. In beatis eſt æternitas participata. Probatur: æternitas participata vt hîc ſumitur, nihil aliud eſt quàm invariabilis duratio viſionis Dei intuitivæ: in beatis datur invariabilis duratio viſionis intuitivæ Dei: ergo datur in beatis æternitas participata. Minor eſt D. Auguſtini lib. 15. de Trin. cap. 16. vbi hanc quæſtionem quaſi dubitanter ita ſolvit: *Fortaſſe volubiles non erunt cogitationes noſtræ, ab aliis in alias euntes atque redeuntes;* ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul conceptu videbimus.

hinc qui Deum intuentur in altera vita, dicuntur habere vitam æternam, quòd in illo intuitu nulla ſit ſucceſſio, ad mentem D. Joannis accommodatè, *Hæc eſt vita æterna*, &c. Hæc porrò æternitas eſt quaſi media inter æternitatem abſolutam & ævum, ipſamque Dei æternitatem excellentiori modo participat, quàm cæli, angeli & animæ rationales, quæ ævo commenſurantur: quia viſio beatifica eſt invariabilis, nec in ea ſunt volubiles cogitationes.

IV. Assertio. Datur æternitas ſecundùm quid in angelis & animabus rationalibus, quæ dicitur ævum. Probatur: æviternitas eſt duratio habens initium, & carens fine, invariabilis quoad ſubſtantiam, & variabilis quoad accidentia: talis eſt duratio angeli & animæ rationalis: ergo datur in angelo & anima rationali æviternitas.

Obſerva diligentiùs, quæ perpetua ſunt & ævo fruuntur, ab ipſa Dei æternitate in tribus potiſſimùm deficere: & quòd perpetua ſine Deo nullatenus eſſe poſſint; Deus autem ſemper erit, iis etiam in nihilum recidentibus, quo ſenſu æternitas Dei dicitur eſſe vltra omnia, Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum & vltra*: & quòd perpetua cogitari poſſint habere finem, Deus autem nequaquam: quia illa abſolutè à Deo deſtrui poſſunt, Deus autem à nullo. Quo etiam ſenſu Deus dicitur eſſe vltra entia perpetua: quia quod nullo modo poteſt habere finem, vltra illud eſt, quod aliquo modo finitur: & quòd perpetua nondum habent de ſua æternitate quod futurum eſt, nec habent ampliùs quod præteritum; æternitas autem Dei & rerum omnium

quæ perpetuitate gaudent, præſens eſt Deo, vt rectè obſervat Anſelmus in Monolog. Hinc

Æternitas Dei ex doctrina Boetii lib. 5. de conſ. proſ. 6. rectè dicitur duratio rei exiſtentis omnino invariabiliter: ævum, duratio invariabilis quoad ſubſtantiam, ſed variabilis quoad accidentia: tempus, duratio rei variabilis tum quoad ſubſtantiam, tum quoad accidentia. De natura æternitatis tantùm, jam de modo.

§. IV. *De modo æternitatis divinæ.*

DUPLEX celebrior ſententia de modo æternitatis divinæ. Prima docet æternitatem, licèt ſit in ſe realiter individua, & tota ſimul realiter, tamen vt ſumitur per ordinem ad res creatas, quæ durationem ſucceſſivam habent, includere virtualem quandam extenſionem, qua poteſt tempori ſucceſſivè fluenti reſpondere. Secunda explicat per ordinem ad productionem temporis prioris aut poſterioris, adeóque nihil aliud eſſe cenſet, quàm omnipotentiam Dei, vt eſt productrix temporum. Utramque ſententiam per ordinem ad immenſitatem divinam explicabunt ſequentia pronuntiata. De prima ſententia ſit

I. Pronuntiatum. Ut ſe habet immenſitas Dei in ordine ad locum, ita æternitas in ordine ad tempus: vt enim per immenſitatem Deus correſponde loco, ita per æternitatem coexiſtit tempori.

II. Ut immenſitas eſt perfectio Dei intrinſeca, per quam Deus fit proximè aptus ad correſpondendum omni loco extrinſeco: ita æternitas eſt perfectio Deo intrinſeca, per quam eſt proximè

aptus ad coexiſtendum omni tempori ſucceſſivè fluenti.

III. Ut immenſitas, quamvis realiter indiviſibilis ſit, tamen virtualiter diffunditur in omnem loci dimenſionem: ita æternitas licèt realiter indiviſibilis ſit, & tota ſimul phyſicè, nec enim vitam ſeu eſſe Deus poſſidet per partium & actuum vitalium ſucceſſionem; tamen habet partes virtuales, quibus æquivalet durationi ſucceſſivæ fluenti in infinitum, illique coexiſtere poteſt, ſi detur. Hinc Daniel. 12. verſ. 3. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, erunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Ubi æternitas pluraliter enuntiatur, vt annotat ſubtilis Interpres, quia licèt vna ſit ſecundùm rem, virtualiter tamen multiplex eſt, propter virtutem infinitam, qua continet omnia durabilia, quæ illi ſubordinantur.

IV. Ut immenſitas, ratione ſuæ indiviſibilitatis realis, omnia colligit in punctum, immò & punctum aliquatenus dici poteſt: ita æternitas, ratione ſuæ indiviſibilitatis, omnia colligit in momentum ſeu inſtans, immo & inſtans dici poteſt. Ut enim in puncto nihil eſt primum, nihil ſecundum, ſed omnia ſunt ſimul ſemper, quia punctum eſt id cujus nullæ ſunt partes: ita in æternitate nihil eſt quod primò, nihil quod ſecundò deinde exiſtat, ſed omnia ſimul pro ſingulis inſtantibus exiſtunt, ſuntque vnica realiter indiviſibilis entitas; hinc vniformitas æternitatis, ipſaque vniformitas vivendi in Deo eſt poſſeſſio æternitatis, quæ ex eo oritur, quòd Deus ſemper habeat omnes actiones vitales in eodem tenore vitæ.

v. Ut Deus, ratione immenſitatis, eſt in omnibus locis & extra omnia loca: ita ratione æternitatis eſt in omni tempore, ante & vltra quodlibet tempus.

vi. Ut Deus per immenſitatem abſque ſui mutatione intrinſeca, novo ſpatio coextendi incipit: ita per æternitatem abſque ſui mutatione intrinſeca, novo tempori coexiſtere incipit, potuitque priori & priori tempori correſpondere; hinc dicitur Deus ab Auguſtino lib. 11. Confeſſ. cap. 13. præcedere tempora, & mundum celſitudine æternitatis ſemper ſtantis; item prius & prius virtuale habere, per quod potuit priori & priori tempori coexiſtere.

vii. Sicut dum corpus per ſuum vbi divinæ immenſitati coextenditur, non toti immenſitati adequatè ſumptæ dicitur coextendi, quia vni tantùm parti virtuali reſpondet: ita dum res creata divinæ æternitati coexiſtit, non toti adæquatè æternitati coexiſtit, quia vni dumtaxat parti virtuali coexiſtit.

viii. Quamvis nullum ſit corpus, quod ab immenſitate diſſitum ſit, non deſinit tamen ab alio corpore diſtare, ſi intervallum ſpatii inter vtrumque aliquod ſit: ita quamvis nihil præteritum aut futurum ſit reſpectu æternitatis ſecundùm omnem virtualem extenſionem ſumptæ, rei vnius duratio poteſt dici prior aut poſterior altera; vna præterita & altera præſens, ſi vna jam deſiit, & altera durare incipit. Hinc etiam dicuntur res præteritæ, quatenus reſpiciunt æternitatem poſt ipſas perſtantem ſecundùm alias partes durationis virtualis ipſius æternitatis: aut futuræ, quatenus reſpiciunt anteriorem

æternitatis partem virtualem, cui per ſuam durationem non coextitere.

IX. Ut Deus, ratione ſuæ immenſitatis, dicitur ſpatium omnium ſpatiorum, & quaſi baſis primordialis cujuſlibet loci: ita ratione æternitatis, dicitur prima & fundamentalis vita & duratio, fons omnis vitæ & durationis, baſis omnium ſæculorum & temporum.

X. Ut eſſentia Dei, quatenus infinita, concipitur à nobis cùm ordine ad plures ſpecies poſſibiles, ſeſe in eſſentiali perfectione ſuperantes; immenſitas per reſpectum ad majus & majus ſpatium, quod quaſi in infinitum abit: ita æternitas per comparationem ad tempus imaginarium quaſi infinitum, hoc eſt, quod nos quaſi imaginatione depingimus, non autem quod reipſa vllum ſit ſpatium reale extra cælos, aut vllum tempus actuale noſtro tempori præextiterit; ſed quòd Deus poſſit ex ſeſe & ab intrinſeco ſpatio majori & majori, quod in illis ſpatiis produci poſſit, coextendi, & cuilibet durationi, quæ mundi durationi præextitiſſet, coexiſtere.

XI. Cave itaque ne dicas Deum per æternitatem fuiſſe in tempore imaginario ante mundum conditum. Ut enim per immenſitatem non dicitur propriè & formaliter eſſe in ſpatio quod reipſa non eſt: ita nec propriè dicitur coexiſtere alicui tempori, quod actu non fluit. Ratio eſt, quòd Deum eſſe formaliter & propriè in loco aliquo aut tempore, eſſentialiter includat coexiſtentiam vtriuſque, Dei nempe & loci aut temporis: itaque ſi locus vel tempus deſit, non poteſt dici, quòd Deus ſit in illo loco & tempore;

hinc Deus nec formaliter & propriè eſt in ſpatiis imaginariis, nec in tempore imaginario, quia neutrum exiſtit. Dici tamen poteſt eſſe in vtroque fundamentaliter, quia ex ſe proximè aptus eſt, vt ſit in loco & tempore illo, modò exiſtant. Hinc

XII. Ut ante mundum conditum Deus apud ſe habitabat, ſibique locus erat & ſpatium: ita ante tempus conditum non propriè exiſtebat in tempore quod fingimus quaſi infinitum, ſed in ſua æternitate erat; immo nec verè etiam nunc eſt in tempore, ſed in ſua æternitate, ſicut nec propriè eſt in mundo, ſed mundus in ipſo, vt rectè monet Guillelmus Pariſienſis in ſecunda ſectione part. 2. de vniverſ. cap. 68. *Dicendum potiùs mundum eſſe in Creatore, quàm Creatorem in mundo; & Creatorem continere mundum, quàm Creatorem contineri à mundo.* Quod de tempore dicendum. Hactenus de prima ſententia, quam in Phyſica vniverſali examinavimus. Jam de ſecunda ſit

I. Pronuntiatum, vt immenſitas nihil aliud eſt, quàm omnipotentia Dei, quatenus eſt opifex locorum & ſpatiorum majorum & majorum in infinitum: ita æternitas nihil aliud eſt, quàm eadem omnipotentia, vt effectrix eſt temporum.

II. Ut Deus per immenſitatem dicitur eſſe extra cælos, non extraitate diffuſionis, ſed virtutis & potentiæ, qua poteſt extra cælos ſpatia realia producere: ita dicitur eſſe ante tempus per æternitatem, quatenus antecedit tempus quodlibet productum prioritate potentiæ ſeu virtutis, ſeu, vt loquitur Auguſtinus, *celſitudine*

æternitatis ſemper ſtantis; fictitia quippe eſt in hac ſententia diffuſio partium virtualium æternitatis, quarum vna antecedat mundum, altera eidem coexiſtat, tertia ipſi deſtructo ſuperſit.

III. Ut Deus, quà immenſus, fit præſens locis per actionem ipſorum artificem: ita quà æternus, fit præſens temporibus per actionem ipſorum productricem.

IV. Ut Deus, dum producit ſpatia, quatenus immenſus, nullatenus mutatur, ſed mutat: ita dum producit tempora, quatenus æternus, nullo modo mutatur, ſed mutat: quia agens, quà agens, non mutatur, ſed mutat.

V. Pronum eſt ex dictis omnipotentiam Dei ab immenſitate & æternitate diſtinguere: quia omnipotentia dicitur, quatenus eſt productrix rerum poſſibilium, hoc eſt, quæ nullam contradictionem implicant; immenſitas, vt eſt effectrix locorum; æternitas, vt eſt opifex temporum.

VI. Hæc ſententia videtur eſſe ſubtilior primâ, ſed ad captum rudiorum Philoſophorum minùs accommodata, quibus difficile eſt craſſis & corporatis rebus aſſuefactam & implicatam mentem ab earum imaginibus ad cæleſtia & divina cogitanda traducere; facillimum autem, cùm Deum extra mundum aut ante tempora ſibi repræſentant, ipſum fingere per infinita ſpatia vndique penetrare totam mundi molem, & extra eam quaqua verſum per immenſa ſine termino latiſſimè fundi, atque infinitis temporibus prioribus & prioribus coexiſtere, quæ eſt idololatria quædam imaginationis noſtræ, cujus ſe reum fuiſſe aliquando fatetur Auguſtinus.

§. V. *Conſectaria ex natura æternitatis.*

MULTA ex natura æternitatis explicata inferre licet, nempe ex eo quòd ſit ſine principio & fine, adeóque infinita, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio vitæ, quorum ſit

I. Conſectarium. Æternitas eſt menſura per ſe primò entis ſimpliciter permanentis; ſecundariò entis permanentis ſecundùm quid, & ſucceſſivi, nempe temporis. Patet prima pars, quia ipſum eſſe Dei æternitate menſuratur. Patet ſecunda ex pronuntiato philoſophico: *Quod eſt primum in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum*, ſi non per ſe, ſaltem per accidens. Cave tamen ne putes æternitatem eſſe menſuram entis ſucceſſivi per coaptationem: quia menſura ſic accepta, eſt aliqua extenſio certa, determinata & homogenea, cujus applicatione cognoſci & determinari poteſt, quanta ſit rerum aliarum extenſio; æternitas autem propter infinitudinem ex omni parte, non eſt determinata, nec propriè applicabilis: eſt itaque menſura rerum durabilium creatarum per eminentiam, quia omnia tempora ſupergreditur.

II. Ut quodlibet ens magis participat de motu & ſucceſſione, ita longiùs ab æternitate recedit. Porrò quædam recedunt quoad ipſum eſſe, vt generabilia: quædam non quoad eſſe, ſed quoad locum, vt cæli: quædam nec quoad eſſe, nec quoad locum; ſed quoad operationem, vt angeli, qui non mutantur quoad ſubſtantiam, nec ſunt propriè in loco, in ſententia eorum, qui volunt eſſe in loco per operationem: quædam

nec quoad ſubſtantiam, nec quoad locum, nec quoad agere, vt Deus. Hinc generabilia tempore menſurantur quoad eſſe; cæli quoad motum; angeli ævo quoad ſubſtantiam, tempore quoad operationes & affectiones; Deus æternitate. Porrò ævum æternitati affinius quàm tempus, quia magis participat de immutabilitate, quam ratio æternitatis conſequitur, ſicut ratio temporis conſequitur motum, inquit D. Thomas.

III. Licèt actiones hominis liberæ nullam habeant proportionem cum æternitate in ratione entis phyſici, habent tamen aliquam in ratione moris & meriti, quia per ipſas, ſi bonæ ſint, & ab homine Deo ipſi grato eliciantur, beatam; ſi malæ, infelicem æternitatem conſequimur. Hinc dicuntur actiones noſtræ à D. Bernardo *ſemina æternitatis*; & homo quandiu in via eſt, à Tertulliano *candidatus æternitatis*.

IV. Infinitum Dei gaudium & ſecuritas ex poſſeſſione vitæ tam perfectæ: quia poſſeſſio perfecta tria requirit; 1. vt boni poſſeſſio ad vnum dumtaxat pertineat; 2. independens ſit ab omni alio; 3. certa. 1. Debet ad vnum pertinere, quia qui poſſidet cum altero, non integrè poſſidet, adeóque nec perfectè. 2. Independens eſſe, quia qui poſſidet fundum cum dependentia ab altero, non ſupremum habet in eum dominatum. 3. Certa, ne ſit inquieta. At 1. Deus vnus vitam interminabilem poſſidet; 2. poſſidet vt monarcha vitæ, nec homagium alteri vlli debet; 3. certò & ſecurè, quia æternitas eſt ipſe Deus: quanta ergo inde lætitiæ ſeges & ſecuritas? 2. Gaudii infinitudo ex triplici potiſſimùm principio fluit, vt

obſervat Leſſius ; 1. ex excellentia divinæ eſſentiæ & bonis omnibus, quæ eminenter continet ; 2. ex poſſeſſione tot bonorum ſimultanea ; 3. ex poſſeſſione ſimultanea tot bonorum per totam æternitatem : igitur triplex infinitudo illius gaudii, ex parte objecti, ex parte collectionis in vnum, & ex parte durationis nunquam deſituræ. Poſſeſſio quippe illa non vitæ inamabilis illius, cui mors dura vndique imminet, & patentes vndique ac ſecretas molitur inſidias, ſed vitæ perennis & immortalis, cujus jucundiſſimo nomine recreamur, in qua bona omnia continentur ; quæ non accepta per partes, quia tota ſimul ; neque incœpta, quia ingenita ; quæ tota & ſecura, quia immutabilis ; quæ nunquam finienda, quia immortalis. Bona temporalia, vtpote inſtabilia per ſeſe, variiſque fortunæ caſibus obnoxia, nunc his quidem affluunt, nunc ad illos refluunt, vt in orbem agitata tandem omnino defluant : itaque poſſeſſionem conſtituere non poſſunt niſi fiduciariam & plenam ſpei, & quidem ſæpius dubiæ & inanis : at Deus æternus, inquit ſubtilis Theologus, tutò certóque tenet vitam, quam poſſidet. Ad illam occupandam, non per vim, non per inſidias aut per gradus paulatim involavit : non partitorem habuit ex quo, neque partiarium cum quo ſive temere, ſive æqualiter, ſive pro rata portione poſſeſſionem acceperit : non denique ex alieno arbitrio pendet, vt vitam illam vivat : nec jure aut injuria ex illius poſſeſſione dejici vnquam poteſt, quia illius eſſentiæ divinæ dos genuina, cenſuſque nativus, cujus fruitione tota æternitate anteacta gaviſus eſt, & tota conſequente

gaudebit. Et nos inanes terræ fungi, caduci, fragiles, vnius diei homines, vitam hancce caducam & brevì perituram perditè amamus; divinam illam & immortalem, ad quam perfruendam à Deo deſtinati ſumus, negligimus & pro nihilo habemus!

Quæres, an vitam illam beatam poſſeſſuri ſimus, ſicut Deus poſſidet. Reſp. nos quidem illam poſſeſſuros, ſed in diſpari gradu. Nam 1. idem ipſum quod Deus, hoc eſt, Deum & in eo divitias infinitas poſſeſſuri ſumus; non vno aut altero ſæculo, ſed tota æternitate, & quidem affatim & ſimul in qualibet parte æternitatis: quatenus mens beata quaſi fœcunda in ſuam felicitatem, quæcunque bona in qualibet parte æternitatis perceptura eſt, ipſa cogitatione anticipando colliget; vtique vel ex eo bis beata, & quòd tot tantiſque bonis per totam conſequentem æternitatem perfruitura ſit, & quòd ſe perfruituram ſemper cogitet: vnde in beatitudine noſtra triplex quaſi infinitas, quæ infinitati divinæ beatitudinis vtcumque ſuppar erit; 1. ratione objecti, nempe Dei, qui ſe ſolo dives, ſe ſolo ſummus, ſe ſolo infinitus; 2. ratione durationis, quæ fine caret; 3. ratione cogitationis, quæ omnia gaudia, quibus in conſequentes æternitates animus perfundetur, in quolibet momento percipit, dum quaſi in vnum colligit. (hanc æternitatem Theologi quidam formalem vocant reſpectu beati) Age porrò, quæ ex triplici hac infinitate in voluntatem beatam gaudia redundabunt! quæ pax & ſecuritas, cùm Deus animæ beatæ in ipſo æternitatis aditu, & in omnes deinde conſequentes annos iterum ac

ſæpius inculcabit : Æternùm me videbis , æternum me amabis : hanc quam hodie primùm inis poſſeſſionem , firmam ſtabilemque reddet mea omnipotentia , nec quiſquam ex ea te vnquam dejiciet : bonum quod poſſides tota ſecuritate, & totum ſimul, non auferendum à te vnquam, non intermittendum , non circumſcribendum. Diſpar tamen ratio beati à Deo , quòd Deus ſeipſum comprehendat, id eſt, omnem ſui cognoſcibilitatem infinitate cognitionis ſuæ adæquet; beatus videat tantùm intuitivè. 2. Quòd Deus vnico actu virtualiter multiplici ſe cognoſcat , amet , & de ſui poſſeſſione gaudeat, qui ſubſtantiæ illius identificatur ; beati cognitio ab amore diſtinguatur , & quidem realiter. Et quamvis ipſa viſio beatorum non ſit volubilis , ſed conſtans , peræquè ac amor neceſſarius , viciſſitudinem tamen aliorum actuum non reſpuit, &c.

v. In opere nihil negligendum ei, qui æternitati allaborat. Ratio petitur ex D. Bernardo ſerm. 25. ad Cler. *Non tranſeunt opera noſtra vt videntur , ſed temporalia quæcumque veluti æternitatis ſemina jaciuntur.* Quantum temporis vel in conficienda tabella inſumebat olim Zeuxis! quàm ſæpe inter pingendum redibat in ſe ſe! quâ diligentiâ & ſedulitate quoſlibet penicilli ductus ad eam , quam animo informarat, ideam exigebat! quàm durus operum ſuorum cenſor, qui nihil ſibi vnquam parceret ; qui ſi quid peccatum in opere vel leviter, omnem operis elegantiam obſcurari vel hoc vno peccato, ac nitorem deteri putabat , nec priùs ab opere ceſſabat, quàm manus induſtria omnem ideæ nobilitatem

ac præſtantiam ad vivum expreſſiſſet ! Cur autem ? quia nempe æternitati pingebat. Facillimè quidem operum, quæ brevì peritura ſunt, ideam animo informamus ; eorum autem, quæ æternùm duratura, nonniſi ægerrimè ; diu multúmtumque animo parturiendum, vt in lucem exeant.

VI. Æternitas bono vel malo adjuncta, efficit illud infinitè melius, hoc autem infinitè pejus, ratione nempe durationis, quæ i. finita eſt, & ratione collectionis, quatenus totius felicitatis commodum, quod res in infinito tempore ſucceſſivè afferre poteſt, vno quaſi intuitu in quolibet momento percipiendum proponit, & pœnas quæ continuata ſerie in æternitate perferuntur, ſimul menti cernendas objicit vniverſas, vt oſtendimus tom. I. Eth. vniverſ. part. I. diſp. 3. appendice de miſeria hominis, pag. 237. Hinc etiam fit, vt quidquid vis, de æternitate dicas, quia quidquid dixeris, minus dicis. Cùm enim infinita ſit, id habet ſuum ac proprium, vt quidquid ab ea demas, remaneat integra, & quantumlibet adjeceris, majorem non efficias. Monſtrum planè durationis in qua quidquid eſt, infinita ſui quaſi reproductione creſcit in immenſum : nihil incipit vnquam, nihil definit.

VII. Quæcumque bona aut mala temporalia ſunt, cum bonis & malis æternis comparari non debent, ratione durationis : quia illorum duratio finita, horum verò infinita. Æternitas quippe omnia tempora & durationes complectitur & infinities ſuperat : at finiti ad infinitum nulla proportio : ergo nec comparatio, juxta illud Auguſtini in Pſalm. 36. *Quid appendis cum infinito*

quantumcumque finitum? hinc pronuntiata: *Nihil magnum, quod finem habet. Quid ad æternitatem? Sapienti nunquam iſta temporalia placuerunt.* Hinc levia ſunt quæcunque mala patimur in vita, immo fere nulla, ſi cum æterna miſeria aut cum æterna felicitate comparentur: itàque omnia temporanea præ ipſa æternitate contemnenda, & ſi quid perpeſſu difficile & injucundum accidit, id nunquam ab æterna felicitate ſejungendum, cujus cogitatio omnem laborem levat. Quis enim difficillima quæque non facilè ſuperet, ſi has dotes beatæ æternitatis animo ſæpius retractet? 1. Quòd in ea nihil ſit, niſi infinitum, totque proinde habeat vitæ incrementa, quot momenta. 2. Quòd tota ſimul ſit & perfecta poſſeſſio, nihil Deo prætereat, nihil ſuccedat. 3. Quòd nunquam intermittatur, ſimulque ſemper ſint, *perpetua & felicitas.* 4. Quòd in omnes ſeſe tum animæ, tum corporis facultates effundat. 5. Quòd ob oculos ſemper obverſetur. *Evigilabunt enim alii in vitam æternam, alii in ſupplicium æternum vt videant ſemper.* Quid τὸ ſemper? Jure itaque æternitas dicitur ratio vltima non regum, ſed Dei & beatorum, qua completur eorum felicitas; quaſi ſigillum, quo munitur; regula denique, ad quam, ſi ſapis, dicta factaque exiges omnia.

ARTICULUS VI.

De inviſibilitate, incomprehenſibilitate & ineffabilitate Dei.

QUÆ Dei attributa hactenus explicuimus, removent à Deo imperfectiones, quæ creaturis inſunt abſolutè & ſecundùm ſe ſpectatis, vt obſervat Suares Granat. Tria verò, quæ hoc articulo examinanda ſuperſunt, relativa quodammodo ſunt ad intelligentiam creatam, vt incomprehenſibilitas; ad ſenſum, vt inviſibilitas; & ad ſermonem, vt ineffabilitas: de quibus ſtrictim agimus. Et quoniam comprehenſio plura requirit, quàm viſio vel cognitio & locutio, de incomprehenſibilitate primùm, tum de inviſibilitate, poſtremò de ineffabilitate agemus.

§. I. *De incomprehenſibilitate Dei.*

I. OBSERVATIO. COMPREHENSIO ſumitur latè & ſtrictè. Latè ſumpta idem eſt ac conſecutio finis ſeu termini ad quem tendimus, juxta illud Pauli Philipp. 3. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam.* & 1. Corint. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*, id eſt, vt bravium vitæ æternæ conſequamini. Vel idem eſt ac poſſeſſio Dei: quo ſenſu beati dicuntur comprehenſores latè, non ſtrictè. Strictè ſumpta, eſt adæquata rei cognitio: tunc autem cognitio rei adæquatur, cùm omnem illius cognoſcibilitatem paſſivam exhaurit: tum exhaurit omnem rei

cognoſcibilitatem paſſivam, cùm ipſam mens cognoſcit, quantùm cognoſcibilis eſt ſecundùm perfectionem tum intenſivam, tum extenſivam, ita vt nihil cognoſcentem lateat. Hanc comprehenſionis notionem tradit Auguſtinus epiſt. 119. cap. 9. *Aliud eſt videre, aliud totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præſens vtcumque ſentitur. Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil lateat videntem.* Hinc comprehenſio non eſt tantùm quidditativa & intuitiva cognitio Dei, quæ latè comprehenſio dicitur; ſed quidquid eſt in objecto, penitiſſimè attingit, ejuſque amplitudinem adæquat. Hinc

II. OBSERVATIO. Incomprehenſibilitas Dei, vt opponitur comprehenſioni ſtrictiùs acceptæ, eſt excellentia divini eſſe, quam nulla intelligentia creata ita capere poteſt, vt nihil Dei ipſam lateat. Duo itaque includit incomprehenſibilitas Dei: vnum formaliter, nempe negationem comprehenſionis ab intellectu creato; alterum fundamentaliter, nempe ſummam divini eſſe perfectionem, quæ tanta eſt, vt à nullo intellectu creato, quamvis lumine gloriæ adjuto, comprehendi poſſit, ne quidem Chriſtum hominem excipio: vnde beati vident quidem totum Deum, hoc eſt, totam ſimpliciſſimam eſſentiam divinam, ſicuti in ſe eſt; ſed non totaliter, ſeu perfectè & adæquatè, ita vt viſione ſua exhauriant totam Dei cognoſcibilitatem.

I. ASSERTIO. Deus eſt incomprehenſibilis ab omni intellectu creato. Hæc aſſertio eſt de fide & tradita in Concil. Lateran. cap. *Firmiter*, licèt in modo explicando Theologi inter ſe diſ-

crepent. Probatur 1. auctoritate Scripturæ & SS. Patrum. Scripturæ quidem, Jerem.32. *Magnus conſilio & incomprehenſibilis cogitatu.* Job 11. *Forſitan ejus veſtigia comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies.* Pauli Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini?*

SS. verò Patrum, Primaſii in illud 1. Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, affirmantis Deum à beatis non comprehendi. *Quia*, ait, *nemo videt quantum eſt, ſed vnuſquiſque pro merito. Nam & ſolem tantò ampliùs videmus, quantò purior fuerit acies oculorum.* Hilarii lib. 2. de Trinit. colum. 5. *Ego neſcio, non requiro, conſolabor me tamen. Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſæcula non tenent, Propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogavit, Filius ipſe non edidit.* Auguſtini de verbis Apoſt. *Inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, omnem enim creaturam ſuam excedit, omnem facturam ſuam præterit, univerſa præcellit.*

Probatur ratione. Tunc Deus perfectè comprehenditur, cùm cognoſcitur quantùm cognoſcibilis eſt pro exigentia ſua: nullus intellectus creatus poteſt Deum cognoſcere, quantùm cognoſcibilis eſt pro exigentia ſua: ergo nullus intellectus creatus poteſt Deum perfectè comprehendere. Majoris veritas patet ex 1. obſervat. Probatur minor: Tunc tantùm Deus cognoſcitur quantùm cognoſcibilis eſt pro exigentia ſua, cùm principia quæ ad cognitionem illius concurrunt, ſunt ejuſdem puritatis intentionalis cum

ipſo, quia materia, vt aliàs explicuimus, eſt obex cognitionis: cùm intellectus creatus Deum attingit, principia quæ ad illius cognitionem concurrunt, non ſunt ejuſdem puritatis intentionalis cum Deo; principia enim quæ concurrunt, ſunt lumen gloriæ, intellectus creatus & objectum, nempe Deus: at quamvis Deus in ratione objecti ſit ejuſdem puritatis, tamen lumen gloriæ & intellectus, creata cùm ſint, à ſumma Dei immaterialitate deficiunt. Certè Deus ſupra omnem vim intellectus creati multùm attollitur, ac proinde clarè videri, ſicut in ſe eſt, non poteſt, niſi lumine gloriæ corroboretur. Præterea non tantùm eſt infinitè ſupra omnia elevatus, ſed in ſua altitudine infinitè profundus, quatenus ejus perfectio eſt infinitè intenſiva; & infinitè latus, quatenus ex vi perfectionis intenſivæ, ſed ad infinitam entis latitudinem exporrigit: ergo vt Deus penetretur, quantùm penetrabilis eſt ſecundùm vtramque perfectionem tum intenſivam, tum extenſivam, debet cognoſci vt ad infinita ſe extendit, adeóque vt illius comprehenſivæ cognitionis, diſtinctè, perfectè & ſimul videri & percipi debet quidquid Deus continet tum formaliter, tum eminenter: omnes notiones, omnia conſilia, omnia quæ ipſe poteſt decernere, permittere vel impedire, & facere, penetrari & pervadi, inquit Leſſius, quæ cùm infinities infinita ſint, vtique non poſſunt niſi ab intellectu ſummè immateriali comprehendi. Unde meritò Dionyſius Deum ait eſſe ἀκατάληπτον, ἀπερίληπτον διὰ τὴν ὑπερούσιον ἀπειρίαν, hoc eſt, *nulla mente creata ob ſupereſſentialem infinitatem comprehendi poſſe.* Et verò ſi Dei natu-

ram ſcrutari profundiùs , ſi attributa altiùs penetrare nitatur mens humana , ſtatim hebeſcit ac retunditur illius acies , vt rectè arguit Richardus à S. Vict. cap. 17. de contempl. Tum ex ſimplicitate. *Si autem*, ait , *nihil te ſimplicius, nihil ergo eſt te ſubtilius; & quo nihil ſubtilius, nihil profundius , & profundiſſimo nihil inſcrutabilius , atque adeo nihil incomprehenſibilius.* Tum ex immenſitate. *Eſſentialiter ergo es intra omnia , extra omnia,, infra omnia , ſupra omnia. Si intra omnia, nihil te ſecretius; ſi extra omnia, nihil te remotius; ſi infra omnia, nihil te occultius; ſi ſupra omnia , nihil te ſublimius. Quid ergo te incomprehenſibilius, quo nihil infinitius , vel remotius , nihil occultius, nihil ſublimius ? Si in omni loco es, nihil te præſentius : ſi extra omnem locum, nihil te abſentius. Sed ſi abſentiſſimo nihil præſentius , & præſentiſſimo nihil eſt abſentius , quid te mirabilius , quid incomprehenſibilius ?* Tum ex eſſentia ſimplici & fœcunda. *Quantùm ad eſſentiam , nihil te ſimplicius; quantùm ad efficaciam, nihil te multiplicius , nihil te incomprehenſibilius.* Hæc ratio ſi valet , probat, etiam ſi daretur creatura infinita , ne quidem Deum comprehenſuram. Jure itaque S. Hilarius lib. 12. de Trinit. column. penult. Patrem ſic alloquitur : *Nulla te niſi res tua penetrat ; nec profundum majeſtatis tuæ peregrina atque aliena à te virtutis cauſa metitur. Tuum eſt quidquid te init : nec alienum à te eſt , quidquid virtute ſcrutantis ineſt.* Ratio eſt , quia cognitio Dei comprehenſiva requirit eſſentialiter ſupremum gradum evidentiæ, certitudinis & firmitatis. Dixi Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato, non divino. Nam ſit

II. Assertio. Deus ſe perfectiſſimè comprehendit. Probatur 1. ex Auguſtino, qui lib. 12. de Civit. cap. 10. ait infinitum infinito quaſi finitum eſſe, quia ipſi ita commenſum, vt per adæquationem comprehendentis, non per incluſionem comprehenſi & exuperantiam comprehendentis comprehendatur. Deinde accedit ratio jam propoſita, quia intellectus divinus eſt ejuſdem omnino puritatis intentionalis cum eſſentia & perfectionibus divinis quippe qui ſit in eodem gradu immaterialitatis: ergo Deus ſe perfectiſſimè comprehendit.

Ex dictis tria inferuntur. 1. Nullum ex beatis eſſe, qui Deum perfectè comprehendat, ne quidem Chriſtum hominem excipio. Vident quidem Deum totum beati, & quidem ſicuti eſt; ſed non vident totum totaliter & adæquatè. Nec refert, quòd Deus realiter ſimpliciſſimus ſit; poteſt enim beatum latere, & verò latet videntem amplitudo virtualis Dei ipſius viſi, quæ eſt ſimpliciter infinita in genere entis; adeóque non poteſt comprehendi à cognitione finita. Ut enim qui videt albedinem, non ideo videt dependentiam ejuſdem albedinis à Deo, licèt re idem ſit cum albedine, aut dependentiam à ſubjecto: ita qui Deum ſimplicem videt, non ideo videt quidquid in eo cognoſcibile eſt, ita vt nulla ejus ratio ipſum lateat. Quî enim poſſit actualis infinitas velut extenſiva & multitudo virtualis attributorum tota diſtinctè & adæquatè cognitione finita percipi? Itaque Deum beati cognoſcunt inadæquatè tum notitia abſoluta, qua Deum cognoſcunt in ſe ſine habitudine ad creaturas: tum notitia comparativa & relata ad crea-

turas exiſtentes aut poſſibiles. Nec enim vident adæquatè & diſtinctè diffuſionem divinæ immenſitatis, ſeu omnipotentiam Dei, vt eſt productrix omnium locorum, notitiam quam Deus habet de ſe ipſo, & amorem quo ſe amat. Non vident quoque omnia Dei decreta, nec omnes notitias Dei contingentes, nec habitudines potentiæ, voluntatis & ſcientiæ divinæ ad poſſibilia omnia: vnde beati dicuntur tantùm comprehenſores Dei, quòd apprehenſores ſint ſummi boni, & palmam meritis ſuis debitam jam conſecuti ſint, vt jam obſervavi.

II. Ne quidem divinitus poteſt dari vlla creatura, quæ poſſit Deum perfectè comprehendere. Ratio eſt quia nulla poteſt dari creatura tam perfecta, ijvt poſſit intellectus ejus ſua immaterialitate Dei immaterialitatem adæquare; ne vlla quidem quæ poſſit eſſe infinita. Hinc patet, 1. Anomæos turpiter erraſſe, dum jactarunt, ſe etiam in hac vita Deum comprehendere, cùm ne quidem in altera vita poſſit ab vlla natura intelligente recta, quantumvis elevata, perfectè comprehendi. Patet 2. quàm rectè dictum ſit à Gregorio Magno lib. 10. Moral. cap. 7. *Angelica vel humana mens, cùm ad incircumſcriptum lumen inhiat, eo ipſo quo eſt creatura, coanguſtat.* Ab Auguſtino ſerm. 38. *Si comprehendis, non eſt Deus*, &c. *Attingere aliquantùm mente Deum magna beatitudo eſt, comprehendere autem omnino impoſſibile*, alteri nempe, quàm ipſi Deo.

III. Summa humanæ mentis demiſſio ex inſufficientia quam habet ad Deum comprehendendum, tanquam tributum divinæ incomprehenſibilitati pendi debet; maxima item admi-

ratio etiam in beatis ex iis, quæ latent ipſos, orta. Nos denique in via gratulari Deo jugiter debemus, quòd vim intelligentiæ noſtræ ſua infinitate adeo longè ſuperet, ſibique ſoli quantus eſt, notus ſit, vt ait Minut. Felix in Octavio, clamandumque identidem cum Apoſtolo. Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus*, &c.

§. II. *De inviſibilitate Dei.*

I. OBSERVATIO. INVISIBILITAS Dei poteſt ſpectari vel per ordinem ad ſenſum, vel per ordinem ad intellectum. Quare hîc examinandum primò, an Deus ſit inviſibilis, deinde an poſſit videri oculo corporeo, tum an mente, ſi non naturaliter, ſaltem divinitus. Poſtremò variæ quæſtiones circa viſionem Dei intuitivam breviter ſolvendæ.

I. ASSERTIO. Deus eſt aliquomodo inviſibilis. Probatur ex D. Paulo 1. ad Timoth. 1. *Rex immortalis & inviſibilis.* Ex Joan. 1. & 14. *Deum nemo vidit vnquam.* At quomodo inviſibilis eſt?

II. ASSERTIO. Deus non poteſt videri naturaliter oculo corporeo. Hæc aſſertio eſt contra eos hæreticos, qui Deum corporeum finxere; adeóque oculis corporis viſibilem & quidem naturaliter contenderunt.

Probatur: tum quia Deus eſt purus ſpiritus; aliter non eſſet ens, quo nihil melius cogitari poſſet. Spiritus enim eſt aliquid melius & præſtantius corpore, qua perfectione Deus careret, & ita non eſſet ens ſimpliciter, hoc eſt, ſine

omni non ente: tum quia ex 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, &c.* tum quia ex D. Athanaſ. ad Liberium, Deus inviſibilis & intactibilis, eo quòd Deus ſit ſpiritus. At ſpiritum inter & oculum corporeum non eſt nativa proportio in ratione objecti & potentiæ, vt per ſe patet.

III. Assertio. Deus non poteſt etiam divinitus videri oculo corporeo.

Probatur poſitis duobus principiis. Primum ſit: Nulla potentia poteſt ferri extra objecti ſui rationem formalem, tum quia potentia cognoſcens debet habere formalem proportionem cum actu cognitionis, & eo mediante, cum objecto cognoſcibili in eodem genere proximo vitæ. Ratio eſt, quia potentia cognoſcens non tantùm producit & recipit cognitionem, ſed etiam percipit objectum, mediante rei notitia tanquam imagine illius: at non poteſt potentia percipere objectum mediante cognitione, tanquam imagine illius, ſi abſit formalis proportio in eodem proximo genere vitæ, cum ipſa cognitione, quia imago non confert effectum ſuum formalem repræſentandi, niſi ſubjecto idoneo & proportionato; alioqui viſio recepta in lapide faceret eum videntem, & auditio recepta in oculo redderet audientem.

Secundum: Deus vtpote purus ſpiritus & ens intelligibile, eſt extra ſphæram potentiæ cujuſlibet ſenſitivæ; & quidem multò magis quàm ratio colorati extra ſphæram potentiæ auditivæ, tum quia objectum ſpirituale non poteſt exprimi cognitione ſenſitiva, quæ eſſentialiter exigit ſpecificari ab aliqua ratione ſenſibili: tum

quia potentiam corpoream de ſe vniverſalem & capacem objectorum ſpiritualium fingere, eſt confundere intellectum cum ſenſu, & includere omnem viam ad diſtinguendum intellectum à ſenſu, vt rectè obſervat Suares Granat. Hinc

Sic arguo: nulla potentia cognoſcens, quæ caret proportione formali cum actu cognitionis, & eo mediante cum objecto cognoſcibili in eodem genere proximo vitæ, poteſt ferri in illud objectum etiam divinitus: oculus corporeus nullam habere poteſt proportionem formalem cum actu intellectionis, & eo mediante cum Deo in genere proximo vitæ intellectualis: ergo oculus corporeus non poteſt Deum videre etiam divinitus. Minor patet ex primo & ſecundo principio. Major probatur, quia implicat Deum extrinſecè ſupplere proportionem illam formalem potentia immutata: quia illa proportio non diſtinguitur ab ipſa potentia.

Confirmatur 1. Potentia vegetans non poteſt per actum vitæ ſentientis percipere objectum ſenſibile: ergo nec potentia ſenſitiva per actum vitæ intellectivæ percipere objectum intelligibile: eadem quippe proportio, immo & major inter vitam vegetantem & actum vitæ ſenſitivæ, quàm inter vitam ſenſitivam & actum vitæ intellectivæ. 2. Nulla ſubſtantia materialis poteſt per potentiam ſpiritualem objectum ſpirituale percipere: ergo nec potentia materialis valet per actum ſpiritualem objectum ſpirituale percipere; quia ita ſe habet potentia ad actum & objectum, ſicut ſubſtantia ad potentiam. Jure igitur Cyprianus lib. de idolor. vanit. de Deo ſic loquitur: *Nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec*

comprehendi, tactu purior eſt: neque æſtimari, ſenſu major eſt; ideo ſic tunc dignè æſtimamus, cùm ineſtimabilem dicimus.

Objicies 1. Deus cùm ſit omnipotens, poteſt elevare quamcumque creaturam ad producendum quemlibet effectum: ergo Deus poteſt ſua virtute divina oculum corporeum ad ſe videndum elevare.

Reſp. nego antecedens. Niſi enim ſit vis quædam naturaliter inchoata in ſubjecto elevabili, non poteſt à Deo elevari: at nulla eſt vis naturaliter inchoata in potentia materiali ad videndum objectum ſpirituale, quod eſt penitus extra ſphæram illius.

Inſtabis 1. Intellectus humanus poteſt elevari ad videndum Deum: ergo & oculus corporeus.

Reſp. diſparem rationem eſſe, quòd intellectus habeat vim inchoatam videndi intuitivè Dei, quia ens ſpiritale eſt intra naturalem illius latitudinem: at eſt ſupra latitudinem naturalem oculi corporei. Certè cùm elevatur intellectus ad videndum Deum, non elevatur per actum alterius vitæ, quàm ſit objectum repræſentabile: vt enim Deus ſe ipſum intelligit per actum vitæ intellectivæ, ita beati ipſum vident intuitivè per actum ejuſdem vitæ intellectivæ; ideóque non extrahitur extra ſphæram ſuam intellectus hominis beati, cùm ad videndum Deum attollitur: nec ipſa ſupernaturalitas actus extrahit actum aut potentiam ab eodem genere vitæ intellectivæ; quia & vita naturalis & ſupernaturalis ſunt in eodem proximo genere vitæ intellectivæ, qua nulla datur alia ſuperior. Hæc eſt doctrina D. Thomæ 1. contra gent. c.54.

docentis objectum cum potentia ita poſſe comparari, vt ei adæquatè commenſuretur, ita ens naturali intellectui creato commenſum eſt: vel vt diſparatum ſit, prorſuſque extra ſphæram potentiæ, vt viſibile ad auditum, qui rationem formalem viſus nullatenus attingit: vel vt excedens, ſed intra rationem formalem objecti; ſic Deus in ſeipſo quidem viſibilis, ad intellectum creatum ſe habet: vnde Deus in ſeipſo viſibilis, eſt ſupra objectum naturale intellectus creati, non tamen extra; objectum autem ſpirituale eſt extra vim potentiæ corporatæ.

Inſtabis 3. Magis intellectus creatus diſtat à Deo actu puro, quàm potentia corporata à quocumque objecto ſpirituali creato: ergo ſi potentia corporata non poteſt attingere objectum ſpirituale creatum, nec etiam poterit intellectus videre Deum.

Reſp. diſt. ant. Magis intellectus creatus diſtat à Deo, in ratione entis & perfectionis eſſentialis, concedo: in ratione potentiæ & objecti nego ant. & conſequentiam; Deus enim in ratione intelligibilis continetur intra ſphæram intellectus creati.

Objicies 2. Aqua in baptiſmo elevatur à Deo ad producendam gratiam, quamvis proportionem tantùm habeat cum ea in ratione entis: ergo à pari oculus poteſt elevari ad videndum Deum, quamvis proportionem tantùm habeat in ratione cognoſcentis. Reſp. 1. juxta multos Theologos aquam concurrere tantùm moraliter, non phyſicè, ad productionem gratiæ ſanctificantis. Reſp. 2. nego paritatem, quia virtus incompleta aquæ ad producendam gratiam com-

pleri poteſt per vberiorem concurſum extrinſecum, vel connaturaliùs per qualitatem productam à Deo. At vis incompleta oculi ad videndum, nec per concurſum vberiorem extrinſecum compleri poteſt, quia debet compleri in genere cauſæ formalis; nec per qualitatem ſupernaturalem in ſe receptam, quia per qualitatem quæ vitalis non ſit, natura intelligens objectum percipere nequit.

Inſtabis lumen gloriæ, licèt non ſit qualitas vitalis, complet vim perceptivam intellectus: ergo qualitas ſuperaddita poteſt complere potentiam cognoſcentem, licèt vitalis non ſit.

Reſp. nego ant. ſed complet duntaxat vim intellectus beati, vt eſt productrix viſionis ipſius. Sed de inviſibilitate Dei relata ad ſenſus ſatis; jam de inviſibilitate Dei relata ad intellectum duo examinanda. Primum, an beati videant Deum intuitivè; ſecundum, an poſſit probari ratione naturali viſionis intuitivæ poſſibilitas.

IV. Assertio. Deus videtur à beatis in ſeipſo ſeu intuitivè. Hæc aſſertio eſt de fide, cujus proinde oppoſitam D. Thomas q. 8. de verit. a. 1. hæreticam jure appellat. Probatur 1. auctoritate Scripturæ. Joan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Age porrò. Quid eſt videre *ſicuti eſt*, niſi intueri Deum in propria natura? Quid *facie ad faciem*, quàm nullo intercepto velamine creato Dei eſſentiam cernere? Scripturæ conſentiunt Concilia & Patres. Nam Concilium Florentinum definit in litteris

litteris vnionis, beatas animas Deum trinum & vnum clarè intueri, ſicuti eſt; & errorem Armenorum damnat, qui pugnabant angelos & beatos videre dumtaxat lucem quandam ex divina ſubſtantia fluentem, ſicut ſolem in ſuo ſplendore cernimus. Auguſtinus epiſt. 112. de videndo Deo cap. 14. idem dogma inculcat. *Si quæris,* inquit, *vtrum poſſit Deus videri; reſp. Poteſt. Si quæris vnde ſciam; reſp. Quia in veraciſſima Scriptura legitur:* Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Si quæris etiam, ſicuti eſt, poſſit aliquando videri; reſp. Filiis hoc eſſe promiſſum, de quibus dictum eſt:* Scimus quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus ſicuti eſt. Gregor. 18. Moral. cap. 38. Hilarius & alii. Hinc

Cùm in Scripturis Deus dicitur inviſibilis, vt Exodi 33. non *videbit me homo & vivet.* Et Joan. 1. *Nemo Deum vidit vnquam.* Item cùm SS. Patres, præſertim D. Chryſoſtomus, & D. Hieronymus, quos citat Suares, videntur contra Anomæos, qui ita ſe Deum in hac vita noſſe contendebant, ſicut Deus ſeipſùm, Dei inviſibilitatem tueri; vel intelligendi ſunt de viſione corporea, vt D. Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 1. & de verit. quæſt. 8. art. 1. quæ poſtrema ſolutio eſt ad mentem D. Chryſoſtomi, vt innuit ipſe homil. 2. de incomprehenſibilis Dei natura, his verbis: *Quod nemo vnquam dicere auſus eſt, ipſe ſe ita Deum noſſe, quemadmodum Deus ſe ipſe novit, aſſerunt.* Denique ipſe Auguſtinus Scripturam, cùm ait Deum à nemine viſum, intelligendam monet de hominibus, quorum nemo ante Chriſtum à mortuis excitatum in propria

ſubſtantia vidit; non autem de angelis, *qui ſemper vident faciem Patris*, ex Matthæi c. 18. Porro argumentum, quod ex eo petitur, quòd Deus ſit extra ſphæram intellectus creati, ſicut eſt extra ſphæram oculi, vt viſionis Dei intuitivæ impoſſibilitas aſtruatur, jam ſolutum eſt.

V. ASSERTIO. Nulla ratio naturalis viſionis beatæ poſſibilitatem certò & evidenter demonſtrat, quamvis non deſint, quæ fide ſuppoſita, probabiliter eam ſuadeant.

Probatur prima pars. 1. Quia nulla eſt ratio, quæ certò & evidenter demonſtret, Deum in ſeipſo viſibilem, contineri intra objectum intellectus creati, quod tamen demonſtrandum eſſet. Certè debet eſſe proportio ex D. Thom. 1. part. quæſt. 12. art. 14. inter potentiam & objectum, & quidem naturaliter, quia cognitum debet eſſe in cognoſcente juxta modum ipſius cognoſcentis; hinc ſenſus non poteſt elevari ad objectum abſtractum à materia individuali: aliunde nullo certo argumento conſtat potentiam vitalem quà vitalis eſt, extra ſuum naturalem modum operandi elevari poſſe: ergo nulla ratione naturali evincitur, Deum ab intellectu creato in ſeipſo clarè & intuitivè videri, vt rectè arguit Amicus. 2. Denique ſi quæ ratio probaret evidenter Deum à nobis intuitivè videri poſſe, maximè appetitus, quem à natura inſitum haberemus ad viſionem Dei: at nullus nobis à natura inſitus appetitus ad viſionem Dei, tum quia viſio Dei nobis naturaliter deberetur: tum quia non poteſt dari potentia naturalis ad actum ſupernaturalem, cujuſmodi eſt viſio Dei. Ut enim actus naturalis non poteſt per ſe primò ordinari ad actum ſu-

pernaturalem, ita nec potentia naturalis ordinari per ſe primò poteſt ad actum ſupernaturalem: tum quia natura nunquam inclinat in finem, quin etiam inclinet ad media ei comparando idonea: natura non nos inclinat ad bona gratiæ, quibus beatitudinem aſſequamur: ergo nec ad ipſam beatitudinem.

Probatur ſecunda pars: tum quia deſideria quæ per genus humanum vniverſim ſparguntur, modò nulli rationi cognitæ repugnent, jure à Deo quaſi indita præſumuntur, adeóque vera: tum quia conſtat, intellectum creatum eſſe capacem alicujus cognitionis intuitivæ: tum quia perſuaſum id habent omnes, Deum ſua virtute infinita poſſe naturam intelligentem corroborare, & ſupra id quod poteſt, attoliere: tum quia evidens eſt, Deum abſolutè eſſe viſibilem, ſaltem ſibi. Quis enim credat Deum ſe ipſum neſcire? adeóque viſio creata Dei non repugnat ex viſione vniverſim ſpectata, nec vlla ex parte viſionis intuitivæ Dei, vt talis eſt, vlla eſt implicantia.

§. III. *Diluuntur objecta.*

QUÆDAM argumenta pugnant viſionem Dei intuitivam reſpectu naturæ creatæ intelligentis, omnino eſſe impoſſibilem: quædam illius exiſtentiam in ſpeciem oſtenſivè demonſtrant; ſingulis ordine ſatisfacio.

Objicies 1. Inter objectum & potentiam debet eſſe proportio: inter Deum & intellectum non eſt proportio: ergo Deus non poteſt videri ab intellectu creato. Minor probatur: Deus eſt in-

ſinitus, intellectus creatus finitus: finiti ad infinitum nulla eſt proportio: ergo nulla eſt proportio inter Deum & intellectum creatum.

Reſpond. diſtinguo majorem: debet eſſe proportio habitudinis, ſeu geometrica, concedo; æqualitatis, ſeu arithmetica, & in ratione entis, nego. Porrò proportio habitudinis in eo ſita eſt, vt objectum ſit cognoſcibile, & potentia quæ ipſum attingit, ſit cognoſcens, qualis Deum inter & intellectum creatum reperitur. Et verò ſi proportio æqualitatis & entitativa requireretur, Deus infinitus cùm ſit, ne quidem poſſet cognoſcere objectum finitum.

Inſtabis 1. Ut Deus videatur ab intellectu creato, debet videri ejuſdem infinitudo: non poteſt videri Dei infinitudo, niſi ab intellectu infinito, qualis non eſt intellectus creatus, nec eſſe poteſt: ergo, &c.

Reſpond. diſting. minorem: vt Deus videatur comprehenſivè, concedo min. vt videatur intuitivè, nego minorem, & diſtinguo conſequens: non poteſt videri Dei infinitudo comprehenſivè ab intellectu finito, concedo conſ. intuitivè, nego conſequens: ſolutio patet ex dictis §. 1. hujus articuli. Nam vt videatur infinitudo Dei inadæquatè, non eſt neceſſe vt comprehendatur, ſed ſufficit viſio Dei clara & immediata.

Inſtabis 2. ens infinitè perfectum non poteſt videri niſi viſione infinita: Deus eſt ens infinitè perfectum: ergo, &c.

Reſpond. nego majorem. Perfectio enim viſionis ſeu cognitionis non ſemper objecti perfectioni proportione arithmetica ſeu commenſurationis & æqualitatis, reſpondet; ſed ſatis eſt, ſi

reſpondeat proportione geometrica ſeu habitudinis.

Objicies 2. Saltem viſio Dei intuitiva in ſe naturalis foret quoad ſubſtantiam, quia vt talis, fieret ab intellectu creato tanquam à principio vitali naturali.

Reſp. viſionem Dei non eſſe naturalem, quia non fit ab intellectu naturaliter operante per vires ſibi à natura inditas, ſed vt operante ſupernaturaliter & per lumen gloriæ elevato; exit quippe viſio intuitiva ab intellectu vt eſt potentia obedientialis per lumen gloriæ corroborata & quaſi completa, prout eſt actus ſupernaturalis, licèt vt vitalis ab intellectu procedat vt à principio naturali.

Objicies 3. Appetitus cuilibet enti innatus ad aliquid, probat evidenter illius poſſibilitatem: homini & angelo innatus eſt appetitus viſionis intuitivæ Dei: ergo probat evidenter poſſibilitatem viſionis Dei intuitivæ. Ratio majoris eſt, quòd appetitus innatus, vt dicatur propriè eſſe naturalis, debeat verſari circa bonum naturaliter poſſibile: nam ſi ſit circa bonum, quod tantùm ſupernaturaliter poſſibile ſit, non naturalis, ſed obedientialis dici debet. Minor probatur: homo naturaliter appetit, cognito & viſo effectu, videre & cognoſcere cauſam: ergo viſis effectibus, qui hoc orbe continentur, naturaliter deſiderat eorum auctorem, nempe Deum, videre.

Reſp. 1. huic argumento, cujus vim exeruimus 1. part. Eth. vniverſ. diſp. 3. art. 2. §. 1. vtcunque à me ſatisfactum. Reſp. 2. data majore, nego minorem, & dico appetitum Dei cla-

rè videndi non tam innatum, quàm obedientialem eſſe, quia vt compleatur, eget auxilio Dei ſupernaturaliter agentis, & per lumen gloriæ nativam intellectus creati imbecillitatem corroborantis: aut certè ſi appetimus videre Deum, appetimus appetitu elicito, non innato, qui etiam ferri poteſt in impoſſibilia, ſi inefficax ſit, & qui dicitur naturalis, quòd vnis naturæ viribus eliciatur, quamvis non ſit de bono naturaliter poſſibili; quo etiam ſenſu naturalis appetitus elicitus dici poteſt: at appetitus elicitus, quo Deum videre cupimus, viſis effectis creatis, licèt naturalis ſit primo ſenſu, quia ſicut effecta illa videre poſſumus per vires naturales, ita & per eaſdem poſſumus appetere videre tot effectorum mirabilium artificem; non eſt tamen ſecundo ſenſu naturalis, quia fides docet viſionem intuitivam Dei non eſſe naturaliter poſſibilem.

Inſtabis: homo eſt naturaliter imago & ſimilitudo Dei: imago & ſimilitudo Dei naturalem inclinationem habet ad Deum videndum, quia ſimile naturaliter appetit ſuum ſimile, deinde appetitus hominis in vno Deo quieſcere poteſt.

Reſp. diſt. homo eſt imago Dei analoga, conc. vnivoca, nego; at imago analoga, vtpote imperfecta, non poteſt fundare appetitum naturalem videndi exemplaris. Ad probat. diſt. in vno Deo appetitus hominis quieſcere poteſt, intuitivè tantum cognito, nego; vel abſtractivè vel intuitivè cognito, concedo. Sic in pura natura per cognitionem Dei abſtractivam ſatiari poſſet ille appetitus.

Objicies 4. Ineſt creaturæ rationali potentia

paſſiva ad Dei viſionem ; ergo anima ſeparata, cùm intuitivè cognoſcat potentias ſuas naturales, vtique capacitatem videndi Dei ſeu ordinabilitatem ſuam ad finem vltimum clarè cognoſcit.

Reſp. potentiam paſſivam ſeu ordinabilitatem quam habemus ad viſionem Dei intuitivam, non naturalem eſſe, ſed obedientialem. Porrò clarè & intuitivè videt anima rationalis ſeparata facultates naturales, non autem obedientialem, niſi confusè; aut certè ſi cognoſcit ex fide ſe ordinatam ad finem ſupernaturalem, naturale ipſi eſt in illum ferri actu elicito, ſaltem inefficaci.

Patet ex dictis, argumenta quæ viſionis intuitivæ Dei exiſtentiam probant, nonniſi veriſimilitudinem habere, adeoque certò & evidenter non concludere.

§. IV. *An Deus ſit ineffabilis & innominabilis.*

STATUS quæſtionis duplex eſt : primus, an Deus ſit omnino ineffabilis; ſecundus, an aliquod nomen ipſi à viatoribus aut à beatis imponi poſſit, quod ipſum quidditativè repræſentet.

Certum eſt 1. Deum eſſe aliquomodo ineffabilem, immo & de fide, vtpote definitum in Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter. de ſumma Trinit. Vnus eſt Deus, æternus, immenſus, omnipotens, immutabilis, incomprehenſibilis & ineffabilis.* Concilio Patres ſuffragantur, Auguſtinus in

Pſalm. 85. Deus eſt ineffabilis, faciliùs dicimus, quid non ſit, quàm quid ſit. Quæris quid ſit, &c. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris vt aſcendat in linguam, quod in cor hominis non aſcendit. Nazianz. in orat. 9. quæ eſt de fide: *Hoc eſt Deus, quod cùm dicitur, non poteſt dici.* Patribus præivere Platonici, qui Deum ἄῤῥητον, *ineffabilem* dixere. Maximus de ſummo Deo Platonico loquens, ait divinum numen oculis minimè aſpectabile. Plotinus verò *reipſa ineffabilem, neque nomen vllum habere* pugnat, nempe quod illius naturam perfectè ſignificet. Ratio eſt, quòd ſermo ſit imago conceptus: at Deus nullo conceptu interno perfectè comprehendi poteſt: ergo nec oratione perfectè exprimi; ſermo quippe verbum internum ſeu conceptum nunquam perfectè imitatur, ſicut nec ars naturam & pictura exemplar ſuum. Hinc Proclus lib. de cauſis pronuntiat: *Cauſa prima ſuperior eſt omni narratione; & ideo deficiunt linguæ à narratione ejus, quia ipſe eſt ſuper omnem cauſam.*

Certum tamen eſt Deum aliquomodo effabilem eſſe, hoc eſt, nos de ipſo loqui poſſe. Ratio eſt, quia quo pacto Deum concipimus, ita & de illo fari poſſumus: quia nomen & locutio externa, vtpote ſignum rei conceptæ, conceptum rei ſequitur: at Deum concipimus, ſaltem imperfectè, vt ens à ſe, primam cauſam, vltimum finem, &c. ergo de eo loqui poſſumus, immo & debemus. Sed quæritur hîc an à viatoribus aut comprehenſoribus nomen Deo imponi poſſit, quod ipſum quidditativè & diſtinctè ſi-

cuti eſt, repræſentet. Hanc quæſtionem ſolvent ſequentia pronunciata, quorum ſit.

I. Pronunt. Deus nomen ſibi imponere poteſt, qui ipſius naturam perfectiſſimè exprimat; adeóque non eſt ſibi ineffabilis. Patet hujus pronunciati veritas. Ut enim ſe ipſum perfectiſſimè comprehendit, ita ſeipſum exprimit adæquatè per verbum ſuum, ac proinde poteſt ſibi nomen imponere, quo quidquid eſt, ſibimetipſi ſignificet.

II. Nullum Deo nomen à creaturis imponi poteſt, quod comprehenſivam illius cognitionem vlli naturæ intelligenti creatæ, ſive ſit in via, ſive in termino, ingeneret. Ratio eſt, quòd à nulla creatura perfectè comprehendi poſſit, vt jam oſtendimus. Res enim eo modo nominari poteſt, quo eſt cognoſcibilis: ergo ſi Deus non poteſt cognoſci à viatore aut beato comprehenſivè, nec poteſt etiam ſignificari eo nomine, quod integram perfectamque Dei notitiam homini aut angelo imprimat. Et verò neque per cauſam, neque per ſeipſum, neque per effectum ab vllo intellectu creato perfectè cognoſci poteſt, quantùm eſt cognoſcibilis. Non per cauſam, quia Deus eſt prima cauſa & primum purumque lumen, quod illuminat omnia, & à nullo illuminatur. Non per ſe ipſum in via aut in patria; non in via, quia ne quidem à viatore cognoſcitur intuitivè, ſed abſtractivè tantùm: ergo multò minùs comprehenſivè; nón in patria, quamvis enim intellectus angelicus aut humanus infinitam Dei eſſentiam cognoſcat, non tamen cognoſcit infinitè, hoc eſt, omnes infinitatis modos, habitudines, terminos attingendo,

vel *circumſpiciendo fines omnes*, vt loquitur Auguſtinus. Non denique per effectum, quia cauſa ſuperior ſuo effectu, non poteſt per ipſum comprehendi. Meritò itaque pronuntiat Proclus, cauſam primam eſſe ſuperiorem omni narratione, quia ipſa eſt ſuper omnem cauſam.

III. Nullum nomen poteſt Deo à viatoribus imponi, quod ex vi ſuæ inſtitutionis eſſentiam illius ſicuti eſt, exprimere valeat aliis viatoribus. Cùm enim nomina ſint ſymbola, quibus ad exprimendas res, mediantibus animi conceptibus vtimur, vtique imponi non poſſunt ad eas res ſignificandas, quas non percipiunt ii qui debent nominibus vti: at homines quandiu in via ſunt, non cognoſcunt Deum quidditativè & ſicuti eſt, ſed valdè imperfectè: ergo non poteſt Deo nomen à viatoribus imponi, quod ex vi ſuæ inſtitutionis eſſentiam illius ſicuti eſt, aliis viatoribus exprimere valeat.

IV. Probabiliter nullum nomen Deo à viatoribus imponi poteſt, quod ex vi ſuæ inſtitutionis eſſentiam Dei, ſicuti eſt, beatis diſtinctè ſignificet. Ita D. Thomas. Ratio eſt, quòd duo requirantur ad exprimendam rei eſſentiam vt in ſe eſt. 1. Cognitio rei ſicuti eſt, in ipſo nomenclatore; voces enim ideo imponimus, vt & loco rerum & conceptuum formalium ſufficiamus. Voces quippe ex Ariſtotele lib. de interpr. cap. 1. *notæ ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionum.* 2. Facultas rei intelligendæ in iis, quorum reſpectu nomen inditur, vt illis rem ſignificet, ſicuti eſt in conceptu loquentis; at quamvis beati Deum cognoſcant ſicuti eſt, tamen in homine viatore non eſt cognitio Dei ſicuti eſt; cog-

noſcit enim tantùm Deum impropriè, confuſè & analogicè.

Nec dicas cum Vaſque, ſignificationem nominis non ex eo æſtimandam eſſe, qui nomen imponit, aut eo vtitur, ſed ex eo qui audit & intelligit conceptum loquentis, adeóque poſſe à viatoribus nomen proferri, quo beatis qui Deum intuitivè vident, Deus quidditativè intuitivè ſignificetur. Nam 1. communis vſus obtinet in nomenclatione rerum, vt numquam vi impoſitionis res meliùs intelligatur, quàm imponenti per ſe ſit nota, vel certè per eos, quibus vtitur ad nomen imponendum, quamvis aliunde meliùs intelligi poſſit ob majorem intelligendi vim aut aliam ob cauſam, vt rectè obſervat Pater Martinon: vnde fit vt angeli auditis vocibus, quas de rebus ſpiritalibus formamus, meliùs eas intelligant, quàm ipſi nomenclatores. 2. Quia poſſet etiam à creaturis nomen Deo imponi, quod ipſum ſibimet comprehenſivè ſignificaret, adeóque Deum non eſſe creaturis ſimpliciter ineffabilem.

v. Beati Deo nomen imponere poſſunt, quod ipſum propriè & quidditativè ſignificet reſpectu ſui ipſorum, non reſpectu viatorum. Patet prima pars pronuntiati: quia beati proprium & quidditativum Dei conceptum habent: ergo poſſunt nomen illi imponere, quo audito in cognitionem illius conceptus ſocios beatitudinis ſuæ deducere poſſint.

vi. Difficillimum nomen proprium Deo imponere. Hoc pronuntiatum eſt omnium SS. Patrum & veterum Philoſophorum. Ratio non vna ab illis affertur. Plotinus hanc affert, quòd nomen certa ſit quædam rei definitio; Deus autem

nullo in certo rerum genere conſiſtat. Hanc profert Philo Judæus, quòd natura Dei ſit eſſe, non dici, aitque ne cælum quidem vniverſum, ſi in articulatam vocem verteretur, idonea & congrua vocabula reperturum. Novatianus lib. de Trinit. cap. 4. hanc ſufficit, quòd non poſſit concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ ſuæ conditione comprehenditur. Nomen enim ſignificantia eſt ejus rei, quæ comprehendi poteſt ex nomine. At quando id de quo agitur, tale eſt, vt condignè nec ipſis intellectibus colligatur, quomodo appellationis dignè vocabulo pronuntiabitur? Denique Lactantius ex ſingularitate divini eſſe inanitatem nominis proprii ſic colligit. Deo igitur nomen non eſt, quia ſolus eſt, nec opus eſt proprio vocabulo, niſi cùm diſcrimen exigit multitudo, vt vnam quamque perſonam ſuâ notâ & appellatione deſignes. Deo autem quia ſemper vnus eſt, proprium nomen eſt Deus.

VII. Quamvis nullum à nobis Deo nomen imponi poſſit, quod ipſum vt in ſe eſt, quidditativè ſignificet, aut comprehenſivè; tamen ex effectis & communicatione ipſius Dei in res creatas multa & varia nomina homines impoſuere; hinc vocatur prima cauſa, creator mundi, finis vltimus rerum omnium, gubernator vniverſi.

VIII. Quæcunque nomina à viatoribus tribuuntur Deo, imperfectè tantùm & confuſè naturam divinam ſignificant: quia viatores imperfectè tantùm & confusè Dei naturam percipiunt. Porrò ex triplici capite nomina Dei ducimus: 1. ex ratione cauſalitatis nomina connotativa ducuntur, vt creator, gubernator, dominus, &c.

2. ex remotione alicujus imperfectionis nomina duplici quaſi conceptu conſtantia, poſitivo vno, & altero negativo ſeu imperfectionem excludente, eruuntur, vt aſeitas, illimitatio, infinitas, &c. 3. ex perfectione eminentiali ea derivantur nomina quæ ex creaturis ſumpta, Deo per quandam convenientiam in re ſignificata applicantur, vt ſapiens, bonus, juſtus, &c. At hæc nomina Deum non attingunt ſecundùm proprium conceptum ipſius Dei. Nam proprius conceptus non attingitur niſi immediatè vel per propriam ſpeciem, aut concurſum objectivum, vel mediatè per effectum adæquatum, & proprietatem ipſius, vt obſervat Amicus: at nullo ex his modo Deus à viatore cognoſci poteſt, ſed per alienum dumtaxat conceptum: ergo & nomina quæ ad Deum viatoribus ſignificandum imponuntur, cum tantùm ſignificant per alienum conceptum.

Multa ex dictis inferuntur. 1. Rectè Deus dicitur à Platone ἀνώνυμος, *nomine carens*, quia nullum eſt, quo comprehenſivè ſignificetur, & πολυώνυμος, *multa nomina habens*, quia quot ſunt Dei effecta ad extra, tot nomina fundare poſſunt. Hinc Auguſtinus tract. 13. in Joan. *Omnia poſſunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris congruum, non invenis: quæris quoquomodo dicere, omnia invenis.*

11. Nomina Dei, alia affirmantia, alia negantia, quædam abſoluta, alia relativa, & vtraque tam aientia, quàm negantia. Affirmantia Deo attribuunt quidpiam; negantia id quod indignum eſt ipſo, inficiando detrahunt; abſoluta Deum in ordine ad ſe exprimunt, ſuntque omnibus perſonis communia; relativa quarumdam

ex perſonis propria: neutra naturam Dei aut attributam Deo proprietatem perfectè exprimunt, vt patet ex 8. pronuntiato.

III. Cauſa cur genuinum & proprium nomen Deo imponere non poſſumus, eſt imperfectus noſter cognoſcendi modus; cognoſcimus enim Deum per creaturas tantùm & effectus inadæquatos.

IV. Jure dictum à Patribus Deum ſilentio magis à nobis coli, quàm verbis: quia ſilentium majeſtatem Dei quodammodo meliùs exprimit, quàm oratio. Quidquid enim de Deo dicimus; ſemper minus dicimus. Non diſplicet tamen ipſa qualiſcumque laus noſtra. Nam te decet, ô Domine, hymnus in Sion, inquit Pſaltes Pſal. 64. vt habet alia verſio, tibi ſilet hymnus in Sion. Quamvis enim laudationes noſtræ in immenſum excreſcant, nunquam tamen Dei majeſtatem exæquant; immò merito Dei longè inferiores, adeóque pro rudi ſilentio reputantur. Cave tamen à Dei laudatione vnquam ceſſes, ejúſve ſubſidio implorando, quem noſti tuæ indigentiæ ſolertiſſimum cognitorem, tuæ imbecillitatis certiſſimum præſidium, & in omnibus proſperis peræquè & adverſis vigilantiſſimum rectorem.

V. Deus ineffabilis viatoribus non tantùm verbis externis, ſed etiam internis, quia cùm careant lumine gloriæ, non poſſunt ſicuti eſt in ſe, ſibi repræſentare: item beatis ineffabilis, quia quamvis intuitivè ipſum videant, non tamen ipſum comprehendunt.

DISPUTATIO V.

De attributis affirmantibus & quaſi categoricis, præſertim de ſcientia.

HACTENUS de attributis negantibus & modalibus egimus, nunc de affirmantibus & quaſi categoricis agendum. Categorica vocant Theologi, quæ aliquid affine habent cum iis attributis quæ rebus creatis conveniunt, quatenus categoriis illigantur. Alia quippe reſpondent quantitati, vt immenſitas; alia durationi, vt æternitas; alia qualitati, vt ſcientia, juſtitia, &c. alia actioni & relationi. Nam paſſio, ſitus & habere, cùm affectiones ſint rerum prorſus mutabilium, excluduntur à Deo. Porro cùm de immenſitate & æternitate actum ſit ſuperiori diſputatione, & de relatione Dei ad creaturas tom. 1. Log. part. 3. diſp. 4. de relat. art. 4. §. 1. & 2. ſupereſt vt de attributis agamus, quæ qualitati aliquatenus affines ſunt, cujuſmodi ſunt ſcientia, ſanctitas, omnipotentia, &c. quorum alia ſequuntur intellectum, quædam voluntatem, nonnulla ſimul intellectum & voluntatem. De ſingulis ordine ſuo diſputabimus, ac primò de ſcientia quæremus, an in Deo ſit; 2. quid ſit, & qualis & quotuplex ſit; poſtremò de variis illius ſpeciebus.

Articulus I.

An ſit in Deo ſcientia, quid ſit, & quotuplex.

CUm ſcientia ſit de genere qualitatis, examinandum, 1. an ſit in Deo qualitas, deinde natura ſcientiæ divinæ diligentiùs inquirenda tum per ordinem ad ſubjectum, tum per ordinem ad objectum: demum partitio illius inſtituenda.

§. I. *An qualitas Deo inſit, & quæ ſpecies qualitatis Deo conveniant.*

I. Observatio. QUalitas definitur, accidens à quo ſubſtantia qualis ſimpliciter dicitur: ſic quærenti qualis ſit homo, reſpondetur, ſapiens, doctus, &c. Item diſpoſitio ſubſtantiæ, quia qualitatis eſt diſponere ſubſtantiam ad operationes rite obeundas.

II. Observatio. Qualitatis quadruplex ſpecies, habitus & diſpoſitio, potentia & impotentia, patibilis qualitas & paſſio, forma & figura. Rationem diviſionis attulimus tom. 1. Log. part. 3. diſp. 4. art. 2. §. 2.

I. Assertio. Nulla eſt in Deo qualitas inſtar accidentis inhærentis & realiter diſtincti. Probatur: quia nullum accidens ineſt Deo, quod Dei ſimplicitatem & immutabilitatem deſtruit: qualitas inhærens Deo & realiter diſtincta de-

ſtrueret Dei ſimplicitatem, quia reſultaret ex Deo tanquam ſubjecto, & ex qualitate tanquam forma, totum aliquod compoſitum; & immutabilitatem, quia qualitas poteſt abeſſe à ſubjecto, intendi & remitti: ergo nulla in Deo eſt qualitas inſtar accidentis inhærentis & realiter diſtincti.

II. Assertio. Nulla Deo convenit ſpecies qualitatis præter potentiam activam, eamque infinitam. Probatur: quia omnes aliæ ſpecies qualitatis præter potentiam activam, officiunt Dei ſimplicitati & immutabilitati. Et verò Deo non conveniunt habitus aut diſpoſitio, quia nulla eſt mobilis qualitas in Deo; identificat enim ſibi omnia ob ſummam ſimplicitatem & illimitationem: ergo nulla quæ ſit facilè mobilis, vt habitus. Non potentia paſſiva aut impotentia, quia vtraque dicit imperfectionem; prima quidem, quia deſtruit Dei ſimplicitatem; ſecunda verò, quia omnipotentiam perimit. Non paſſio & patibilis qualitas, quia ſi ſtrictè ſumuntur, ſunt affectiones corporeæ ſubſtantiæ, cujus ſenſus variè afficiunt; deinde quia invehunt alterationem in ſubjectum cui inſunt, quæ in Deum non cadit. Quòd ſi latiùs pro actione immanente ſumimus, poteſt dici eſſe in Deo actio, ſed ſubjecto ſuo identificata, adeóque omnis mutationis expers. Non forma & figura, quæ ſit vel terminus qualitatis, vel apta & congrua conformatio membrorum. Supereſt ergo vt potentia activa inſit Deo, eaque infinita, quia talis eſt potentia agentis, quale eſt ipſum agens: at Deus eſt agens infinitum: ergo potentia Dei activa eſt infinita. Hinc

In Deo datur vis ſeu facultas intelligendi, nonquidem ab actu ſecundo diſtincta, ſed quæ ſemper ſit in actu, licèt ſit à nobis propter æquivalentiam præſcindibilis. Certè Theologi docent eſſe aliquid in Deo, quod æquivaleat intellectui agenti & patienti, ſpeciei objectivæ & formali, ipſique lumini. Eſſentia quippe divina his omnibus æquivalet, eorumque fungitur officio. Quatenus proprietati Patris identificatur, dicitur mens ſeu intellectus agens; quatenus identificatur proprietati Filii, eſt lumen actuale de fonte paterni luminis erumpens; quatenus modificatur per proprietatem Patris, eſt objectum ſeu ſpecies objectiva; quatenus modificatur per proprietatem Filii, eſt ſpecies formalis ſeu Verbum; quatenus eſt communis vtrique perſonæ, & deinde tertiæ in vitali perceptione Verbi, eſt intellectus patiens. Sed hæc ad Theologos remittimus.

Colliges ex dictis, 1. dum Scriptura Deo tribuit habitum aut diſpoſitionem, id metaphorico ſenſu intelligendum eſſe reſpectu Dei, dicique tantùm propriè per ordinem ad actionem tranſeuntem. 2. Non eſſe in Deo potentiam peccandi, mentiendi & fallendi: quia ejuſmodi potentiæ ſunt potiùs impotentiæ in natura creata ſervandæ honeſtatis & rectitudinis, quàm veræ potentiæ. 3. Dum Verbum dicitur figura Patris, tunc ſumi pro imagine ſpirituali & concretionis experte. 4. Quæcumque Deo tribuuntur qualitates, nec eſſe vitioſas, nec indifferentes, ſed tantùm virtutes, quarum aliæ ſunt intellectus, vt ſcientia; aliæ voluntatis, vt bonitas; aliæ intellectus & voluntatis, vt providentia; aliæ tranſeunt extra Deum, vt omnipotentia, &c.

§. II. *An ſit in Deo ſcientia.*

OBSER-VATIO. DUM quærimus, an ſit in Deo ſcientia, non hîc ſcientiam cipimus, quæ ſit cognitio certa & evidens, ex æmiſſis diſcurſu formali deducta, ſed prout eſt gnitio rei certa & evidens, ſive eam per cau-m, ſive independenter à cauſa, ſive immedia- in ſe ipſa, ſive in alio tanquam in medio gnito objectum repræſentet. Ratio eſt, quia gnitio diſcurſu parta ſupponit ignorantiam, leóque imperfectionem includit. Deinde quia ſcurſus includit plures actus, alios ex aliis ap-s connexoſque, Dei autem ſcientia ſimpliciſ-ma, vt obſervat Auguſtinus lib. 2. ad Simplic. æſt. 2. in medio. *Cùm deſero de humana ſcien- mutabilitatem & tranſitus quoſdam à cogita-ne in cogitationem. Cùm ergo hac cuncta detra-ro, & reliquero ſolam vivacitatem certa atque concuſſa veritatis, vna atque æterna contempla-ne cuncta colluſtrantis: immo non reliquero, non im habet hac humana ſcientia; ſed pro viribus gitavero, inſinuatur mihi vtcumque ſcientia ei: quod tamen nomen, eò quòd ſciendo aliquid n latet hominem, potuit eſſe rei vtique com-une.*

II. OBSERVATIO. Quærere vtrum in Deo ſcientia, idem eſt ac quærere, vtrum ſit in-lligentia, ſapientia, prudentia & ars. Ratio t, quia hæc omnia quæ diſtinguuntur in no-is, idem ſunt realiter in Deo. Nam ſcientia ei dicitur intelligentia, quatenus perfectè intel-git, principia per ſe nota, & quidem immedia-

tè. Hinc Job 1. cap. 12. *Ipſe habet conſilium & intelligentiam.* Sapientia, quatenus judicat de omnibus ſecundùm altiſſimas & æternas cauſas, nempe ſuam eſſentiam, ſuas ideas ſuamque voluntatem. Ars, prout eſt recta ratio factibilium operum, quæ vel per ſeipſum immediatè, vel per cauſas ſecundas naturales aut liberas artificiosè facit, v. g. cùm dirigit apes in favis componendis, aut homines in artefactis. Prudentia, prout eſt recta ratio agibilium. Denique ſcientiæ nomen retinet, quatenus infinita evidentia & certitudine cognoſcit concluſiones de rebus inferioribus, & cognoſcit illas inferri ex inferioribus cauſis, licèt reſpectu divinæ ſcientiæ non ſint concluſiones, quia illas non infert ex principiis. His obſervatis ſit

I. Assertio. Datur in Deo ſcientia perfectiſſima. Probatur 1. ex Scriptura 1. Reg. 2. *Deus ſcientiarum dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* Eſther 4. *Domine, qui habes omnem ſcientiam.* Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Scripturæ accedit auctoritas Ariſtotelis lib. 10. Ethic. c. 88. *Vivere ipſos Deos univerſi putant, quare & operari. Non enim oportet illos, ut Endemionem aiunt, dormire. Viventi igitur ei, cui actio & multò magis affectio non tribuitur, quidnam aliud præter contemplationem reſtat? Quare Dei operatio præcellens beatitudine contemplativa ſine controverſia fuerit.* Id ipſum probat tum lib. 12. Metaph. cap. 9. tum lib. 7. Polit. cap. 3.

Probatur 2. ratione à priori. Subſtantia ſummè immaterialis eſt perfectiſſimè intelligens: Deus eſt ſubſtantia ſummè immaterialis: ergo Deus

t perfectiſſimè intelligens. Major probatur: materia eſt obex cognitionis, vt ipſa inductione atet. Ut enim quodlibet ens longiùs recedit à ateria, ita perfectiùs cognoſcit: bruta v.g. nonhil habent cognitionis, quia formam habent ateriæ minùs immerſam; ſuſcipiunt enim ormas ſine materia, id eſt, ſpecies intentionales; ontrà verò plantæ carent cognitione ſenſitiva, uia ex Ariſtotele non habent principium ſuſeptivum formarum ſine materia. Item facultates audiendi & videndi perfectiùs cognoſcunt, uàm alii ſenſus, quia longiùs à materia removentur: homo quà rationis compos, præcelt cognitione ipſis brutis; denique angeli perpicacioris ſunt intelligentiæ, quàm homines, uia magis immateriales. Hinc Ariſtoteles lib. 2. Metaph. cap. 9. ex ſumma Dei immaterialiate colligit ipſius intellectionem à ſubſtantia jusdem non diſtingui. Sed cur materia eſt obex ognitionis? quia eſt cauſa limitationis; habet uippe quantitatem pro affectione nativa; quanitatis proprietas eſt diviſibilitas, diviſibilitatis ars, partis denique limitatio. Ut vis hujus argumentationis clariùs pateat, accipe quatuor pronuntiata.

I. Entia cognoſcentia in hoc diſtinguuntur à cognoſcentibus, quòd hæc apta ſint habere tantùm formam propriam; illa verò præter formam propriam, ſuſcipiunt etiam alienas, id eſt, imagines objectorum, quorum quælibet pars repræſentat tòtum objectum.

II. Entia cognoſcentia habent majorem amplitudinem entis, quàm non cognoſcentia. Sequitur ex primo. Ratio eſt, quia ſunt ipſa &

etiam alia quædam, ſaltem intentionaliter: hinc D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad lit. cap. 4. *Quantò quidque ſubtilius eſt in natura corporali, tantò vicinius eſt naturæ ſpiritali.*

III. Limitatio entis in non cognoſcentibus oritur ex materia, quæ eſt obex cognitionis.

IV. Quò ſubſtantia eſt magis immaterialis, eò magis eſt cognoſcens.

Itaque probatur minor primi ſyllogiſmi: Deus ab omnibus materiæ imperfectionibus longiſſimè recedit: ergo eſt ſummè immaterialis. Probatur ant. Quadruplex eſt materiæ imperfectio; 1. eſt ens potentiale; 2. ſubſtantia incompleta, quæ ſtare nullatenus poteſt, niſi per formam ſubſtantialem fulciatur; 3. perfici per accidentia phyſica exigit; 4. conſtat partibus integrantibus extenſis, tum in ordine ad ſe, tum in ordine ad locum: Deus vt actus puriſſimus, omnem potentialitatem excludit; vt ſimpliciſſimus, omnem compoſitionem ex ſubſtantia & accidente phyſico, & ex partibus entitativis, vt jàm oſtendi: ergo ſummè recedit ab omni imperfectione materiæ: ergo ſummè intelligens ſeu ſciens.

Probatur 2. ex communi notione Dei: Deus eſt, quo nihil melius atque ſublimius: non eſt id quo nihil melius atque ſublimius, niſi idem intelligentiſſimus ſcientiſſimuſque ſit; vita quippe quæ non aliquando deſipit, aliquando ſapit, ſed potiùs ipſa ſapientia, melior eſt ea, quæ aliquando ſapit, aliquando deſipit; quia mens quæ ſapiens ſit, antequam ſapientiam adipiſceretur, non erat ſapiens. At verò ipſa ſapientia nec fuit vnquam inſipiens, nec eſſe vnquam po-

it. Hoc argumentum eſt D. Auguſtini, lib. de
oct. Chriſtiana, cujus hæc ratiocinatio eſt.
elior eſt ſubſtantia vivens, quàm non vivens:
ter ſubſtantias viventes nobilior ſentiens, quàm
getans: inter ſentientes nobilior intelligens,
àm carens intelligentia; denique inter intel-
gentes præſtantior, quæ incommutabiliter res
mnes percipit, ſeu quæ ita ſapit, vt nec fuerit
nquam inſipiens, nec aliquando eſſe poſſit, quàm
la quæ mutabiliter percipit, ſeu quæ aliquan-
o deſipit: ergo cùm Deus ſit quo nihil me-
us, vtique omnia quæ ſciri poſſunt, debet ſem-
er & incommutabiliter ſcire.

Probatur à libertate: Deus liber eſt: ergo cog-
oſcit. Non enim ſtat libertas ſine intentione
nis, neque intentio finis ſine cognitione boni-
atis illius & proportionis mediorum ad finem.
am quòd Deus ſit liber, ſuo loco probabitur.
tem ex religione: Nemo eſt qui Deum non co-
at, aut ſaltem colendum non exiſtimet: nemo
ui non timeat, aut ſaltem timendum tanquam
ltorem ſcelerum non putet: ergo Deus cogno-
cit. Niſi enim cognoſceret quantùm & à quo
coleretur, cur coleretur, & niſi ſciret quantùm &
à quo peccetur, nemo vtique vltionem ipſius ti-
meret.

Denique quis credat Deum, rerum inſcium,
qui naturis intelligentibus vim cognoſcendi tri-
buit, rebus ſingulis ſapientiſſimè providet, na-
turas tam diſſimiles & inter ſe pugnantes inter
ſe conſociavit? Hoc argumentum vrget Gre-
gorius Nyſſen. lib. adverſus eos qui ægrè fe-
runt reprehenſiones: *Deus habens affatim ejus,
nempe rationis, nobis parum eſt largitus, vt illum*

primum aſpiciamus & rationem agnoſcamus rationis datorem. Unde ſic arguo : Dei eſt vt primæ cauſæ, rebus ſingulis finem præſtituere, & media huic fini aſſequendo paria ſufficere : vtrumque præſtare non poteſt, niſi ſcientiſſimus ſit, & finem juxta media apprime norit : ergo, &c. Denique primæ cauſæ convenit modus agendi perfectiſſimus : perfectiſſimus modus agendi eſt ex arte & electione : ars & electio requirunt perfectiſſimæ cognitionis ductum : ergo eſt in Deo perfectiſſima cognitio. Plura vide apud D. Thomam 1. contra Gentes, cap. 44. At

Dices contra primam rationem. 1. Animalia bruta ſunt materiæ immerſa, & tamen cognoſcitiva. 2. Anima rationalis, licèt ſpiritalis, tamen eſt pars hominis corporei. 3. Cùm angeli ſint purè ſpiritales, deberent proinde intelligere ac Deus ipſe.

Reſp. animalia bruta, quatenus cognoſcibilia ſunt, eatenus recedere à materia, quia apta ſunt ad recipiendas formas ſine materia. Ad 2. anima rationalis cùm ſpiritaliter agit, habet potentiam inorganicam; ejus quippe intelligere non perficitur & completur per organum corporatum, quamvis prærequirat operationes ſenſuum. Ad 3. licèt angeli ſint ſubſtantiæ ſpiritales completæ, adeóque materiam informare non poſſint, tamen aliquatenus materiæ indolem imitantur, quatenus ſunt materia, in qua tum facultates, tum operationes ſpiritales recipiuntur, in quo deficiunt à ſumma Dei immaterialitate. Certè Deus nullius rei ſubjectum eſt, nec pars, ſed actus puriſſimus, ſummè independens, nullius indigens, ſimpliciſſimus, totus vbique, -

ique, totus in qualibet parte, denique actuo-
imus.

nſtabis 1. Immaterialitas ratione privationis,
am ſecum invehit, non poteſt eſſe ratio, cur
ſtantia ſit cognoſcitiva: deinde non implicat
oduci à Deo ſubſtantiam prorſus immateria-
, quæ non ſit cognoſcitiva: 3. voluntas &
s operationes ſunt entia immaterialia, nec
nen ſunt principia cognitionis: 4. ſubſtantiæ
nimatæ recipiunt accidentia aliena, vt aqua
orem.

Reſp. ad 1. immaterialitatem ſubſtantiæ non
ione privationis, ſed poſitivæ perfectionis, eſ-
principium vnde infertur vis cognoſcitiva ſub-
ntiæ immaterialis. Ad 2. nego, 1. quia quæ-
et, ſubſtantia ſpiritualis perfectior eſt quali-
: ſubſtantia corporata; non eſſet autem per-
tior, ſi non poſſet cognoſcere, quia dantur
ſtantiæ corporeæ quæ cognoſcunt; aliundè
 eſt capax cognitionis ſenſitivæ, quæ fit de-
identer ab organis: ergo ſupereſt vt ſit ca-
 cognitionis ſpiritualis. 2. Quia operatio pro-
tionata ſubſtantiæ ſpiritali non alia eſt quàm
ellectio & volitio, quæ ſunt operationes ſpi-
ales: ergo ſi detur ſubſtantia purè immate-
lis, cùm quælibet ſubſtantia ſit capax opera-
nis ſibi congruæ, debebit eſſe capax intelle-
onis & volitionis. Ad 3. eſto, volitio non ſit
ax cognitionis, certè ab intellectu dirigitur,
ue ſubſervit. Ad 4. diſtinguo, ſubſtantiæ cor-
atæ inanimatæ ſunt capaces alienorum acci-
ntium, à quibus corrumpuntur, eſto; à quibus
ficiuntur, nego. At ſpecies intentionales, quæ
ubſtantia cognoſcente recipiuntur, perficiunt

ipſam', & in ea tanquam ſubjecto proprio ac ſuo recipiuntur. Hinc non tam eſt capacitas in aqua, quàm incapacitas ad calorem, quia ipſi noxius eſt; hinc etiam ſpecies intentionales in aëre non habent effectum formalem, quia non eſt proprium earum ſubjectum. At quomodo ſe habet ſcientia in Deo? Ut quæſtio ſolvatur, ſit

Unica Observatio. Scientia in actu primo, poteſt dici tribus modis; 1. ita vt ſit actus primus ſcientiæ ſine actu ſecundo: v. g. cum habitus ſcientiæ quaſi otioſus & reſes eſt in mente. 2. Ita vt actus primus junctus ſit actui ſecundo: ſic beati habent lumen gloriæ cum actuali viſione Dei junctum. 3. Ita vt actus primus concipiatur in Deo vt vis quædam intelligendi, præſcindendo ab actuali intellectione, & ab hoc, quòd illa vis ſit activa, vel ipſemet formalis actus. His obſervatis, ſit

II. Assertio. Non datur ſcientia in Deo, quæ ſit in actu primo, primo & ſecundo ſenſu accepta. Probatur 1. ex Ariſtotele 12. Metaph. *Deus eſt ſuum intelligere*: Deus non eſſet ſuum intelligere, ſi actus primus primo & ſecundo ſenſu acceptus diſtingueretur ab actu ſecundo: ergo, &c.

Probatur ratione: Actus primus ſcientiæ, ſive ſit per modum potentiæ paſſivæ, ſive ſit per modum principii activi, qui ab actu ſecundo in re ſit diverſus, nullomodo in Deo reperitur. Non per modum potentiæ paſſivæ, quia eſt imperfecta: non per modum principii activi, quia actus ſecundus ſupponit actum primum priorem ſe, vel ipſum includit, intellectio enim eſt actus imma-

ns : vnde actus primus elicitivus intellectio- ejuſdem receptivus eſt. Confirmatur aſſertio : us primus, vel eſt potentia intelligendi, vel ha- us facilitans potentiam, vel ſpecies intelligibi- , quæ objectum cum potentia conjungit : in Deo n eſt potentia intelligendi vt eſt productrix in- lectionis & ejuſdem ſubjectum, quia ſummæ i perfectioni & ſimplicitati per ſe repugnat, vt tet Hinc ex D. Thoma contra Gent. cap. 10. *tellectus & voluntas non ſunt in Deo vt poten- , ſed vt actiones.* Et ex Auguſtino lib. 7. de in. cap. 1. *Hoc eſt illi eſſe, quod ſapere.* Et Epiſt. 2. *Hoc eſt illi eſſe, quod intelligere.*

Non habitus, quia ex D. Thoma, lib. 1. con- Gent. cap. 56. & in 1. ſentent. diſt. 35. quæſt. art. 5. *Habitus non eſt niſi perfectio alicujus po- ntia incompleta ad actum : habitus non eſt vltima fectio, ſed magis operatio, qua perficit habitum.* quibus principiis ſic arguo : habitus ex natu- ſua eſt complementum potentiæ incompletæ : l enim eſt naturalis, vel ſupernaturalis, ac- iſitus vel infuſus : ſi ſupernaturalis & infuſus, buit potentiæ, quæ effectui impar ex ſeſe, ſim- iciter poſſe agere : ſi naturalis & acquiſitus, t facilitatem, quatenus potentiæ tarditatem citat, & impeditam ex ſe reddit expeditiorem agendo. Rurſus habitus omnis eſt propter ope- tionem tanquam finem per quam proinde per- itur : in Deo nulla potentia incompleta, cùm ens completiſſimum, nec perfectibile quid- iam, cùm ſit vſquequaque perfectus : ergo nec abitus ineſt. Hinc Damaſcenus lib. 1. de Fide. *nobis prudentia & ſapientia & conſilium tan- iam habitus accidit & abſcedit, non autem in Deo;*

in eo enim nihil oritur & deſinit. Et D. Baſilius lib. 2. contra Eunomium: *Sapientia & virtus & juſtitia Dei, non vt habitus, nec vt aptitudo* ſubſe.

Non ſpecies intelligibilis, quæ ab objectis immiſſa, per modum actus primi vicem objecti ſuppleat: quia duplex munus ſpeciei intelligibilis, primum, vnire potentiæ objectum per modum actus primi; ſecundum, determinare per modum principii potentiam ad eliciendum actum; vtroque munere Deus opus non habet, tum quia non eſt potentia in Deo, cui objectum vniatur per modum actus primi: tum quia non eſt actus ſcientiæ elicitus, qualis in nobis eſt. Accedit D. Thomas 1. part. quæſt. 14. art. 2. vbi Deum probat ſe intelligere per ſe ipſum: *Cùm igitur Deus nihil potentialitatis habeat, ſed ſit actus purus, oportet quòd in eo intellectus & intellectum ſint idem omnibus modis: ita ſcilicet vt neque careat ſpecie intelligibili, ſicut intellectus noſter, cùm intelligit in potentia: neque ſpecies intelligibilis ſit aliud à ſubſtantia intellectus divini, ſicut accidit in intellectu noſtro, cùm eſt actu intelligens; ſed ipſa ſpecies intelligibilis eſt ipſe intellectus divinus, & ſic ſeipſum per ſe ipſum intelligit.* Probat idem ſanctus Doctor a. 11. ad 1. non aliam in Deo ſpeciem eſſe intelligibilem, qua res poſſibiles cognoſcat, quàm eſſentiam divinam, quæ cùm eas eminenter contineat, continet quoque eminenter earum cognoſcibilitatem. Locum conſule.

III. ASSERTIO. Scientia ita eſt in Deo in actu, vt non repugnet in Deo concipi quaſi actum primum, præſcindendo ab actu ſecundo, ſeu concipi omnia intelligibilia, præſcindendo

hoc quòd formaliter ſeu actualiter repræſentur, quia datur ſufficiens fundamentum præ-onis illius objectivæ.

V. ASSERTIO. Scientia quæ eſt in Deo, eſt modum actus puri, adeóque idem realiter ſd Dei ſubſtantia. Hæc aſſertio ſequitur ex orioribus. Cùm enim non ſit potentia in Deo, paſſiva ad recipiendam ſcientiam actualem, activa quæ actum eliciat à ſe realiter diſtin-m: nec habitus ut eſt qualitas per actus re-itos acquiſita, & in memoria tanquam ſemen urorum ſimilium relicta: nec ſpecies intelli-ilis ab objectis impreſſa, divinum intellectum erminans; hinc conſequens eſt ſcientiam eſſe tae actus in Deo; hinc ex Didymio in enar-ione Epiſtolæ canonicæ Joannis tom. 9. Bi-oth. PP. *Trinitatis ſcientia ſubſtantialis eſt, crea-arum verò affectus quidam ſuſcipiens magis & inus.* Et ex Syneſio in lib. de inſomniis: *Deo s ad cognoſcendum natura ſatis eſt.*

V. ASSERTIO. Scientia divina eſt attribu-n divinæ eſſentiæ inadequatè conſtitutivum. ıòd ſit attributum eſſentiæ divinæ conſtituti-m, patet, quia attributum, quod in rebus crea-tale eſt, ut eſſentiam illarum tanquam pro-etas ſequatur, Dei eſſentiam aliquatenus con-tuit: talis eſt ſcientia de qua agimus. Certè eſſentiam Dei pertinet, quòd ſit vivens intel-ctuale, & quidem in actu ſecundo. Quòd con-tuat inadæquatè, patet quoque, quia Deus ha-t alios gradus eſſentiales; eſt enim omnipo-ns, juſtus. Sed ut perfectiùs ſcientia Dei in-toſcat, juvat ejus præſtantiam ex objecto uere.

ARTICULUS II.

De objecto divinæ ſcientiæ.

DEI ſcientia infinita cùm ſit, id omne habet pro objecto, quod eſt aliquatenus cognoſcibile: tria porrò ſunt genera cognoſcibilium; Deus, entia creata & non entia. Videndum ergo, an Deus ſe ipſum cognoſcat, & quomodo; 2. an entia creata, omnia; denique an ipſa non entia attingat. Rurſus triplex ordo rerum ſcibilium; primus complectitur Deum ipſum, ſecundus res poſſibiles, tertius res exiſtentes ſeu futuras in aliqua differentia temporis, ſeu in tota æternitate.

§. I. *An & quomodo Deus ſe cognoſcat.*

I. ASSERTIO. DEus ſeipſum cognoſcit. Probatur 1. quia perfectiſſimi objecti cognitio non poteſt deeſſe perfectiſſimo intelligenti: objectum perfectiſſimum cognoſcibile eſt Deus, qui & perfectiſſimè intelligens eſt: ergo Deo cognitio ſui deeſſe non poteſt. 2. Convenit Deo perfectio quælibet ſimpliciter ſimplex, quia eſt ens ſine omni non ente: ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo Deo convenit ſcientia, & quidem ſui, tum quia præſtantiſſima ſcientia eſt Dei ipſius, tum quia ratio divinæ felicitatis id exigit, cujus eſſentia in cognitione perfectiſſimi objecti conſiſtit. Idip-

n inculcat Ariſtoteles lib. 12. Metaphyſ. cap. Ipſa intellectio *ſecundùm ſe ejus eſt, quod ſe-ndùm ſe optimum eſt, & quæ maximè eſt, & s quod maximè eſt.* At ſolus Deus eſt ipſa in-llectio ſecundùm ſe, hoc eſt, ab omni omni-materia abſtracta. Ariſtoteli ſuffragatur Avi-nna 8. Metaphyſ. cap. vlt. *Primus eſt excellen-r apprehenſor cum excellentiori apprehenſione ex-llentioris apprehenſi.* Confirmatur: quia omnis bſtantia intelligens ſe ipſam cognoſcit, ſaltem gnitione reflexa, juxta pronuntiatum ejuſdem vicennæ: *Omnis intelligentia intelligit eſſentiam am.* Conſentit & Alcinous cap. 10. *Quoniam item prima mens præſtantiſſima eſt, neceſſe eſt æſtantiſſimum ei intelligibile propoſitum eſſe: nihil item ſe ipſa præſtantius habet. Quare ſemetipſam titiaſque ſuas ſemper intelliget.* Nec refert quòd riſtoteles lib. 2. magnor. Moral. cap. 18. dum uærit an Deus ſeipſum contempletur, videatur negare. Nam in eo loco proponit tantùm uæſtionem, diſputatque in vtramque partem, ec definit; ſed potiùs omittit, vtpote ad quæ-ionem de qua ibi agebatur, non neceſſariam; aliunde in eodem loco multa proponit, ex uibus infert Deum ſui ipſius cognitione gau-lere.

II. Assertio. Deus ſe cognoſcit cogni-ione propria & quidditativa.

Probatur: Deus eſt objectum maximè propor-ionatum ſuæ cognitioni: ergo ſe cognoſcit ognitione propria & quidditativa. Probatur. ant. uia Deus in ratione objecti eſt ens maximè mmateriale, intellectus ejuſdem perfectiſſimus, ec aliunde motivum ſuæ cognitionis, quàm ex

infinito eſſentiæ ſuæ fundo, accipit. Denique ſumma eſt objectum inter & potentiam vnio, vel potius identitas: ergo ſe cognoſcit cognitione propria & quidditativa. Quid enim aliud ad hanc cognitionem requiritur? Certè D. Thomas lib. 1. contra Gentiles cap. 47. ad perfectam cognitionem duo requirit; alterum, vt ſpecies intelligibilis rei intellectæ ſit maximè conformis: alterum, vt eadem ſpecies potentiæ cognoſcenti perfectiſſimè conjungatur: at ſpecies intelligibilis qua ſe Deus cognoſcit, pollet hac gemina dote. Nam & conformis naturæ ipſius eſt, immo & ipſa Dei natura, & divino intellectui identificatur: ergo non tantum ſe cognoſcit cognitione propria & quidditativa, ſed etiam ſe comprehendit. Quare ſit

III. ASSERTIO. Deus ſeipſum perfectiſſimè comprehendit. Probatur 1. Matth. 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrem novit quis, niſi Filius.* Ubi *novit*, idem ſonat ac *comprehendit*; nam etiam beati cognoſcunt intuitivè: hinc D. Auguſtinus in Soliloq. cap. 13. citato hocce Matthæi loco, denique concludit: *Sola Trinitas tua tibi ſoli integrè nota eſt, quæ exuperat omnem ſenſum.*

Probatur ratione: tunc objectum perfectè comprehenditur, cùm cognoſcitur, quantùm eſt cognoſcibile: Deus ſe ipſum cognoſcit, quantùm cognoſcibilis eſt; ergo Deus ſeipſum perfectè comprehendit. Probatur minor: tunc objectum cognoſcitur quantùm eſt cognoſcibile, cùm virtus potentiæ cognoſcentis tanta eſt, quanta eſt objecti cognoſcibilitas: tanta eſt virtus potentiæ cognoſcentis divinæ, quanta eſt cog-

ſcibilitas Dei ipſius. Ut enim Deus in ratio-
objecti eſt in ſupremo gradu immaterialita-
, ita & vis illius cognoſcens ſummè imma-
rialis ; ergo vis Dei cognoſcens exhaurit cog-
ſcibilitatem illius objectivam, adeóque com-
ehendit, cùm ſit ejuſdem planè cum illo ob-
cto ſuo amplitudinis juxtà & puritatis. Et ve-
ſtria, ut jam obſervavi, cognitionem perfe-
am uſquequaque, hoc eſt, comprehenſivam ef-
iunt, vis efficaciſſima ad intelligendum, in-
gra conformitas ſpeciei intelligibilis cum ob-
cto per illam repræſentato ; denique intima
onjunctio ſpeciei intelligibilis cum intellectu:
Deo vis intelligendi infinita prorſus & illi-
itata ; Deus ſibi ipſi eſt ſpecies intelligibilis,
deóque ſibi ſpeciem identificat : ergo, &c. Mitto
uòd ſi aliquid Dei Deum ipſum lateret, non
ret ipſe perfectiſſimè intelligens ; ignoraret
nim quidpiam, quod ipſum ſcire maximè il-
us intereſſet. At

Objicies 1. Si Deus ſeipſum comprehendit,
ognitio, qua ſe comprehendit, vitalis eſt quæ-
am ipſius naturæ omniumque perfectionum ex-
reſſio ac ſimilitudo : ergo ad ſe ipſam refertur :
t nihil referri poteſt ad ſeipſum ; quia relatio
ſt inter duo extrema realiter diſtincta. 2.
Deus haberet infinitas reflexiones ſupra ſe ſuaſ-
que cognitiones ; quia ſciret ſe ſcire. 3. Si ſeip-
ſum comprehendit ; ſe ipſum finit, quia id quod
omprehenditur, comprehendentis cognitione
initur, ex Auguſtino.

Reſp. ad 1. diſt. hanc propoſitionem : ergo
ognitio refertur ad ſeipſam, relatione tranſ-
cendentali, eſto ; categorica, nego. Porrò re-

latio categorica eſt inter duo extrema realiter diſtincta, adeóque eſt intrinſeca ad extrinſecum; non autem tranſſcendentalis, quæ tota intrinſeca eſt fundamento quod ad aliud tranſſcendentaliter referri dicitur, quia secundùm ſuas omnes perfectiones intrinſecas concipi non poteſt, niſi concipiatur illud ipſum, ad quod referri dicitur. Ad hoc autem non requiritur diſtinctio realis inter fundamentum & terminum. Deinde quidni talis relatio ſit relatio rationis, non rei?

Ad 2. nego ſcientiam Dei habituram infinitas reflexiones; ſed vnica reflexio ſufficit, quia eſt virtualiter reflexiva ſupra ſe ipſam. Natura quippe intellectionis eſt, vt ſit ſui ipſius cognitio experimentalis. Intelligere enim non eſt actio mortua; ſed viva ac ſpirans, vt ita loquar, qua intelligens non tantùm ad objectum, ſed etiam ad ſuam operationem attendit, itáque experitur ſe habere cognitionem quam habet: ergo multò magis ſcientia, quam Deus habet de ſe ipſo ac ſuis perfectionibus, infinita cùm ſit, ſupra ſe ipſam virtualiter reflexa eſt, non formaliter. Ratio enim perfectiſſimæ ſcientiæ exigit, vt ſciat ſe ſcire, ac proinde non tantùm perfectiones alias divinas, ſed ſe ipſam etiam repræſentet, vt obſervat Ariſtoteles lib. 2. Metaph. c. 9. vbi ait intellectionem *ſeipſam intelligere, ſi eſt quod optimum*. Idem quoque dixeris de volitione divina. Certè reflexa cognitio formalis non neceſſaria eſt, niſi cùm cognitio directa imperfecta eſt.

Ad 3. diſt. id quod comprehenditur, comprehendentis cognitione finitur, negativè, con-

cedo; poſitivè, nego. At cùm Deus dicitur ſe comprehendere, τὸ comprehendere negativè ſumitur, huncque ſenſum habet: Deus non eſt magis cognoſcibilis, quàm à ſe ipſo cognoſcitur. Deinde aliud eſt comprehendi comprehenſione finita, aliud infinita. Nam adæquari infinito, non eſt finiri.

IV. ASSERTIO. Deus cognoſcit ſe ipſum in ſe ipſo. Probatur 1. ex D. Thoma, qui ait hoc articulo, Deum cognoſcere eſſentiam ſuam in ſe ipſa & per ſe ipſam. Et ex Alberto 1. part. quæſt. 60. Deus, inquit, non ſcit per medium aliud à ſe, ſed in ſeipſo prout ipſe eſt ratio, qua conſtituuntur omnia. Ratio eſt, quia eſt objectum motivum formale & ſpecificativum ſcientiæ ſuæ: at objecti formalis proprium eſt intelligi ratione ſui & propter ſeipſum; alia verò, quæ per eandem cognitionem attinguntur, propter illud intelligi debent: at Deus, vtpote ſummè immaterialis, eſt ſummè intelligibilis ratione ſui; nec aliud ens eſt magis intelligibile ratione ſui. 2. Perfectiſſimæ ſcientiæ debetur objectum formale perfectiſſimum: at nullum aliud eſt, niſi ens ſimpliciter infinitum perfectiſſimè cognitum ratione ſui. Id ipſum innuit Ariſtoteles lib. 10. Ethic. cap. 4. *Optima operatio ejus, quod optimè affectum eſt, erga præſtantiſſimum ex iis, quæ ipſi ſubjiciuntur.* Et 12. Metaph. cap. 9. *Manifeſtum itaque eſt, quòd illud intelligit, quod diviniſſimum honorabiliſſimumque eſt.* Hæc porrò argumenta probant non tantùm Deum in ſe ipſo & per ſeipſum, ſed omnia etiam alia entia cognoſcere.

V. ASSERTIO. Deus cognoſcit ſeipſum vt

objectum primarium, reliqua verò vt objecta ſecundaria. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori. Probatur ampliùs: illud eſt objectum primarium, quod eſt prima origo cognitionis naturæ intelligentis, & radix cognitionis aliorum: quia primò terminat actum cognoſcentis, & eo mediante cætera eundem actum terminant: prima origò cognitionis naturæ intelligentis & radix cognitionis aliorum eſt propria ſubſtantia, quia eadem primò movet intellectum cognoſcentem; reliqua autem movent, quatenus aliquatenus continentur in ipſa ſubſtantia naturæ intelligentis: atqui primum movens Deum ad cognoſcendum Deum, eſt eſſentia divina; reliqua verò movent, quatenus continentur in ipſa: ergò; &c.

§. II. *An Deus cognoſcat poſſibilia & alia extra ſe exiſtentia.*

I. Asser-tio. Deus cognoſcit perfectiſſimè omnes & ſingulas creaturas poſſibiles, ſive actu exiſtant, ſive non exiſtant, ſecundùm propriam cujuſque differentiam, tum ſpecificam, tum individualem.

Probatur ex Ariſtotele, cui falsò errorem Averrois creaturarum cognitionem Deo denegantis quidam interpretes affingunt. 3. Metaph. cap. 4. vbi carpit Empedoclem, quòd dixerit *Deum felicißimum minùs ſapientem cæteris eſſe, non enim cognoſcit omnia elementa*. Lib. 1. OEcon. cap. 3. ait divinâ providentiâ vtriuſque, viri ſcilicet ac mulieris, creaturam ad ſocietatem ordinatam. Et lib.

7. Eth. cap. 17. & 18. docet à Deo quaſi à bona fortuna indeliberatas cogitationes & motus ad bonum immitti : idque probat, tum quia Deus eſt vniverſaliſſimum principium circa omnes actiones. *Patet*, inquit, *ſic eſſe*, *quemadmodum in vniverſo Deus, & vicißim cuncta in illo: moventur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine*. Tum quia quod eſt principium motus in anima, eſt principium cogitationis. *Rationis autem non ratio, ſed praſtantius quidpiam eſt principium. Quid enim praſtantius ſcientia eſt, niſi Deus?* Ergo Ariſtoteles Deo creaturarum & eorum quæ extra ipſum fiunt, cognitionem non negat, ſed tribuit. 2. Ex Paulo ad Hebr. cap. 4. *Non eſt vlla creatura inviſibilis coram Deo, omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Hinc ſic arguo : ille cujus oculis nuda & aperta ſunt omnia & inviſibile nihil, clarè & diſtinctè cognoſcit omnes creaturas poſſibiles, etiam ſecundùm propriam cujuſque differentiam, tum ſpecificam, tum individualem : Dei oculis nuda & aperta ſunt omnia, nec eſt vlla creatura inviſibilis, ex Paulo : ergo, &c.

Probatur ratione 1. Deus comprehendit ſeipſum, vt probatum eſt §. 1. Deus non poteſt ſeipſum comprehendere, niſi cognoſcat omnes & ſingulas creaturas poſſibiles ſecundùm propriam cujuſque differentiam, tum ſpecificam, tum individualem : quia dum Deus ſe comprehendit, vtique cognoſcit quidquid continetur in eſſentia tum formaliter, tum eminenter : creaturæ omnes continentur formaliter aut eminenter in eſſentia divina, & quidem ſecundùm omnes gradus & differentias & ſubſtantiarum & accidentium gene-

ricas, ſpecificas & individuales: ergo Deus cognoſcit omnes & ſingulas res poſſibiles ſecundùm omnes gradus & differentias etiam individuantes. Et ſanè individua cujuſque ſubſtantiæ;& accidentis differentia eſt ens : ergo cognoſcibile ab intellectu perfectiſſimo, qualis eſt divinus intellectus.

Confirmatur: propria cujuſque rei poſſibilis natura in eo conſiſtit, quòd aliquo modo divinæ perfectionis particeps ſit: ergo cùm Deus ſeipſum cognoſcat, & quidem perfectiſſimè, omnes quoque modos cognoſcit, quibus ab aliis perfectio ipſius participari poteſt, adeóque cognoſcit ſingulos rerum omnium eſſendi modos.

2. Probatur, duobus principis poſitis. Primum ſit: perfectiſſimi agentis eſt omnia cognoſcere, quæcumque poteſt vel per ſe ſolum, vel cum aliis cauſis producere: quia omnis artifex agit ex idea, adeóque perfectiſſimus artifex ex idea perfectiſſima, & propter finem, ad quem opus dirigit ſuum.

Secundum, Deus eſt agens perfectiſſimum, eo enim modo eſt agens, quo eſt ens : ergo ex idea perfectiſſima & ob finem perfectiſſimum.

Ex his ſic argumentor: Deus eſt artifex rerum omnium, ſive exiſtant, ſive nondum exiſtant, vtpote creator omnipotens, eaſque dirigit in finem: perfectiſſimus artifex omnia opera ſua perfectiſſimè cognoſcere debet, quia agit ex idea, & dirigit in finem ex primo principio: Deus eſt perfectiſſimus artifex ex ſecundo: ergo perfectiſſimè cognoſcit omnia entia, ſive quæ exiſtunt, ſive quæ poſſunt exiſtere. Hoc argumentum Philo Judæus nobis ſuppeditat in libro in quo

immutabilem Deum eſſe oſtendit. *Manifeſtum eſt*, inquit, *& eorum quæ genita ſunt, ſatorem & fabricatorem, & curatorem eorum quæ in tutela ſua habet, ſcientem eſſe oportere.* Eandem rationem indicat Zacharias Mitylenus tom. 1. Bibl. Græco-Lat. PP. p. 350. dum ait, *Deum omnia, velantequam exiſtant, cognoſcere; vt quæ in ipſo ſunt, antequam oriantur. Quippe qui omnia comprehendit præſcia facultate ſua, quæ producenda ſunt.* Sed omnium optimè hanc ſingulorum exquiſitam divinam notitiam exprimit Clemens Alexand. lib. 6. Strom. *Deus omnia novit, non ſolùm quæ ſunt, ſed etiam & futura; & quemadmodum erit vnumquodque ac particulares motiones prævidens, omnia proſpicit, & audit omnia; nudam intrinſecùs animam videns, vniuſcujuſque etiam è ſingularibus æternam habet intelligentiam, & quod in theatris vſuvenit, & in partibus cujuſque inſpiciendo, & ſimul aſpiciendo, hoc ipſum in Deo venit. Nam ſimul confertimque omnia & particulatim ſingula applicatione vna contemplatur.* Quin etiam *ſuperba & inſolentes cogitationes Deum non fallunt*, ſi Hilarium audimus in Pſalm. 137. *Agnoſcit omnia, & nihil ſcientiæ ejus impenetrabile eſt.* Non res viliſſimæ latent, tum quia res viliſſimæ à Deo cùm remotiones ſint, arguunt in eo perſpicaciæ vim infinitam, quæ ad remotiſſima quæque pertingat: tum quia quidquid vile eſt, eſt aliquatenus nobile, quatenus cognoſcibile eſt: tum quia vilitas cognitorum in cognoſcentem non redundat, nec magis Deus cognitione rerum humanarum, etiam abjectiſſimarum, ſordeſcit, quàm ſol ejuſque radii, cùm cœno lucem inferunt: tum quia ſine cognitione rerum vilium or-

dinem totius univerſi Deus non probè noſſet, qui ex diſparibus, ſicut muſica ex gravibus & acutis inter ſe temperatis, exiſtit. Non etiam atomæ cujuſque rei differentiæ. 1. quia Deus res producit, quatenus facit eſſe actu; facit autem eſſe actu, quatenus ſingulares producit, actio enim eſt ſingularium primò & per ſe. 2. Quia niſi Deus cognoſceret individua, non perfectè rationem entis communem cognoſceret; nam ratio communis non poteſt perfectè cognoſci, niſi cognitis differentiis proximis; ſicut non ſcitur perfectè natura numeri, ſi par & impar ignorentur. 3. Quia nec pœna quam Deus reis intentat, timeretur; nec præmium, quo bonos ad virtutem excitat, ſperaretur; nec auxilium ab eo peteremus; niſi animis noſtris infixum foret Deum ſingulos homines, ſingulas eorum actiones, ſingulos demum rerum eventus intueri; & vt ait Petrus Damianus epiſt. 4. *uno ac ſimplici præſentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendere, nec hoc confusè, neque inexplicabilè, ſed omnia diſcernere atque juxta proprietatem ſuam quæque diſtinguere.*

Patent ex dictis quatuor. 1. Non vniverſim tantùm ac ſecundùm genera, quæ eſt confuſa particularium cognitio, ſed etiam minutatim ſingula Deum cognoſcere. 2. Non ſingillatim & vnum poſt alterum noſſe, ſed ſimul & vna ſimplicique notitia complecti. 4. Cognoſci à Deo creaturas quantùm cognoſcibiles ſunt; & quia in ſe tanquam in objecto nobiliori attingit, etiam ſupercomprehendi; quia cognitio quæ ipſas percipit, multùm excedit rem cognitam; ſupercomprehenſio autem excedit cognoſcibilita-

tem intrinſecam objecti , ſicut comprehenſio dicitur quæ objecto commenſuratur. Hanc ſupercomprehenſionem videtur inſinuare Damianus hac comparatione: *Planè qui in theatro reſidet, non ſimul omnia videt: quia cùm intendit adiem ante ſe, non videt poſt ſe. Qui autem non in theatro; ſed ſuper theatrum excelſior ſupereminet, totius vndique interioris theatri ambitum vno comprehendit aſpectu. Ita omnipotens Deus, quæ volvuntur, incomparabiliter ſupereminet; omnia ſuis ſubjecta conſpectibus præſentialiter videt.* 4. Scientiam Dei non tantùm particularem aut vniverſalem tantùm dici debere: non particularem tantùm, quia particularia non oſtendit ſine vniverſalibus: nec vniverſalem tantùm, quia generales notiones non oſtendit ſine particularibus. Sed potiùs eminenter vniverſalem & particularem: tum quia tam latè funditur, quàm ipſius entis amplitudo: tum quia rationes entium tum genericas, tum ſpecificas, & individuas attingit. Denique ſi ad objectum primarium illius attendatur, dici ſingularem, vt obſervat Pater Didacus Ruiz.

§. III. *An & quomodo Deus cognoſcat non entia & mala.*

I. OBSERVATIO. TRiplex non ens: aliud, quod negat exiſtentiam actualem, quam poteſt habere: aliud, quod removet ens ſeu formam à ſubjecto, quam poteſt & aptum eſt habere: tertium, quod negat actum ſimul & potentiam exiſtendi. Primum dicitur ens poſſibile, vt alter mundus poſſibilis; ſecundum, ens negativum ſeu

privativum; tertium, ens rationis & chymæricum, quod nec habet eſſe, nec poteſt habere. Rurſus non ens ſumitur vel in abſtracto; vt negatio, privatio, v. g. cæcitas; vel in concreto, vt cæcus.

II. Observatio. Malum aliud culpæ, aliud pœnæ: illud in abſtracto eſt difformitas ſeu privatio rectitudinis cum lege; in concreto, eſt actio moraliter mala ſeu difformis legi: ſi cauſaliter ſumitur, & voluntas difformis legi; ſi formaliter ſumitur, quia voluntas eſt ſubjectum difformitatis. Hoc verò eſt malum inflictum in vindictam pœnæ, vt adverſitates, dolores, &c.

I. Assertio. Deus cognoſcit non entia primo ſenſu accepta, hoc eſt entia, quæ non ſunt, ſed poſſunt eſſe. Probatur 1. Eccleſ. 23. *Antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Rom. 4. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, quatenus Deus efficaci imperio, ſeu verbo imperiali res ex nihilo in lucem educit, vel potiùs ſumma facilitate & promptitudine res procreat, juxta illud Baruch. 3. *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus*, non verbo, ſed effectu promptiſſimo.

Probatur ratione: Deus cognoſcit quidquid poteſt producere vel per ſe & immediatè, vel mediatè cum cauſis ſecundis: Deus poteſt producere res etiam purè poſſibiles vel per ſe immediatè, vel mediatè cùm cauſis ſecundis, vt per ſe patet: ergo cognoſcit res etiam purè poſſibiles, hoc eſt, quæ poſſunt eſſe, & numquam erunt. Major probata eſt ſuperiori §.

Confirmatur à pari: Deus cognoſcit quæ futura ſunt, antequam ſint actu: ergo cognoſcit etiam purè poſſibilia. Antecedens patet ex locis Scripturæ mox citatis. Et ex Auguſtini mente

lib. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 18. *Quomodo ea faceret, quæ ſibi nota non errant? Non enim quicquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, erant & non erant; erant in Dei ſcientia, non erant in ſua natura.*

Probatur conſequentia: ideo Deus ſcit quæ non ſunt & futura ſunt, quia non ſunt futura, niſi Deo volente aut permittente: at Deus poteſt abſolutè velle aut permittere, vt quæ purè poſſibilia ſunt, aliquandò futura ſint, quamvis nunquam voliturus ſit, aut permiſſurus: ergo debet etiam ſcire purè poſſibilia. Et verò de rebus purè poſſibilibus ſciri poteſt; 1. quòd ſint poſſibiles; 2. quòd ſi creandæ eſſent, haberent talem eſſentiam & tales affectiones; & hæ veritates ſunt neceſſariæ; 3. quòd ejuſmodi creaturæ reipſa nunquam producendæ ſint, nec realiter extituræ; quæ veritates contingentes ſunt, & hoc ſenſu ſunt formaliter non entia, & cognoſcuntur ſcientia viſionis.

II. Assertio. Deus cognoſcit non ens ſecundo ſenſu acceptum, prout removet ens reale, nempe negationes & privationes.

Probatur: Deus cognoſcit quidquid eſt aliquatenus cognoſcibile; cùm enim ſit infinitè intelligens, nulla ipſum veritas latet: at multa vera affirmari poſſunt de non ente ſecundo ſenſu accepto: v. g. non eſt alter mundus actu: tenebræ ſunt privatio lucis; homo cæcus habet privationem viſus: ergo Deus cognoſcit negationes & privationes.

III. Assertio. Deus etiam cognoſcit entia rationis ſeu chymærica. Probatur: quia

Deus ſcit omnia quæ ſunt aliquomodo, & fieri poſſunt à ſe, aut creatura, vel cogitari, vel dici: creatura poteſt facere entia rationis, vt oſtendimus in Logica tom. 1. ergo Deus cognoſcit entia rationis.

IV. Assertio. Deus cognoſcit mala omnia, ſive phyſica, ſive moralia, ſive malum culpæ, ſive malum pœnæ.

Probatur 1. Pſalm. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Amos 3. *Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Ubi malum, non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt, juxta interpretationem D. Auguſtini; Sed Auguſtinus docet expreſsè lib. de Prædeſt. SS. cap. 10. peccata à Deo cognoſci. *Prædeſtinatione*, ait, *Deus ea præſcit, quæ fuerat ipſe facturus: unde dictum eſt: Fecit quæ futura ſunt. Præſcire autem potens eſt, etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.*

Probatur ratione, ac primò quidem de malo culpæ, quia divinæ providentiæ eſt ſuos à peccato præſervare, lapſis medelam afferre, reos judicare ac plectere pro cujuſque demeritis: hæc præſtare non poteſt ſine perfecta peccati notitia: ergo cognoſcit peccatum.

De malo pœnæ liquet, Quia Deus debet ſcire, quæcumque decernit ordinatque ad bonum finem: Deus malum pœnæ decernit ordinatque ad reorum caſtigationem, exercitationemque bonorum, ſeu, vt loquitur Auguſtinus in libro contra epiſtolam Fundamenti cap. 28. *ad ſupplicium damnatorum, & exercitationem admonitionemque redeuntium, vt inhærendo Deo incorruptibili maneant incorrupti.* 2. Quia malum pœnæ

eſt ſimpliciter bonum & juſtum. Æquum enim eſt, ut qui à Deo per malum culpæ vltro receſſit, per correptionem juſtamque vindictam ad ipſum revocetur, & qui homo malè fecit quòd voluit, malè patiatur quòd non vult.

Confirmatur: Deus cognoſcit quæcumque producit, aut ad quæ producenda concurrit: Deus producit aut certè concurrit ad omnia mala; partim negativè, permittendo, partim poſitivè, tùm imperando & producendo malum pœnæ, tum concurrendo cum homine peccante ad entitatem phyſicam actus peccaminoſi: ergo Deus cognoſcit tum malum culpæ, tum malum pœnæ. At quomodo Deus cognoſcit negationes, privationes, entia rationis & mala?

Certum eſt 1. Deum immediatè puras negationes, privationes, entia rationis, ipſaque adeò peccata in ſua eſſentia, quam habet pro objecto primario, non cognoſcere; non ipſas negationes; quia eſt ens ſine omni non ente; non privationes; quia eſt actus purus; non entia rationis, quia eſt prima veritas; non mala, quia eſt prima bonitas; non peccata, quia eſt prima ſanctitas. Deinde ſapientia eſt cognitio ſui objecti in prima ſua cauſa: atqui prima cauſa non entis non eſt Deus, quia eſt purum ens: ergo non continet in ſe niſi ens: cauſa itaque non entis eſt creatura, quia deficit ab ente. Ita ſubtilis Theologus.

Certum 2. nullam dari propriam ſpeciem non entis. Ratio eſt; quia res eſt eo modo intelligibilis quo eſt: non ens non eſt verè: ergo nec verè intelligibile, hoc eſt, per ſpeciem veram & propriam, quaſi veluti intentionaliter propaget;

ſed tantùm per ſpeciem alienam, id eſt, quæ ſit propria illius entis, cui opponitur, aut certè aliqualem ſimilitudinem cum non ente habeat. His obſervatis, ſit

I. Pronuntiatum. Puræ negationes cognoſcuntur mediantibus entibus, quibus opponuntur: quia cùm negationes puræ non ſint entia, per ſe cognoſci non poſſunt: ergo ſupereſt, vt per entia cognoſcantur, quibus immediatè opponuntur: v. g. videt Deus alterum à ſe non eſſe Deum, quia cognoſcit ſuam eſſentiam infinitam, in qua proinde omnia poſſibilia continentur, inter quæ non eſt alter Deus, qualis ipſe eſt.

II. Pronuntiatum. Privationes cognoſcuntur mediantibus formis, quibus opponuntur, & ſubjectis quibus inſunt: ſic Deus cognoſcit aërem eſſe luce privatum, quatenus videt aërem, & eum quidem aptum ad lucem recipiendam, & non videt lucem in aëre, in quo eſſe deberet. Item videt omnipotentiam ſuam & ideam quam habet faciendæ creaturæ, & non videt ideam decreto conſignatam: vnde videt illam purè poſſibilem & non futuram. Sic videt peccatum formaliter ſumptum per rectitudinem ipſi oppoſitam: videt quippe ſe ipſum, deinde creaturas in ſe, adeóque omne ens ac bonum in ſe, adeóque cognoſcit actum meum quo pecco, in quo non videt bonitatem cauſalem & formalem in voluntate mea, quæ hîc & nunc adeſſe deberet: vnde conſequenter & indirectè cognoſcit malitiam peccati commiſſionis. In peccato verò puræ omiſſionis, ſi quod ſit, videt 1. voluntatem, 2. non videt actum ab ea manantem, qui manare deberet tali hora, qua lex ipſum præcipit,

nec conformitatem in voluntate quæ ab actu profluere deberet; vnde conſequenter agnoſcit peccatum commiſſionis. Audi D. Thomam 1. part. quæſt. 14. art. 10. *Sic autem eſt cognoſcibile vnumquodque ſecundùm quod eſt. Vnde cùm hoc ſit eſſe mali quod eſt privatio boni, per hoc ipſum quòd Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala: ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ.*

111. Pron. Entia rationis & purè impoſſibilia cognoſcit Deus ex poſſibilitate rerum, & quidem perfectè: quia impoſſibilitas omnis quodammodo fundatur & quaſi conſequitur ex poſſibilitate eorum quæ exiſtere poſſunt. Et quoniam entia rationis fiunt ab intellectu creato, cùm identificat, quæ realiter diſtinguuntur, aut ſeparat, quæ realiter ſunt idem; hinc Deus hircocervum, qui ex duabus naturis completis mentis fictione coaleſcit, cognoſcit, quatenus cognoſcit hircum & cervum duas eſſe naturas completas ac diſtinctas, adeóque conjungi non poſſe. Item cùm concipio rationale non riſibile in Petro, quaſi ſeparando realiter, & ita cudo ens rationis, Deus cognoſcit meum ens rationis, & quidem perfectè, quatenus videt riſibile rationali identificatum, & conſequenter ſeparari realiter non poſſe. Repugnat enim, vt quæ ſunt vnum in re indiviſibiliter, fiant multa realiter.
Hinc

Cùm fabrico entia rationis, licèt Deus videat me jungentem inconjungibilia, aut ſeparantem inſeparabilia, ac proinde cognoſcat mediatè ens rationis à me procuſum, non ideo facit ens rationis: quia cognoſcit tantùm cognitione ſpeculativa, non practica. Deinde quia figmentum

meum concipit, mediante intellectu meo, & cognitione, non concipit hircum & cervum vnitos in re, ſed concipit eſſe impoſſibilem vtriuſque vnionem, ſimulque intelligit mea apprehenſione, vel falſo judicio vtrumque extremum quaſi vnitum, intelligi. Concipit itaque non entia per entia poſitiva, quibus opponuntur, & ſic perfectè cognoſcit. Præterea concipit modum quo imperfectè concipimus, dum fabricamus entia rationis, quia modus ille eſt aliquid ſcibile; at non ideo facit entia rationis, ſicut qui cognoſcit intellectus mei errorem, non ideo errat. Certè repugnat divinæ ſcientiæ omnis imperfectio, infinita cùm ſit: ergo repugnat non entia per modum entis concipere; licèt enim modus ille non ſit falſus formaliter, poteſt dici falſus cauſaliter, quia affert imperfectionem proclivem & proximam falſitati, inquit Didacus Ruiz. Deinde ſi Deus conciperet non ens per modum entis, quidni etiam conciperet rem ſpiritualem per modum rei corporeæ: at id repugnat infinitæ Dei ſcientiæ: ergo, &c.

IV. Pron. Deus non cognoſcit malum culpæ ſcientiâ approbationis, ſeu quæ complacentiam ſibi habeat annexam. Probatur Pſalm. 100. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam*. In quæ verba hæc Auguſtinus; *Quid eſt, non cognoſcebam? Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat*. Quo etiam ſenſu Luc. 13. de reprobis loquitur Chriſtus: *Neſcio vos vnde ſitis*; quaſi peccatores ſint extranei à Deo, eò quòd per peccatum à Deo longiſſimè recedant, & tanquam filius prodigus, in regionem longinquam abeant. Ratio à priori eſt, quòd Deus cùm ſit infinitè ſanctus,

ſanctus, non poſſet à peccatore non alieniſſimo eſſe animo; porrò ab iis quæ maximè averſamur, oculos avertimus, eorum præſentiam aſpectumque ferre non poſſumus, &c.

v. Pron. Deus cognoſcit malum culpæ per ſcientiam ſimplicis notitiæ. Patet hujus pronuntiati veritas ex argumentis, quibus aſſertionem tertiam ſtabilivimus. Et ex Pſalm. 68. *Tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.*

Objicies 1. Ea tantùm cognoſcit Deus, quorum eſt cauſa exemplaris & efficiens: non eſt cauſa exemplaris & efficiens peccati aut negationis: ergo, &c. 2. Non ens, cùm non ſit ſimpliciter, non eſt ſimpliciter cognoſcibile; ſed tantùm ſecundùm quid: ergo ſcientia, quam Deus habet de non ente, non eſt ſimpliciter ſcientia, ſed tantùm ſcientia ſecundùm quid.

Reſp. ad 1. nego majorem; Deus enim multa cognoſcit, mediante cognitione eorum, quorum eſt cauſa exemplaris & efficiens: ſic cognoſcit peccata, mediante cognitione rectitudinis ſeu bonitatis moralis, cujus eſt cauſa efficiens & exemplaris.

Ad 2. eſto, non ens non ſit ſimpliciter ſcibile, nego ideo ſcientiam, quæ habetur de eo, eſſe ſcientiam ſecundùm quid: tum quia ſcientia, quam Deus habet de non ente, ſpecificatur ab ente reali, quod eſt objectum formale ſimpliciter cognoſcibile, ratione cujus cognoſcitur non ens: tum quia ſcientia non entium comprehenſiva illorum eſt, quatenus omnia, quæ de illis intelligi poſſunt, affirmat eſſe vt ſunt, & negat eſſe ſicut non ſunt, & quidem certò & evidenter.

ARTICULUS III.

Qualis ſit ſcientia Dei & quotuplex.

DUO de ſcientia Dei examinabit hic articulus; primum, quæ dotes ſeu affectiones ſint divinæ ſcientiæ: ſecundum, quæ partitio illius.

§. I. *Dotes divinæ ſcientiæ.*

I. ASSERTIO. SCIENTIA Dei ſimpliciſſima, non multiplex in ſe. Probatur 1. quia ſcientia Dei identificatur divinæ ſubſtantiæ, quæ eſt ſimpliciſſima. 2. Quia vno eodemque actu ſeipſum & omnia percipit; hinc à divo Dionyſio de div. nom. cap. 7. dicitur Deus *vno cauſæ complexu omnia ſcire & continere, ſine diviſione quæ dividua ſunt, multa conjunctè, dum ipſo vno omnia noſcit & procreat.* Diſtinguitur tamen quodammodo virtualiter à ſe ipſa, prout terminatur ad Deum, & ad creaturas: quia ex eo præciſè, quòd Deus intelligatur ſcire ſeipſum, non intelligitur explicitè & formaliter ſcire creaturas, & viciſſim..

II. ASSERTIO. Scientia Dei non eſt diſcurſiva formaliter. Hæc aſſertio ſequitur ex prima. Probatur: quia vbi eſt diſcurſus formalis, ibi ſunt multa judicia: vbi ſunt multa judicia, ibi ſunt multi conceptus: vbi ſunt multi conceptus, ibi eſt compoſitio: vbi eſt compoſitio, ibi imperfectio; at quælibet imperfectio repugnat ſcientiæ Dei infinitæ. Hinc ex Petro Da-

miano, epiſt. 4. de omnipot. Dei. *Deus vno dumtaxat ac ſimplici præſentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit*; ſæpiuſque repetit, ſcientiam Dei *vnum & ſimplicem eſſe contemplationis ictum.* Accedit D. Thomas, qui quæſt. 14. art. 4. docet, Deum non intelligere componendo: quia intelligendo quid ſit homo, eo ipſo intelligit quæcumque homini attribui poſſunt; & intelligendo ſuam eſſentiam, intelligit creaturarum tum eſſentias, tum affectiones. Et 1. contra Gent. cap. 58. ſimplicem quidditatis acceptionem eſſe digniorem Deo, quia non eſt capax erroris, quàm compoſitionem & diviſionem, quæ ex natura ſua errori obnoxia.

Adverte tamen ſcientiam ſeu cognitionem Dei, prout multis æquivalet, varia ſortiri nomina: vocatur enim apprehenſio, quatenus habet res pro objecto; judicium, dum apprehendit prædicatum in ſubjecto; diſcurſus ſeu ratiocinatio, quatenus cognoſcit connexionem veritatum, ſeu veritatem vnam ex altera ſequi ſine compoſitione judiciorum. Rurſus varia nomina ſortitur Dei ſcientia: vt attingit prima principia, dicitur intelligentia; vt verſatur circa res agibiles, prudentia & conſilium, quæ vox in Scripturis ſignificat certitudinem ſententiæ ſeu judicii de rebus agendis accommodatè ad finem conſequendum, connotatque decretum divinæ voluntatis de rebus conficiendis, juxta Pſalm. 32. *Conſilium Domini in æternum manet.* Aliquando arcanum quidpiam & ignotum hominibus, Sap. 9. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei*, &c.

II. Assertio. Scientia Dei immutabilis

& invariabilis : quia ſcientia Dei ſe habet vt ipſum eſſe Dei : at ipſum eſſe Dei prorſus immutabile eſt : ergo & ſcientia, in qua nihil varium & multiplex. *Nam ſicut omnino tu es*, inquit Auguſtinus lib. 13. Conf. cap. 16. *tu ſcis ſolus, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et eſſentia tua ſcit & vult incommutabiliter; & ſcientia tua eſt. Et vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt, & ſcit incommutabiliter,* Auguſtino præivit Ammonius in Commentariis ad libros Ariſtotelis de Interpret. vbi ait Deos omnia cognoſcere vna & determinata & immutabili cognitione. *Nam & eas res quæ diviſibiles ſunt, indiviſibiliter, ac ſine vllo intervallo noſſe illos neceſſe eſt; & quæ multiplicia ſunt, ſingulariter; & quæ temporalia ſunt, æterno modo; & quæ facta ſunt, infecto. Non enim dicere poſſumus Deorum cognitionem cum rerum fluxione pari tranſitu decurrere.* Denique D. Bonaventura de ſcientiæ divinæ immutabilitate ſic loquitur Breviloquii pag. 1. & Compend. Theol. verit. lib. 1. cap. 29. *Cognoſcis temporalia æternaliter, mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura præſentialiter, dependentia independenter, creata increatè, alia à te, in te & per te.* Hinc de novo nihil Deus ſcire poteſt: ſi tamen per impoſſibile aliquid de novo futurum eſſe inciperet, illud de novo Deus cognoſceret abſque nova forma intrinſeca; ſed exurgeret tantùm nova denominatio, ſeu reſpectus rationis ad rem futuram. Videt itaque Deus ex arce ſuæ æternitatis omnia immutabili intuitu, etiam illa quæ in ſe variantur, reſpicitque omnia in ſua differentia temporis.

IV. ASSERTIO. Scientia Dei cum creata analogicè tantùm convenit. Convenit enim, quòd vtraque certa & evidens, licèt in diſpari gradu. At diſcrepat ex parte ſubjecti, ex parte objecti, ex parte ſui, ex parte modi. Ex parte ſubjecti & ſui, quia ſcientia in nobis eſt tanquam accidens realiter diſtinctum, in Deo tanquam ſubſtantia. Deinde ſupponit in nobis multiplices conceptus, eorumdem compoſitionem, plura judicia & eorum comparationem cum regula dijudicandæ veritatis, & curſum mentis à veritate nota ad ignotam: ſcientia Dei caret iſtis omnibus nævis. Deus enim nec format plures conceptus, nec plura judicia, nec eadem componit; ſed veritatem conceptuum immediatè & connexionem judiciorum ac veritatum ſimpliciſſimo realiter actu, virtualiter tantùm multiplice, perfectiſſimè attingit; hinc nulla in Deo ignorantia, nullus error, nulla inadæquatio cognitionis cum objecto, nulla diſtinctio actus primi ab actu ſecundo. Ex parte modi ſcientia noſtra ſæpe confusè tendit in objectum, divina diſtinctiſſimè; illa dubitanter, hæc certiſſimè. Ex parte objecti, ſcientia noſtra à rebus ipſis hauritur, à quibus proinde pendet, & ſpeciem impreſſam mutuatur: divina non ducitur à rebus, quas cognoſcit, nec ab iis vt objecto movente, ſed purè terminante pendet; omnia quippe Deus cognoſcit, vt docet Dionyſius de divin. nom. cap. 7. *Non ex iis quæ ſunt, ea quæ ſunt, addiſcens, novit divina mens. Sed ſe ipſa & in ſe ipſa ſecundùm etiam ſcientiam, quæ omnium eſt cauſa*, &c.

§. II. *Partitio divinæ ſcientiæ.*

QUAMVIS ſcientia Dei ſit vnicus & realiter actus, tamen varia illius partitio fieri ſolet à Theologis tum ratione ſubjecti, tum ratione objecti, tum ratione modi & munerum, quibus circa res creatas defungi ſolet. Hinc

Prima partitio divinæ ſcientiæ ratione ſubjecti, fit in naturalem ſeu neceſſariam, & liberam. Naturalis eſt cognitio omnium poſſibilium, præveniens liberum decretum divinæ voluntatis, quæ convenit Deo independenter à libera ejus voluntate. Libera quæ ſupponit decretum liberum, ideóque definitur cognitio objecti pendentis à decretis Dei liberis. Prima dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ & neceſſaria: ſecunda viſionis & contingens, quæ licèt non poſſit non eſſe in Deo, quatenus phyſicè ſumitur, poteſt tamen non terminari ad aliquam veritatem, quæ potuit abſolutè non eſſe. Juxta hanc diviſionem ſcientia conditionata reducitur ad naturalem; ſed majoris claritatis causâ ſit

Secunda partitio, quæ fit ratione objecti, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſcientiam viſionis, & ſcientiam mediam. Ratio partitionis eſt, 1. quia Deus ab æterno cognovit infinitos ordines entium, quos creare poſſet, ſi vellet, nec tamen vnquam creabit. 2. Novit quid in ſingulis ordinibus futurum eſſet ex libero hominum & angelorum arbitrio, ſi vellet in his & illis circumſtantiis producere. 3. Elegit ex tot ordinibus hunc ordinem, qui fixus manet, qua electione facta, abſolutè & determinatè vidit omnia, quæ in

ipſo futura eſſent. Primus ordo dicitur ordo rerum purè poſſibilium, ſecundus rerum conditionatè futurarum, tertius rerum abſolutè futurarum. Primum cognoſcit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ſecundum per ſcientiam mediam; tertium per ſcientiam viſionis. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſimpliciter neceſſaria, nec potuit non eſſe, quia eſt ante omne decretum; ſcientia viſionis libera, potuitque non eſſe, quia eſt poſt decretum: ſcientia media ex vtraque mixta.

Tertia partitio fit ratione modi, in ſpeculativam & practicam. Speculativa eſt, quæ naturas rerum & proprietates ſpectat, & in ſola contemplatione acquieſcit: talis eſt cognitio, quam Deus de ſe habet, quæ ſimpliciter ſpeculativa dicitur, quia non eſt objectum operabile. Practica, quæ verſatur circa objectum operabile ex cognitione dirigentis, modo operabili, & ipſum ordinando ad finem operationis: quæ ſcientia pollet hac triplici conditione, dicitur ſimpliciter practica, ſicut ſcientia de Deo ſimpliciter ſpeculativa, quia nullam ex tribus iſtis conditionibus habet. Quæ autem caret aliqua ex iſtis conditionibus, juxta D. Thomam, ſecundùm quid ſpeculativa & ſecundùm quid practica appellatur. Quia tamen circa objectum primarium modo ſpeculativo verſatur, rectiùs ſpeculativa dicitur, quàm practica, quia à potiori parte fit denominatio.

Mitto alias diviſiones in ſcientiam abſtractivam & intuitivam, in ſcientiam ſimplicis notitiæ & ſcientiam approbationis. Abſtractiva verſatur circa rerum eſſentiam & proprietates abſ-

trahentes ab exiſtentia: intuitiva circa exiſtentiam rerum creatarum & attributa exiſtentiam conſequentia. Scientia ſimplicis notitiæ verſatur circa mala, quæ Deus non approbat, ſed cognoſcit tantùm: ſcientia approbationis verſatur circa bona, quæ Deus cognoſcit & approbat. Approbare autem Deus dicitur ea, in quibus ſibi complacet, quæ vel eligit, vel conſulit, vel imperat, vel efficit; ea autem reprobare, quæ vel reſpuit, vel vetat, vel impedit, vel deſtruit, quantùm eſt ex parte ſua.

Denique ſcientia Dei dicitur modò providentia ſeu præſcientia, quæ eſt de futuris; modò diſpoſitio, quæ eſt de faciendis; modò prædeſtinatio, quæ eſt de ſalvandis; ſed hæc diviſio ad normam Logicæ non exigitur. De partitione ſcientiæ tantùm, jam de variis ſpeciebus breviter, quantùm Philoſopho ſatis eſt.

§. III. *De ſcientia ſimplicis intelligentia.*

I. Observatio. Multa circa ſcientiam ſimplicis intelligentiæ quæri poſſunt. Primùm, quid ſit; ſecundum, circa quæ ſit; tertium, in quo medio cognoſcat objectum ſuum; quartum, an illud, hoc eſt, creaturas poſſibiles videat in ipſis creaturis; quintum, qualis ſit, & quæ illius nomina.

II. Observatio. Unum in alio cognoſci idem eſt ac vnum cognoſci vi propriæ cognitionis alterius; hinc 1. vtrumque per vnam & eandem cognitionem repræſentari debet, quia ſi

per geminam cognitionem attingas, quarum vna pendeat ab altera, tunc cognoſcis ex alio, non in alio. 2. Unum debet cognoſci per alterius cognitionem, prout eſt clara & expreſſa alterius repræſentatio: quia non per propriam, ſed per alterius ſpeciem cognoſcitur: v. g. dum calor cognoſcitur in igne per ſpeciem ignis propriam; & ita cognitio vnius in alio diſtinguitur a cognitione vnius cum alio, vt cum video Petrum & Paulum non longè à me diſtantes. Item à diſcurſu virtuali, qui licèt vna indiviſa cognitio ſit, quæ vni aſſentitur propter aliud, vtrumque tamen ſic repræſentat, vt quatenus tendit in vnum, non repræſentet alterum, ſed multiplici cognitioni æquivaleat, quarum vna determinet mentem ad aſſenſum alterius. Cognitio autem vnius in alio æquivalet geminæ cognitioni, quarum vna tendat in vnum objectum, & alia in aliud; & ita vtrumque indiviſibiliter attingit, vt quatenus tendit in illud, in quo aliud dicitur, alterum formaliter, indirectè licèt & velut ſecundariò, repræſentet.

III. Observatio. Ut objectum cognoſcatur, debet concurrere cum intellectu ad productionem conceptus: itaque debet cum ipſo vniri in ratione objecti, vt moveat vel per ſe ipſum, vel per ſui ſpeciem, aut formalem, quæ incognita ducat in cognitionem alterius, aut objectivam, quæ cognita, cognitionem objecti ingeneret, cujus perfectiones in ſe continet: vnde illud conſequens eſt nihil poſſe cognoſci niſi vel immediatè in ſe ipſo, vel in medio, quod ſit cognitum vel incognitum. His obſervatis, ſit

I. Assertio. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt certa & evidens cognitio rerum poſſibilium, quà talium, in eſſentia Dei perfectè comprehenſa, ſeu veritatis neceſſariæ & æternæ, ideſt, immutabilis & independentis à libera voluntate & ab omni differentia temporis : habet itaque res poſſibiles, quatenus cognoſcibiles Dei cognoſcibilitate tanquam medii & objecti motivi, & quatenus ſpectantur in ſtatu puræ poſſibilitatis, vt patet ex divo Thoma, qui docet art. 9. ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe eorum, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt; ſed poſſunt eſſe. Item habet pro objecto materiali primas & neceſſarias veritates, quas ſola terminorum apprehenſione pervidet : vnde intelligentiæ nomen habet, ſimplexque vocatur, vt diſtinguatur à diſcurſu formali. Pro objecto formali, divinam eſſentiam perfectè comprehenſam, vt poſtea oſtendemus. Hæc definitio diſtinguit ſcientiam ſimplicis intelligentiæ à ſcientia viſionis, vt patet, quia hæc verſatur circa res exiſtentes in aliqua differentia temporis, & à media, quæ conditionatam rerum exiſtentiam conſiderat; eſt enim cognitio objecti ex hypotheſi futuri.

II. Assertio. Datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Deo. Probatur : tam latè patet ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quàm omnipotentia; debet enim comprehendere omnipotentiam : ergo & effectus ab ipſa producibiles, etiam qui de facto nunquam producendi ſunt. 2. Debet Deus cognoſcere antecedenter ad omne decretum, omnes creaturas quæ eſſe poſſunt; alioqui non poſſet velle aliquas producere, &

alias in ſtatu puræ poſſibilitatis relinquere. Dei enim voluntas non fertur in incognitum: at per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit ejuſmodi creaturas poſſibiles: ergo datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Deo.

III. Assertio. Deus cognoſcit creaturas poſſibiles in ſeipſo tanquam in ſpecie objectiva, ſeu in eſſentia, vt æquivalet ideæ. Ita D. Thomas poſt D. Dionyſium, qui lib. de divin. nom. cap. 7. diſertè hanc doctrinam tradit. *Non enim ex rebus ipſis res diſcens, novit eas divina mens, ſed ex ſe ipſa & in ſe ipſa ſecundùm cauſam omnem ſcientiam & notionem & eſſentiam præhabet & antè comprehendit; non ſingulis ſecundùm cujuſque ſpeciem intendens, ſed ſecundùm vnicam cauſæ complexionem cuncta ſciens & continens.* Deinde ſubdit: *Seipſam igitur divina ſapientia noſcens, ſciet omnia materialia ſine materia, & indiviſè diviſibilia, & vnicè multa.* Ex hoc D. Dionyſii loco habes 1. Deum ſcire omnia per cauſam rerum omnium; 2. vno cauſæ intuitu omnia ſcire, quòd vna cauſæ complexione omnia contineat; 3. divinam ſapientiam ſeipſam noſcendo, omnia materialia ſine materia noſſe: ergo Deus quatenus eſt cauſa rerum omnium & idea, eſt ſibi cauſa cognoſcendi res omnes. Dionyſ. ſuffragatur Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad litt. cap. 23. *Multùm intereſt, inter cognitionem rei cujuſque in verbo Dei & in natura ejus, vt illud meritò ad diem pertineat, hoc ad veſperam. In comparatione enim lucis illius, quæ in verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in ſe ipſa novimus, non immeritò nox dici poteſt.* Vides hìc ab Auguſtino duplicem cognitio-

nem diſtingui; alteram, quam vocat matutinam, & qua in ſapientia tanquam in arte cognoſcit omnia: alteram veſpertinam, qua in ſeipſis cognoſcuntur, quæque decoloratior eſt; & vtramque angelis tribuere: ergo virtus Dei actuoſa eſt ratio ſufficiens Deo & angelis cognoſcendi creaturas.

Probatur ratione, 1. ex parte Dei: perfectiſſimo intelligenti debetur perfectiſſimus modus cognoſcendi creaturas poſſibiles: modus cognoſcendi creaturas poſſibiles in cauſa ſua, eaque altiſſima, cujuſmodi eſt eſſentia Dei vt imitabilis à creaturis ſeu omnipotentia Dei, eſt perfectiſſimus, quippe qui ſupercomprehenſivus ſit; eſt enim cognitio effectuum in infinita cauſa perfectè comprehenſa: vnde ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſapientia dicitur.

2. Ex parte creaturarum cognitarum. Ut enim creaturæ continentur realiter in Deo ſecundùm eſſe reale, ita continentur intentionaliter in Deo intentionaliter ſumpto, ſecundùm eſſe intentionale; id eſt, cognito.

3. Ex parte connexionis omnipotentiæ cum creaturis poſſibilibus. Ut aliquid cognoſcatur in alio vt medio & objecto formali, ſufficit connexio neceſſaria & continentia: omnipotentia Dei continet eminenter omnia poſſibilia, & cum illis neceſſariò connexa eſt: ergo omnipotentia poteſt eſſe medium, in quo cognito Deus cognoſcat poſſibile.

Denique Deum cognoſcere creaturas poſſibiles in ſeipſo vt in cauſa efficiente, eſt Deum præciſè vi cognitionis, qua perfectè videt ſe eſſe cauſam efficientem creaturarum omnium, ea

diſtinctè cognoſcere ſecundùm propriam cujuſque differentiam; ita vt ad illas diſtinctè repræſentandas ſatis ſit ſola ſpecies intelligibilis Dei, quatenus eſt cauſa eorum effectrix: Deus præcisè vi cognitionis, qua ſe ipſum perfectè repræſentat vt cauſam efficientem creaturarum omnium, eas diſtinctiſſimè cognoſcit, immo & ſupercomprehendit; cauſa enim efficiens adæquata perfectè cognoſci non poteſt, quin effectus illius cognoſcatur.

Hinc Deus eſt objectum primarium ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ; creaturæ autem ſecundarium, & quidem materiale. Dei quippe cognitio tendit in Deum tanquam in objectum formale cognitum, & ſecundariò in creaturas tanquam in objectum materiale, juxta illud Dionyſii: *Deus ea quæ ſunt, neſcit, non rerum notitiâ, ſed ſui.* Tum quia hæc lex eſt inter objectum materiale & formale poſita, vt materiale non cognoſcatur niſi propter objectum formale priùs cognitum: tum quia quidquid cognoſcitur per ſuam cauſam eadem cognitione cognitam, cognoſcitur vt objectum materiale. At

Dices 1. Si Deus cognoſceret creaturas in ſeipſo tanquam in medio cognito, eſſet connexio neceſſaria inter Deum & creaturas poſſibiles: non eſt connexio neceſſaria inter Deum & creaturas poſſibiles, quia exiſtentia Dei non eſſet magis neceſſaria, quàm poſſibilitas creaturarum. 2. Deus non cognoſceret creaturas quidditativè & perfectè vt in ſe ſunt. Quod enim continetur in alio vt cognito, non cognoſcitur quidditativè & perfectè. 3. Creaturas Deus non cognoſceret ſecundùm differentias ſpecificas & individuantes, quia

ejuſmodi differentiæ ſunt modi quidam & limitationes generis aut ſpeciei, qui includunt negationes, quibus vna creatura negat alteram; negationes autem in Deo non ſunt.

Reſp. ad 1. concedo eſſe connexionem neceſſariam inter Deum & creaturas poſſibiles, adeóque Deum non poſſe intelligi exiſtere, ſi ſupponantur creaturæ phyſicè impoſſibiles; phyſica enim creaturarum poſſibilitas eſt ipſe Deus. Hinc D. Thomas quæſt. 2. de verit. a. 5. ad 11. *Nihil deperit Deo, ſi creatura non ponantur in eſſe; deperit tamen, ſi auferatur poſſibilitas ponendi creaturas.* Nec tamen Deus deſinit eſſe ens ſummè neceſſarium & independens ab omni alio quàm à ſe ipſo: quia poſſibilitas creaturarum phyſica nihil eſt præter Deum.

Ad 2. nego ſequelam. Ad probationem diſt. quod continetur in alio vt cognito inadæquatè continente, non cognoſcitur quidditativè, eſto; in alio adæquatè & perfectò continente, nego. At Deus continet creaturas adæquatè & totaliter. Ad 3. quamvis creaturæ ſecundùm ſpecificas & individuales differentias negationem includant, tamen fundamentaliter ſumptæ, ſunt aliquid poſitivum, vtpote participationes quædam perfectionis divinæ, quæ in ſuo fonte totalis eſt, ſed partialis extra fontem. Porrò Deus habet perfectiones creaturarum, ſed ſine negatione & partialitate, quæ eſt fundamentum proximum negationis; ſed habet vim efficiendæ partialitatis illius, quod ſufficit.

Quæres an omnipotentia Dei ſit ratio primaria cognoſcendi creaturas poſſibiles. Ut huic quæſtioni fiat ſatis, ſit

Unica Observatio. Potentia Dei non eſt activa per modum naturæ, ſed per modum artis: quia eſt virtus intellectualis agens dependenter à cognitione dirigente & voluntate imperante. Hinc potentia Dei ex tribus coaleſcit; ex idea dirigente, ex voluntate imperante, & ex potentia exequente; quæ tria in Deo idem ſunt, vt docet D. Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 1. ad 4. *Potentia*, ait, *non ponitur in Deo vt aliquid differens à ſcientia & voluntate ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundùm rationem: in quantum potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit.* Hinc quidam Theologi diſtinguunt potentiam principalem à potentia purè exequente, ita vt potentia principalis duo includat, & eſſentiam divinam quaſi primum & radicale exemplar, & ideas quaſi formale & proximum exemplar.

Reſp. potentiam vt exequentem, non eſſe rationem proximam Deo cognoſcendi creaturas poſſibiles: quia vt talis, non eſt proximè & completè potens ad producendas creaturæ poſſibiles; cauſa enim non poteſt concipi proximè capax producendi alicujus effectus determinati, niſi concipiatur effectus poſſibilis: effectus determinatus non poteſt concipi poſſibilis, niſi poſitis conditionibus requiſitis, vt proximè produci poſſit, cujuſmodi ſunt præcontinentia in cauſa, idea rei faciendæ, & voluntas imperans; aliunde potentia activa ad extra præſupponit cognitionem poſſibilium, adeóque non poteſt eſſe primaria ratio cognoſcendi creaturas.

Reſpondeo 2. Deum in ſe tanquam in cauſa exemplari, hoc eſt, in eſſentia ſua tanquam in

primo & radicali exemplari, & in Verbo vt eſt actualis & expreſſa ſimilitudo creaturarum, tanquam in formali & proximo exemplari creaturas poſſibiles cognoſcere. Ratio eſt, quia hoc ipſo quòd cognoſcit Deus ſe eſſe cauſam exemplarem creaturarum, cognoſcit diſtinctè omnes modos, quibus perfectiones ipſius creaturæ imitari poſſunt. Cùm enim cognoſcit eſſentiam ſuam vt ſic imitabilem à creatura, & expreſſam in Verbo vt eſt ſimilitudo creaturarum, cognoſcit eam vt propriam rationem & ideam hujus creaturæ; ſe enim ſic intuendo, cognoſcit ſe eſſe infinitè perfectum; ergo ratione illius infinitudinis, ſe imitabilem à creatura innumeris modis, quamvis non ſupponantur aliunde creaturæ poſſibiles cognitæ. Itaque Deus cognoſcit perfectè eſſentiam ſuam, & Verbum ſuum, vt eſt expreſſa ſpecies creaturarum, in qua relucent ſecundùm ſuum eſſe naturale: in eſſentia perfectè comprehenſa & in Verbo cognoſcit eſſentias creaturarum, in eſſentiis creaturarum cognoſcit proprietates immediatas, & in immediatis mediatas, & à primis ortas, adeóque omnes neceſſarias veritates. Hæc doctrina ſupponit verbum procedere ex divina eſſentia vt ex perfecta ſimilitudine creaturarum.

Quæres 1. an cognoſcat creaturas in ſe ipſis tanquam in objecto. Reſp. non cognoſcere creaturas in ſe ipſis tanquam in objecto motivo; ſed ad ſummum tanquam terminativo. Ratio eſt primæ partis, quia ſi Deus haberet creaturas pro objecto motivo, penderet ab ipſis; menſuratum enim pendet à menſura: at implicat Deum pendere à creatura. Ratio ſecundæ, quia cogno-

ſcit illas in ſe ipſis eodem modo, ac ſi moveretur immediatè ab illis. Quanquam D. Thomas & Suares Granat. docent Deum creaturas in ſemetipſis non cognoſcere immediatè. Certè D. Thomas quæſt. 2. de veritate, art. 3. ad 5. expreſſè hanc doctrinam tradit: *Deus ſeipſum tantùm cognoſcit in ſeipſo; alia verò in ſe ipſis cognoſcit, ſed cognoſcendo ſuam eſſentiam; & ſecundùm hoc Philoſophus dixit, quòd Deus ſe ipſum tantùm cognoſcit.* Et 1. part. quæſt. 14. art. 5. in reſp. ad 1. *Dicendum, quod verbum Auguſtini dicentis, quòd Deus extra ſe nihil intuetur, non eſt ſic intelligendum, quaſi nihil quod extra ſe ſit, intueatur; ſed quia id quod eſt extra ſe ipſum, non intueatur niſi in ſe ipſo.* Unde ſic argumentor: Deus id quod eſt extra ſeipſum, non intuetur niſi in ſe ipſo, & alia à ſe videt non in ipſis, ſed in ſe ipſo: ergo non videt creaturas in ſeipſis immediatè, ſed tantùm in ſe ipſo per ſpeciem ſui ipſius.

Reſpondent Deum non videre creaturas in ſe ipſis, hoc eſt, per ſpecies ab iis acceptas, ſed per ſuam eſſentiam, quatenus ſe ipsâ propter vim infinitam repræſentandi, perinde repræſentat creaturas, ac ſi propriam ſingularium ſpeciem in ſe haberet. Contrà. Divus Thomas quando explicat quid ſit cognoſci rem in ſe ipſa & cognoſci in alio, non pugnat rem cognoſci in ſe ipſa, idem eſſe ac cognoſci per ſpeciem ab illa hauſtam; neque rem cognoſci in alio, idem eſſe ac cognoſci per ſpeciem acceptam ab alio. Sed ait tunc rem cognoſci in ſe ipſa, cùm per ſpeciem propriam & adæquatam ipſius cognoſcibilitati attingitur; tum autem cognoſci in alio, quando cognoſcitur per ſpeciem alterius: ergo

hæc interpretatio non eſt ad mentem D. Thomæ, docentis Deum non aliter cognoſcere creaturas, quàm quatenus ſeipſum cognoſcit; ita vt ipſa Dei eſſentia ſit ipſa ratio objectiva omnia cognoſcendi, vt rectè argumentatur Joannes Ferrerius.

Deinde hæc cognitio eſt impoſſibilis, indigna Deo & inutilis. Impoſſibilis, quia implicat Deum habere creaturas pro objecto motivo; haberet autem, ſi cognoſceret immediatè in ſeipſis. Indigna Deo, 1. quia nihil includit ſupra cognitionem creaturarum in Deo tanquam in cauſa præter meram imperfectionem, nempe carentiam repræſentationis perfectioris, quæ ipſas repræſentat in cauſa: vnde cognitio illa ab Auguſtino dicitur *veſpertina*, *nocti ſimilis & decoloratior*: tum quia illa cognitio non eſt perfectior objecto, cujus eſt imago quædam intentionalis, & cui commenſuratur; creatura autem finita; igitur & cognitio, quæ ipſam in ſe ipſa repræſentat immediatè, Deo indigna. Denique inutilis: quia præter eam datur alia, quæ continet formaliter aut eminenter omnem illius perfectionem, nempe cognitio ſupercomprehenſiva creaturæ; quia eſt infinitè perfecta in ratione cognitionis, vtpote Dei comprehenſiva, qui eſt infinitè perfectus in ratione objecti; cognitionis autem tanta eſt perfectio, quanta eſt objecti cognoſcibilitas.

Objicies 1. Cognitio creaturarum in ſeipſis, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo Deo tribuenda. 2. Creaturæ ſunt per ſe intelligibiles: ergo ſine medio cognoſci poſſunt à Deo in ſeipſis.

Ad 1. nego ant. tum quia illa cognitio ex

modo tendendi eſt imperfecta ; tum quia non ſuperat objecti ſui cognoſcibilitatem : tum quia non poteſt eſſe creaturæ perfectè comprehenſiva, quia non cognoſcit ejus capacitatem obedientialem : tum quia cognitio creaturæ in ſua cauſa exemplari perfectior eſt, quàm cognitio creaturæ immediata.

Inſtabis : intellectus Dei eſt infinitus : ergo debet cognoſcere creaturas omni cognitione, qua ſunt cognoſcibiles : at ſunt in ſe immediatè cognoſcibiles. Reſp. diſt. conſ. ergo debet cognoſcere eo modo, quo ſunt cognoſcibiles, & qui Deum deceat, concedo ; qui non deceat, nego. Certè probaret argumentum ſi quid valeret, Deum creaturas debere cognoſcere per diſcurſum, quod tamen falſum. Satis itaque eſt quòd cognoſcat modo infinitè perfecto, quatenus eas in ſe cognito ſupercomprehendit. Hæc tamen ſententia eſt ſubtilium Theologorum ; quam ſequi volueris, tua erit optio.

§. IV. *Affectiones ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.*

SCIENTIA ſimplicis intelligentiæ non una dos eſt & affectio, ſed multiplex : ſit itaque

Prima. Eſt cauſa rerum. Ut probetur hæc propoſitio, ſit

1. Pronuntiatum. Datur in Deo verè ac propriè ſcientia practica, quæcumque illa ſit : quia duplex operatio eſt in Deo practica, decreta nempe libera & operationes, quibus producit

creaturas : ergo debent dirigi à ſcientia practica ; decreta quidem à prudentia Dei infinita, ſtatuit enim vt prudens; operationes autem, quibus producit creaturas vt artifex, à ſcientia practica, quæ & ars dicitur, quia eſt recta ratio efficiendi ea quæ ſunt extra Deum.

II. Pron. Scientia Dei practica circa operationes creaturarum, eſt verè cauſa rerum. Prob. 1. Proverb. 1. *Dominus ſapientiâ fundavit terram, & ſtabilivit cælos prudentiâ.* Et Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* 2. Ex Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 13. *Vniverſas creaturas ſuas, non quia ſunt, novit; ſed ideo ſunt, quia novit.* Deinde ſubjungit rationem : *Non enim neſcivit quod fuerat creaturus*; quia ergo ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit. Probatur ratione : omne agens intellectuale agit ex cognitione, quia voluntas non fertur in incognitum : Deus eſt agens intellectuale, & quidem perfectiſſimum : ergo ex cognitione ſeu ex idea dirigente agit. Cauſat igitur Deus res extra ſe per ſcientiam, quatenus ſcientia divina dirigit per ſe immediatè voluntatem, & applicat potentiam exequentem ad opus, juxta illud Hugonis à ſancto Victore : *Voluntas movet, ſcientia diſponit, potentia operatur.*

III. Pron. Scientia Dei practica non eſt cauſa actualis rerum, quas Deus extra ſe producit, niſi accedente liberò voluntatis divinæ decreto. Ratio eſt, quia ſcientia Dei practica ſecundùm ſe indifferens eſt ad oppoſita, hoc eſt, ad producendum vnum vel aliud ex duobus oppoſitis : ergo debet determinari ab aliquo decreto divinæ voluntatis, vt vnum potiùs quàm alterum producat.

IV. Pron. Scientia Dei eſt practica per modum artis in ordine ad creaturas omnes, ſi actiones hominum & angelorum liberas excipis; quia ſcientia divina relata ad ejuſmodi creaturas, eſt recta ratio factibilium, quorum directio tranſit in exteriorem materiam, habetque pro fine opus, non actionem honeſtam. Hinc Sap. 7. Ipſa ſapientia vocatur *omnium artifex*; & ab Auguſtino lib. 11. de Civit. cap. 21. *Verbum Dei ars* dicitur. *Nec auctor*, inquit, *excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo.*

V. Pron. Scientia divina practica eſt per modum prudentiæ in ordine ad actiones liberas cùm hominum, tum angelorum. Ratio eſt, quia dirigit illas, quatenus honeſtate aliqua informari poſſunt.

VI. Pron. Scientia Dei eſt practica per modum prudentiæ, tum œconomicæ, tum civilis, ſeu politicæ ſaltem, ſi non ſit per modum Ethicæ. Patet prima pars: quia Deus actiones ſuæ domus ſeu familiæ, quæ eſt Eccleſia, per ſuam prudentiam dirigit. Sed præſertim gregem prædeſtinatorum vt pater benevolentiſſimus regit ac moderatur ſuâ prudentiâ; hinc ſe comparat patrifamilias in Scripturis; & Paulus Coloſſ. 4. Eccleſiam *domum Dei vocat.*

Patet ſecunda; Deus enim quantum eſt ex parte ſuarum legum & auxiliorum, quæ hominibus ſufficit, mundum & homines etiam infideles & reprobos dirigit ad bonum honeſtum & ad finem totius reipublicæ creatæ, quæ eſt major Dei gloria. Et verò Deo, priùs ratione, quàm ipſius voluntas eligat actionem, dictat divinus intellectus illam actionem conducere vel ad pe-

culiare bonum prædeſtinatorum, vel totius Eccleſiæ, vel ad bonum totius vniverſi, quod ad bonum prædeſtinatorum refertur. At primum præſtat per prudentiam œconomicam, ſecundum verò per politicam: vnde in Scripturis Deus dicitur rex, legiſlator; & mundus, regnum, imperium, &c. Hinc Proverb. 3. *Dominus ſapientiâ fundavit terram, ſtabilivit cælos prudentiâ.*

Dixi, ſi non per modum Ethicæ: quia cenſet Didacus Ruiz, cùm Ethica proprias actiones agentis dirigat, nulla autem actio Dei interna poſſit dirigi ad honeſtatem, quæ illi eſſentialis eſt, ac proinde à ſua regula deflecti non poſſit, prudentiam quà Ethica eſt, non eſſe in Deo. Si tamen ſumuntur operationes Dei vt liberæ, & quatenus aliter ſe habere potuerunt circa varias ſpecies honeſtatis, alii Ethicæ prudentiæ aliquatenus ſubeſſe volunt.

VII. Pron. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt verè cauſa creaturarum per modum dirigentis. Ita D. Thomas. hîc quæſt. 14. art. 8. vbi ſic ratiocinatur: ſcientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificialia: vnde ſicut ſcientia artificis ſeu ars eſt recta ratio rerum factibilium, vt ait Ariſtoteles 6. Eth. id eſt, principium, quo artifex extra ſe cum regula operatur; ita ſcientia Dei eſt principium, quo Deus res extra ſe producit cum quadam ratione recta & intelligibili. Unde ſic argumentor: ſcientia, quæ ſupremum artificem dirigit in rebus condendis & ſapienter ordinandis, eſt ſcientia idearum, quatenus ideæ ſunt rationes rerum factibilium aut agibilium: at talis eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quia

ſcientia idearum vt ſunt rationes rerum factibilium aut agibilium, eſt naturalis & neceſſaria in Deo, præitque libero Dei decreto, eſtque indifferens ad oppoſita: ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ dirigit Deum vt ſupremum artificem. Deinde ſcientia Dei cauſat res, quas Deus extra ſe producit, quatenus dirigit voluntatem, proponendo finem propter quem fieri debent, & modum quo fieri debent: id vni ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ convenit: ergo, &c. Denique eſt ſcientia aliqua in Deo, quæ ſit cauſa rerum per modum dirigentis: ergo vel ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vel ſcientia viſionis. Non ſcientia viſionis, vt poſtea oſtendam: ergo ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa rerum per modum dirigentis.

VIII. Prop. Scientia ſimplicis intelligentiæ etiam practica eſt reſpectu rerum poſſibilium, quæ nunquam erunt, quantùm ad rationem ſcientiæ practicæ intrinſecam: quia habet conditiones ſcientiæ practicæ; eſt enim 1. circa objectum operabile, 2. dictat modum, quo res fieri poſſit, 3. per ſe apta eſt dirigere ad operationem tanquam ad finem proximum. Nec enim eſt de eſſentia practicæ ſcientiæ, vt actu operetur; deeſt tamen illi finis extrinſecus ſeu actualis productio creaturarum; quo ſenſu explicabis D. Thomam, dum ait quæſt. 14. art. 16. *De his, quæ poteſt quidem facere, ſed nullo tempore facit, non habet practicam ſcientiam, ſecundùm quòd practica ſcientia dicitur à fine*, nempe actu acquiſito. Porrò ſatis eſt ad ſcientiæ practicæ rationem, proponere voluntati modum practicum fabricandi operis, licèt actu non dirigat

voluntatem. Sed de prima affectione ſcientiæ ſimplicis notitiæ ſatis. Jam de ſecunda.

Secunda. Scientia ſimplicis notitiæ modò ſapientia, modò prudentia, modò ars, modò ſcientia dicitur. Sapientia dicitur, quia per altiſſimam cauſam, hoc eſt, per eſſentiam divinam cognoſcit omnia; ars, vt eſt recta ratio factibilium; prudentia, vt eſt recta ratio agibilium; ſed detractis imperfectionibus, quæ ſapientiæ, arti & prudentiæ humanæ conveniunt. Nam vt eſt ſapientia, non cognoſcit per altiſſimas cauſas diſcurrendo formaliter; vt ars, non indiget materia & inſtrumentis, nec acquiritur experimento & diſcurſu; vt prudentia, non conſultat de mediis, nec eadem confert inter ſe, nec incerta eſt, an finem quem efficaciter intendit, adeptura ſit, necne: hi quippe nævi ſunt ſcientiæ creatæ.

Tertia. Maxima illius evidentia & certitudo ex parte veritatis, quæ eſt æterna; ex parte medii, quod eſt eſſentia Dei omnino neceſſaria; ex parte modi, quo medium cognoſcitur, quæ eſt comprehenſio eſſentiæ divinæ, in qua veritas creata ſupercomprehenditur; vnde illius certitudo eſt in ſupremo gradu.

Quarta. Eſt purè ſpeculativa in ordine ad Deum; practica ſimpliciter reſpectu creaturarum quæ à Deo procedantur, & ſpeculativa ſecundùm quid reſpectu earum creaturarum, quæ poſſunt fieri, & nunquam fient. Intuitiva ſimpliciter, qua parte Deum reſpicit, quia eſt cognitio Dei tanquam exiſtentis per propriam ſpeciem: qua verò parte reſpicit creaturas, eſt intuitiva ſecundùm quid, quia eſt quidditativa

&

& ſecundùm propriam ſpeciem, ſed non conſiderat creaturas exiſtentes; & ita poteſt dici abſtractiva. At

Quæres, an ſcientia ſimplicis intelligentiæ, dum videt omnia poſſibilia, videat infinitum actu.

Reſp. videre infinitum ſyncategorematicè, non categorematicè; quia videt res vt ſunt poſſibiles, at ſunt poſſibiles vt hoc & aliud, non vt hoc & hoc actu determinato. Vide quæ de hac quæſtione diximus tom. 2. Phyſ. vniv. p. 3. diſp. 2. de infin. a. 3. §. 2.

§. V. *De ſcientia viſionis.*

MULTA hîc de ſcientia viſionis examinanda. 1. Quid ſit, 2. de quibus rebus ſit, 3. qualis ſit, 4. in quo Deus videat futura contingentia, 5. an libertati officiat. Quæ omnia ſtrictim attingemus, quia jam in Logica pluribus quæſtionibus defuncti ſumus.

I. ASSERTIO. Scientia viſionis eſt, quæ Deo repræſentat quidquid exiſtit in aliqua differentia temporis, ſive præteritum ſit, ſive præſens, ſive futurum. Sed quoniam per eam Deus alias res aſpicit, alias proſpicit, alias reſpicit; aſpicit præſentes, proſpicit futuras, reſpicit præteritas. Quà aſpicit præſentes, dicitur viſio; quà proſpicit futuras, dicitur prævisio ſeu præſcientia; quà reſpicit præteritas, reviſio ſeu memoria. Quanquam ſi ſtrictè loquamur, in Deo nec præſcientia, nec memoria eſt: quia omnia illi ſunt præſentia in mundo ideali, ſupponente pro mundo reali. , vt mox explicaturi ſumus. *Nec enim*, ait Auguſtinus lib. 7. de prædeſt. & grat. cap. 3. *Deus reminiſcens volvitur in præteritum,*

nec ſperans procidit in futurum. Et in Pſalm 88. *Neque oblivio cadit in Deum; quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia non obliviſcitur.*

Diſtinguitur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quòd hæc ſit rerum poſſibilium, quà talium, abſtrahendo ab exiſtentia illarum in quacunque differentia temporis, illa autem circa res in aliqua differentia temporis exiſtentes verſetur; vnde quidquid exiſtit contingenter, nullo excepto, quandocunque tandem exiſtat, per illam ſcientiam repræſentatur: ſecus enim ſi quid contingenter exiſteret, quod per illam non repræſentaretur, aliquid exiſteret, quod Deus ignoraret. A ſcientia media, quòd hæc ſit cognitio objecti poſſibilis, ex hypotheſi futuri; illa verò ſit cognitio objecti abſolutè futuri. Dicitur etiam libera, quia eſt cognitio objecti, pendentis à decretis Dei liberis.

Aliter definitur ſcientia viſionis à Didaco Ruiz, ſcientia Dei, prout intelligit quaſlibet & ſolas propoſitiones contingentes & non abſtrahentes à tempore. In quo diſtinguitur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ verſatur circa propoſitiones neceſſarias & abſtrahentes ab omni tempore.

II. ASSERTIO. Scientia viſionis partim practica eſt, partim ſpeculativa. Probatur: quia ſub vno reſpectu eſt cauſa rerum, per modum imperii efficacis, & ſub altero operationem jam factam ſpeculatur. Sub primo reſpectu eſt practica, quia ſic eſt cauſa objecti ſui externi ſeu terminativi: ſub ſecundo ſpeculativa eſt, quia per eam Deus videt ſua opera jam facta, juxta illud Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, &*

erant valde bona. At hæc viſio non pertinet ad ſcientiam neceſſariam : quia vt Deus ex neceſſitate nihil extra ſe patitur , ita ex neceſſitate nihil extra ſe videt : ergo ſcientiæ viſionis extrinſecùs conſummatæ hoc munus eſt.

Jam vt probetur quòd ſcientia viſionis ſit cauſa rerum per modum imperii efficacis, quinque diſtinguenda in artifice ; 1. cognitio idearum, quæ ſunt rationes & quaſi regulæ faciendi operis ; 2. voluntas format decretum , has vel illas rationes operis faciendi determinans ; 3. vi illius decreti ſequitur actus intellectus practici, qui dicitur ordinatio & imperium ; 4. exiſtit executio , quæ eſt à potentia executrice ; 5. exiſtit viſio operis jam facti & inſtituti. Hic porrò ordo innuitur à D. Thoma, ac præſertim actum imperii eſſe neceſſarium pugnat in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. in corpore. *Sicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam , ita conſideranda eſt cauſalitas divinæ ſcientiæ. Eſt ergo iſte proceſſus in productione artificiali. 1. Scientia artificis oſtendit finem , 2. voluntas ejus intendit finem illum , 3. voluntas imperat actum , per quem educatur opus , circa quod opus ſcientia artificis ponit formam conceptam.* Ubi S. Doctor tribuit imperium voluntati in quantum vis appetitiva movet rationem imperantem , vt ait 1. 2. quæſt. 17. art. 2. Ex quibus ſic arguo : datur aliqua ſcientia in Deo, quæ ſit cauſa rerum per modum imperii , quia iſtud imperium , *Fiat lux* , de quo dicitur Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt ; ipſe mandavit , & creata ſunt ;* eſt actus alicujus ſcientiæ , non ſimplicis intelligentiæ , quæ naturalis & neceſſaria ; imperium autem illud eſt liberum : ergo ſupereſt vt ad

ſcientiam viſionis quæ libera eſt, pertineat. Accedit auctoritas D. Auguſtini lib. 13. Confeſſ. cap. 38. *Nos itaque iſta quæ feciſti, videmus, quia ſunt; tu autem, quia vides, ea ſunt.* Et D. Gregor. lib. 20. Mor. cap. 13. *Nam ea quæ ſunt, non ab æternitate ejus videntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* Porrò licèt ſcientia viſionis ſit cauſa rerum per modum ordinationis & imperii, non ideo tollit libertatem, quia non antecedit liberum vſum voluntatis; ſed ſequitur ſcientiam conditionatam, per quam prævidetur effectus liberè futurus: v. g. imperium efficax divinæ voluntatis, quo Deus dicit, volo concurrere ad negationem Petri, ſequitur ſcientiam conditionatam, per quam prævidetur Petrus ſe ad negandum liberè determinaturus. Scientia verò ſimplicis intelligentiæ practica quidem eſt & antecedens voluntatis noſtræ vſum; ſed ex ejus poſitione non vnum potius quàm aliud in effectibus liberis ſequitur.

III. Assertio. Datur ſcientia viſionis in Deo. Probatur: ſcientia viſionis eſt ea, qua Deus videt ab æterno res in ſua differentia temporis exituras, ſive neceſſariò futuræ ſint, ſive liberè: datur illa ſcientia in Deo: ergo datur ſcientia viſionis in Deo. Probatur minor, Danielis 13. *Deus qui noſti omnia, antequam fiant*; & Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti*: ergo datur ſcientia in Deo omnium quæ futura ſunt. Scripturæ concinit Fulgentius in lib. de fide ad Petrum: *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites Deo non ſolùm præterita & præſentia, ſed etiam futura omnia*

notiſſima. Et verò fac hanc ſcientiam in Deo non quâ fuiſſe, ab æterno, qua cognoſcit v.g. hanc chartam exiſtere hodie; fuit igitur aliquod tempus, in quo hanc ſcientiam non habebat: at tunc cùm illam non habebat, non cognoſcebat hanc chartam exiſtere hodie: ergo ignorabat futuram. Ratio eſt, quia ſcientia Dei infinita cùm ſit, omnia quæ ſciri poſſunt, perfectiſſimè cognoſcit: at res exiſtentes in aliqua differentia temporis ſunt aliquid ſcibile: ergo Deus eas perfectiſſimè cognoſcit. Sed quoniam de futuris contingentibus paulò difficilior quæſtio eſt, ſit

IV. Assertio. Deus ab æterno certò & infallibiliter futura contingentia ſeu actus omnes liberos, à qualibet voluntate creata ponendos novit. Hæc concluſio eſt de fide, adeóque certa apud SS. Patres, vt inſaniæ apertiſſimæ arguat Auguſtinus, qui Deum præſcium futurorum contingentium neget. *Confiteri*, inquit, lib. 5. de Civit. *eſſe Deum & negare præſcium futurorum, apertiſsima inſania eſt.* Immo & Deum deſtruere funditus addit, qui certam futurorum prænotionem Deo abjudicat *Qui Deum negat præſcium futurorum, nihil aliud dicit, quàm ille inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus; qui enim non eſt præſcius futurorum omnium, non eſt vtique Deus.*

Probatur ratione multiplici, 1. quia Deus tum per ſe, tum per ſuos Prophetas futura contingentia certò non ſemel prædixit: vnde Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 5. ait *Deum tot habere teſtes præſcientiæ, quot miſit Prophetas.* 2. quia Deus non minùs certò præſcit actus à voluntate mea liberè producendos, quàm cognoſcit actus, qui actu ponuntur: cognoſcit cer-

tò actus, qui à voluntate mea ponuntur actu; aliàs neſciret aliquid, quod etiam ab homine ſcitur. Nam tum cùm elicio actum amoris, vtique cognoſco me amare: ergo etiam præſcit certò actus à mea voluntate liberè producendos. Probatur major. Ideo Deus certò cognoſcit actum voluntatis, quem nunc liberè pono, quia ex parte ſua habet cognitionem infinitam, quæ ex ſe apta eſt ad repræſentandam omnem veritatem, & ex parte mei, verum eſt, quòd ponam talem actum liberè: at fuit in Deo eadem cognitionis infinitudo, vi cujus poſſit repræſentare omnem veritatem, & aliunde, ponam hunc actum liberè craſtina die: ergo par vtrobique ratio, nec minùs certò Deus præſcit actus liberè à voluntate mea producendos, quàm eos qui à me jam nunc producuntur.

Confirmatur: quia Antichriſtum peccaturum, Petrum Chriſtum negaturum, eſt aliqua veritas: ergo debet ſciri à Deo ab æterno, quia cùm ſit infinitè intelligens & eſſentialiter determinatus ad omnem veritatem repræſentandam: vtique certò præſcire debet ejuſmodi veritates. Et verò cùm Deus ſit prima veritas, & eſſentialis veritas, nec poteſt falli in cognoſcendo, nec fallere in dicendo, adeóque cognitio, quam habet de quolibet objecto, certiſſima prorſuſque infallibilis eſt. At quæruntur hîc duo, quæ difficiles habent explicatus: alterum, in quo Deus certò videat futura contingentia; alterum, an præſcientia Dei libertati officiat. Prima quæſtione defungi impræſentiarum ſatis fuerit; nam ſecundam exhauſimus tom. 2. Logic. part. 5. diſp. 2. art. 2. §. 3. Sit itaque

V. Assertio. Deus non cognoſcit certò futura contingentia in cauſa ſua proximè ad agendum completa, ſeu in complexione cauſarum, quæ ad actum liberum concurrunt. Hæc aſſertio eſt D. Thomæ 1. part. quæſt. 14. art. 13. vbi hanc quæſtionem pluribus diſputat, aitque futurum contingens conſiderari poſſe vel in ſe ipſo, ſecundùm quod actu eſt, & ita determinatum eſſe ad vnum: vel vt eſt in ſua cauſa, & ſic conſideratum non eſſe determinatum ad vnum: quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita; ac deinde ſubdit: *Et ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni: unde quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi conjecturalem cognitionem, Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm prout in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnum quodque eorum eſt actu in ſe ipſo.* Rem adhuc clariùs definivit in reſponſione ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quòd licèt contingens non ſit determinatum, quandiu futurum eſt, tamen ex quo productum eſt in natura, veritatem determinatam habet: & hoc modo ſuper illud fertur intuitus divinæ cognitionis.* Ratio à priori eſt, quòd cauſa libera, quandiu eſt in actu primo, licèt completa ſit, omnibus neceſſariò prærequiſitis ad agendum, tam ex parte Dei, quàm ex parte cauſæ ſecundæ poſitis; tamen manet ſemper indeterminata & indifferens ad ponendum vel non ponendum effectum: ergo non eſt ratio ſufficiens certò cognoſcendi effectus liberè futuros. At

Objicies 1. D. Thomas loco citato ait, Deum cognoſcere contingentia, non ſolùm prout ſunt in cauſis, ſed etiam prout vnum quodque eorum

eſt actu in ſe ipſo : ergo ſaltem habet cognitionem eorum certam in ſuis cauſis. 2. Deus ſupercomprehendit liberum arbitrium : ergo in eo poteſt certò cognoſcere actus liberè futuros.

Ad 1. reſp. nego conſ. Nam ibi dictio *ſolùm*, eſt adverſativa, huncque ſenſum facit: ſi Deus non alio modo cognoſceret contingentia, quàm in cauſis, non haberet certam & exploratam eorum cognitionem.

Ad 2. reſp. dato ant. nego conſeq. quia determinata futuritio actuum liberorum non habet neceſſariam connexionem cum libero arbitrio; ſed merè contingentem, antequam agat : ergo quantumvis libertas expedita ad agendum penetretur altiſſima cognitione, nunquam certò cognoſci poterit effectus futurus.

Inſtabis : Angelus probabiliſſimè ex voluntate ſic affecta conjicere poteſt, quid ſit liberè futurum : ergo Deus qui voluntatem completam in actu primo, omnemque cauſarum complexionem pervadit, poterit cognoſcere certò quod liberè futurum eſt.

Reſp. nego conſeq. Quamvis enim Deus complexionem cauſarum ſupercomprehendat, non mutat earum naturam, nec poteſt ex illa complexione, vt tali cognita, niſi certitudinem moralem, adeóque contingentem elicere; majorem quidem qualibet certitudine angeli, quia altiùs penetrat complexionem; ſed quæ ſemper intra certitudinis moralis terminos continebit ſeſe. Ratio eſt, quòd fundamentum certitudinis moralis ſit voluntas hoc vel illo modo diſpoſita, ſicut phyſicæ certitudinis fundamentum eſt curſus naturæ ordinarius; metaphyſicæ autem prin-

cipia per ſe nota, vt idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe. At certitudo moralis ſemper eſt obnoxia falſitati, phyſica fallere poteſt per potentiam Dei extraordinariam; vna itaque metaphyſica certitudo, vtpote nixa in evidentia rei per ſe notæ, vſquequaque infallibilis, quam nunquam cognitio aſſequetur, quandiu ex complexione cauſarum liberarum ducetur; ſed tunc tantùm habebit, cùm verum erit dicere, res ſic eſt, vt non poſſit non eſſe.

VI. ASSERTIO. Deus non ex eo futura contingentia certò cognoſcit, quòd ſint præſentia realiter æternitati.

Probatur: quia quod non eſt realiter ab æterno, non eſt Deo præſens realiter ab æterno: futura contingentia non ſunt realiter ab æterno: ergo non ſunt præſentia Deo realiter ab æterno: itaque præſentia illa vtpote fictitia, non poteſt eſſe Deo ratio cognoſcendi futura contingentia. Minor eſt de fide, quæ docet omnia creata cœpiſſe in tempore, immo & argumentis confecimus nullam creaturam ab æterno produci potuiſſe. Major itaque probatur: quia vt vnum ſit alteri præſens realiter, debet exiſtere ſeu durare, quando aliud exiſtit aut durat, adeóque vnum alteri coexiſtere; quod enim eſt præſens alteri ſecundùm durationem, durat quandiu ſecundùm durationem illi præſens eſt. Ratio à priori eſt, quod coexiſtentia aliquid ſit relativum, quod fundatur in abſoluto, nempe in exiſtentia duorum extremorum: ergo illorum exiſtentiam realem præſupponit, vel certè eſt ſimul cum illa.

Neque dicas, non requiri, vt res realem exi-

ſtentiam in ſe ipſa habeat, ad hoc vt dicatur realiter coexiſt.re æternitati, modò aliquam habeat in tempore: at futurum contingens aliquando realem exiſtentiam habebit in tempore; nam id quod realiter coexiſtit alicui, jam inde exiſtere debet, ex quo illi realiter coexiſtit: ergo ſi futurum contingens realiter coexiſtit æternitati ab æterno, jam inde ab æterno exiſtere debet: ergo non ſatis eſt, quòd in tempore realiter exiſtat.

Nec dicas 2. æternitatem eſſe indiviſibilem & totam ſimul; ita vt nihil ſit in ea præteritum aut futurum, adeóque quidquid exiſtit aliquando, toti æternitati coexiſtere. Nam 1. adverſarii, licèt æternitatem realiter indiviſibilem eſſe pugnent, tamen volunt virtualiter eſſe dividuám, perinde ac immenſitatem: ergo ſicut malè quis inferret ex infinitate & indiviſibilitate immenſitatis, id quod ratione determinatæ extenſionis, eſt præſens realiter immenſitati, eſſe eidem reipſa præſens totaliter ſpectatæ: ita ex æternitatis reali indiviſibilitate malè quis concluderet, antichriſtum v. g. ex eo quòd exiſtit toti realiter æternitati ratione durationis ſuæ finitæ, quia æternitas eſt indiviſibilis, coexiſtere toti totaliter æternitati. Paraſyllogiſmus enim eſt huic par ac geminus: parvus digitus reſpondet animæ toti, quia anima indiviſibilis: ergo toti totaliter animæ reſpondet. Quæ conſequentia?

Nec dicas 3. res futuras coexiſtere æternitati in menſura æternitatis, non autem in menſura propriæ, & intrinſecæ durationis; contrà enim ſic vrgeo: prius eſt rem exiſtere in duratione ſua, quàm in aliena, quia non exiſtit in aliena,

niſi quia exiſtit in ſua: ergo ſi res futura non poteſt realiter coexiſtere æternitati ab æterno in duratione propria & intrinſeca, multò minùs poteſt coexiſtere in aliena. Antecedens poteſt illuſtrari hoc exemplo: impoſſibile eſt rem exiſtere in tempore extrinſeco, quod per converſionem primi mobilis conſtituitur, quin exiſtat in ſe realiter: aut exiſtere in loco externo, quin exiſtat in ſe realiter.

Ut autem vitium, quo argumentum Thomiſtarum laborat, faciliùs detegas, adverte modum & rationem menſuræ ſumi ex re menſurata; duo autem eſſe, quæ menſurari æternitate poſſunt; alterum, ens increatum, ſub quo continetur ſcientia Dei; alterum, ens creatum; ita tamen vt æternitas ſit menſura propria & intrinſeca entis increati; aliena tantùm & externa entis creati; ens increatum illam menſuram ſibi adæquatè ſumat, ens creatum tantùm inadæquatè. Ratio diſcriminis ducitur ex modo exiſtendi diverſo, quem habet res creata ab increata; cœpit enim res creata exiſtere in ſe, & deinde in æternitate: res autem increata vt nullum exiſtendi initium habet in ſe, ita nec in æternitate.

Dices: non poteſt explicari, quomodo ſcientia viſionis ſit intuitiva & invariabilis, niſi futura contingentia realem habeant in tota æternitate præſentiam: quia intuitus eſt viſio rei in ſeipſa realiter; ergo ſi antichriſtus non coexiſtit æternitati in ſeipſo realiter, Deus caruit intuitiva antichriſti notitia ab æterno, & in tempore acquiſivit, & ita mutata eſt illius ſcientia. Ut reſpondeam huic argumento, ſit

1. Pronuntiatum. Ad viſionem intuitivam con-

ſummatam duo requiruntur; vnum eſt formalis imago & expreſſio rei futuræ; alterum tendentia in rem illam, prout in ſeipſa realiter exiſtit extra cauſam.

11. Pron. Viſio intuitiva futurorum exiſtit ab æterno in Deo quoad formalem futurorum expreſſionem; videt enim Deus in Verbo, vt eſt idea, res futuras quaſi egredientes & erumpentes ex cauſis ſuis idealiter ſpectatis, vt mox docebimus. At non eſt quoad tendentiam & conſummationem extrinſecam viſionis. Non tamen ideo mutatur intrinſecè ſcientia viſionis, quia illa tendentia, vt ſeorſim ſumitur à formali expreſſione rei, non tam viſio appellari debet, quàm viſionis complementum. Ratio autem cur non mutetur Deus intrinſecè, cùm creatura incipit exiſtere, hæc eſt, quòd objectum illud in quod intellectus divinus fertur, motivum non ſit, ſed tantùm terminativum: at objectum terminativum illud eſt, quod non movet potentiam ad novam formam recipiendam; ſed quod à potentia movetur ad eſſe actuale. Exemplum objecti motivi habes in hirci & cervi ſpeciebus, quæ movent intellectum hominis ad cudendum hircocervum; terminativi autem in hircocervo, qui non movet intellectum, ſed potiùs movetur ab intellectu, id eſt, producitur.

Inſtabis: ſaltem Deus non alio modo videret ab æterno futura abſoluta, quàm conditionata, quia nullam haberet illorum præſentiam realem; ſed tantùm objectivam. Reſp. nego ſequelam; videt enim Deus determinationem ad eſſe futurum abſolutum quam habent.

Dices 2. Non eſt in Deo præſentia futurorum,

quia nihil eſt futurum reſpectu illius. *Quid eſt præſcientia*, inquit Auguſtinus lib. 2. ad Simpl. quæſt 2. *niſi ſcientia futurorum? quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?*

Reſp. 1. ex locis à me jam citatis, aliiſque Auguſtini locis, præſcientiam in Deo admitti. Quare vt concilientur Patres; cùm præſcientiam futurorum negant, intelligi debent de præſcientia futurorum objectiva, quæ non habet rationem præteriti & futuri, ſed præſentis tantùm; eſt enim ab æterno, & erit ſemper. Cùm autem præſcientiam futurorum Deo tribuunt, de præſentia reali futurorum loquuntur, quæ cùm in tempore oriatur & intereat, poteſt ſciri ſub ratione præteriti & futuri. Porrò præſentia objectiva tollit rationem futuri in Deo, non autem in Prophetis, quia habetur à Deo cognoſcente vi & merito durationis intrinſecæ, quia eſt eſſentialiter æternus, adeóque hanc præſentiam objectivam exigit quadam ſuæ æternitatis prærogativa, quæ ad omnem temporis differentiam modo quodam indiviſibili porrigitur, & ita rationem futuri ab intellectu divino removet, non ab intellectu Prophetæ, aut certè removet tantùm accidentaliter. At

Quæres, an Deus videat in eſſentia ſua, vt ideæ vim habet, noſtros actus liberè futuros; videat, inquam, in priori ſigno rationis, quàm decretum concurrendi cum cauſis ſecundis conceperit. Reſp. negativè 1. quia idea antequam determinetur per decretum, res repræſentat tantùm ſub ſtatu poſſibili, qui eſt purè naturalis & neceſſarius: ergo non poteſt repræſentare ſub ſtatu de-

terminato futuræ existentiæ, qui eſt contingens & liber. Certè res non tranſit de ſtatu merè poſſibili ad actualem, niſi per liberam Dei voluntatem: ergo ante decretum Dei liberum nulla eſt futuritio rei: ergo nec repræſentari poteſt per ideam. Nec refert, quòd idea Dei ſit infinita in repræſentando, quia ad id ſatis eſt, ſi repræſentet id omne quod eſt repræſentabile pro illo ſigno rationis: at pro illo ſigno rationis res non habet eſſe futurum: ergo nec repræſentari debet per ideam divinam.

Addo & ampliùs in ſigno rationis, in quo Deus liber concipitur ad decreta ſua de rebus condendis vel non condendis concipienda, non videre vt futura; quia quod eſt æternum, nullatenus rationem futuri habere poteſt reſpectu viſionis Dei: decretum Dei eſt æternum: ergo non poteſt eſſe vllatenus futurum. Major ex ipſa notione æternitatis eruitur, quæ nihil habet ſe prius: hinc ſi Deus angelum in actuali amoris divini exercitio ab æterno creaſſet, non actum illum vidiſſet vt futurum, ſed vt præſentem ſuæ æternitati, tranſiiſſetque actus ille ab eſſe poſſibili ad eſſe actuale immediatè, non tranſeundo per mediam futuritionem, qui ſtatus mediare non poteſt, cùm res ab æterno condita ſupponitur. Item electio mediorum reſpectu intentionis, quæ in eodem inſtanti reali concipitur, non rationem futuri, ſed tantùm ſubordinati actus habet.

Quæres 2. an Deus in ſigno rationis quo voluntas illius concipitur indeterminata, qui eſt primus quaſi ſtatus divinæ voluntatis, videat ejuſdem determinationem, quam in ſigno ſe-

quente ſuam indifferentiam, voluntas divina habitura eſt, qui eſt quaſi ſecundus ſtatus voluntatis.

Reſp. non videte: quia ſi in illo priori ſigno, voluntatis ſuæ determinationem certò ſciret, vel ſciret in ſua voluntate tanquam in medio & ratione cognoſcendi, vel illam ſciret immediatè in ipſa determinatione voluntatis ſuæ. Non in ſua voluntate: quia cùm ſit prorſus indifferens & indeterminata, nullam connexionem determinatam habet cum vno potiùs decreto, quàm cum altero eidem oppoſito: ergo voluntas divina, quandiu in illo ſtatu indifferentiæ eſt, non poteſt eſſe ratio certa Deo cognoſcendi potiùs vnius decreti, quàm alterius oppoſiti. Non in ipſa determinatione voluntatis immediatè: quia vel videretur realiter: vel intentionaliter, neutro modo videtur; non realiter, vt patet, quia in illo priori ſigno decretum videtur, etiam fatentibus adverſariis, per modum futuri; non intentionaliter, quia nulla perfectio divina priùs intentionaliter repræſentatur quàm realiter, quod ſecus ſe habet in creatis. Ratio diſparitatis eſt, quòd divinum eſſe reale per aurem non producatur: ergo intentionale illius non debet præcedere in mente divina. Contrà verò eſſe reale creatum, cùm per artem fiat, debet habere ſuum ideale præexiſtens in mente ſupremi artificis. At præterea ſit

VII. Assertio. Deus futura contingentia abſoluta non certò cognoſcit in decreto phyſicè prædeterminante, nec in decreto, quo ſtatuit concurrere cum cauſa libera, ſi velit. Patet prima pars: quia decretum prædefiniens ſeu phy-

ſicè prædeterminans nullum eſt, vt aliàs oſtendimus tom. 1. Phyſ. univerſ. vbi prædeterminationem phyſicam rejecimus vt inutilem & impoſſibilem. Patet quoque ſecunda : quia cùm decretum concurrendi cum cauſa ſecunda, relinquat illam in ſua libertate, ne quidem poteſt eſſe ratio remota ſufficiens certò cognoſcendi actus liberè futuros creatæ voluntatis. Quare ſit

VIII. Assertio. Deus certò & infallibiliter cognoſcit futura contingentia abſoluta, quæ pendent à cauſis ſecundis liberis, in ipſis futuris, vt habent egreſſionem actualem, ſeu vt actu erumpunt à cauſis ejus liberis in mundo ideali ſpectatis, & ſupponentibus pro mundo reali.

Probatur 1. argumento negativo: quia ex tot ſententiis rejectis, nulla alia ſupereſt quam amplectamur: ergo hanc vnam tueri debemus. Confirmatur: quia futurum contingens tum certò cognoſcitur, cùm cernitur vt præſens: tum cernitur vt præſens, cùm cognoſcitur vt egrediens à cauſa libera. ergo futurum contingens certò cognoſcitur à Deo, cùm videt ipſum erumpens ex cauſis liberis.

Dixi, vt erumpunt à cauſis ſuis liberis in mundo ideali ſpectatis. Nam duplex mundus eſt juxta doctrinam Boëtii; vnus idealis & archetypus in mente Dei, qui componitur ex ideis divinis, quæ ſumptæ in ſuppoſitione formali & ſpeculativè, ſunt ipſa creatura repræſentativè, quia idea Deo exhibet ſtatum creaturarum, ſicut æternitas repræſentat differentiam temporis, in qua eſt quælibet creatura. Porrò idea præſtat in mente divina intelligibiliter id omne quod creatura præſtat realiter in tempore, ſicut

æternitas quamlibet differentiam temporis, adeóque quidquid geritur in tempore, ita repræſentat in mundo intelligibili, vt creatura per ideam repræſentetur, differentia temporis, in qua ſit vel eſt, per æternitatem. Quæ omnia fusè explicui part. 5. Logicæ, diſp. 2. art 2. §. 3. vbi etiam præſcientiam divinam cum libertate creata conciliavi: locum conſule.

Colliges ex dictis, ſcientiam viſionis in Deo eſſe complementum ad extra ſcientiæ ſimplicis notitiæ & actum vitalem, cujus terminus extra Deum ponitur, adeóque Deum non mutare. Certè ſcientia ſimplicis intelligentiæ tribuit divino intellectui omnem formam tum impreſſam, tum expreſſam, quæ requiritur ex parte intellectus ad Deum in ſeipſo videndum; nec aliud requiritur in intellectu divino ad viſionem præter actualem tendentiam in objectum, quæ non diſtinguitur realiter ab actuali productione objecti, quæ ſit ab intellectu divino, quà practicus eſt, id eſt, quatenus exprimit realiter id quod in ſe intentionaliter continet.

§. 6. *De ſcientia conditionata ſeu media.*

HÆc ſcientia magni eſt ad omnem gratiæ & libertatis humanæ vſum momenti. In ea quippe tanquam cardine vertitur totum ferè negotium prædeſtinationis, & reprobationis, concordiæ gratiæ efficacis cum libertate, omnis omnino providentiæ divinæ ac ſuavitatis Dei in gubernandis regendiſque naturis intelligentibus: quare de ea fusè & copiosè agunt Theologi; nos autem preſſè & ex accidenti agemus,

quæremuſque 1. an in Deo admitti debeat, 2. in quo potiſſimùm fundetur, 3. quis vſus fructuſque illius ſit: ſed antè præmittenda ſunt quædam ad naturam illius meliùs intelligendam.

Quædam obſervanda circa ſcientiam mediam.

1. SCIENTIA conditionata dicitur ſcientia enunciabilium, conditionalium veritatum, & media. Dicitur ſcientia enunciabilium à D. Thoma, quia inter enuntiationes difficiles habent explicatus conditionales, adeóque propriam ſcientiam ſibi vendicant. Scientia verò conditionalium veritatum, quia verſatur potiſſimùm circa veritates purè conditionales. Media, quia inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis interjicitur; ita vt aliquid de extremis participet. Denique purè conditionata, ab objecto ſuo materiali, quod eſt conditionatè futurum. Porrò conditionatè futurum objectum voco, quod ex ſuppoſitione, quòd ponatur aliqua conditio, futurum eſt: v. g. peccatum Petri erit, ſi ancilla interroget. Propoſitio itaque de futuro conditionato illa eſt, quæ enuntiat aliquid futurum aut non futurum, ſi ponatur conditio aliqua: vnde conditio ſe tenet ex parte objecti, non ex parte ſcientiæ, quæ eſt actus abſolutus. Quanquam

11. Propoſitio de futuro conditionato triplex; diſparata, neceſſaria & contingens. Diſparata eſt, in qua conditio nullo modo connexa eſt cum effectu, vt *ſi pluit, Turca pugnabit contra Polo-*

nos. Neceſſaria, in qua conditio connexionem neceſſariam habet cum effectu: vt *ſi Petrus currat, movebitur*. quæ propoſitio eſt vera ratione conſequentiæ. Contingens, in qua conditio contingentem tantùm habet connexionem cum effectu: v. g. *Si Stephanus oret pro Paulo, Paulus convertetur.* Non enim valet, Petrus vocabitur, ergo conſentiet, quia poteſt conſentire vel diſſentire.

III. Rurſus propoſitio conditionata habet aliquando conditionem quæ reipſa ponitur: vt ſi ancilla Petrum interroget, Petrus Chriſtum negabit. Aliquando habet conditionem, quæ nunquam ponetur, nec effectus ex ea pendens, & dicitur propoſitio merè conditionata, de qua hîc potiſſimùm agitur, licèt ſcientia media vtramque conditionem attendat.

IV. Tres conditiones exigit ſcientia purè conditionalium; 1. vt conditionatè futura ſint libera, 2. vt non ſint abſolutè futura in hoc rerum ſtatu, 3. vt reipſa extitura forent, ſi poneretur conditio, cui eorum exiſtentia implicatur. Sic in Tyriis & Sidoniis pœnitentia 1. eſt actus liber, 2. exiſtentiam abſolutam non habuit, nec habebit, 3. fuiſſet tamen habitura, ſi miraculorum conditio poſita fuiſſet. Sed vt clariùs adhuc pateat natura ſcientiæ mediæ, ſit

V. Diſtinguendus quadruplex ſtatus actûs liberi voluntatis; primus, in quo ſit purè poſſibilis; ſecundus, in quo ſit conditionatè futurus; tertius, in quo abſolutè futurus ſit; quartus, in quo actu exiſtet. Primus ſtatus dicitur ſtatus poſſibilitatis; ſecundus, futuritionis conditionatæ; tertius, futuritionis abſolutæ; quartus, exi-

ſtentiæ actualis. Porrò actus liber ſub ſtatu poſſibilitatis eſt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ; ſub ſtatu futuritionis conditionatæ, eſt objectum ſcientiæ mediæ; ſub ſtatu futuritionis & exiſtentiæ actualis, eſt objectum ſcientiæ viſionis.

VI. Futurum conditionatè cùm ſit quaſi medium inter purè poſſibile & futurum abſolutè, ita convenit aliquatenus cum vtroque & diſcrepat. Nam 1. vt futurum abſolutè contingens poteſt abſolutè non eſſe futurum, ita contingens conditionatè futurum poteſt abſolutè non eſſe futurum conditionatè: quia ſicut voluntas, etiam cùm habet omnia requiſita ad agendum, poteſt abſolutè non ponere id quod ponit, & quod ideo in tempore antecedenti dicitur futurum; alioqui ſi non poſſet non ponere in tempore antecedenti, non eſſet futurum contingens, ſed neceſſarium; ita ſi ponatur illa conditio in voluntate, qua poſita, ipſa ponet actum qui propterea dicitur futurus conditionatè; poteſt abſolutè etiam in ſenſu compoſito illius conditionis ipſum non ponere; alioqui ſi non poſſet non ponere, non eſſet futurus liberè ex hypotheſi illius conditionis, ſed neceſſariò.

2. Idem eſt diſcrimen inter futurum abſolutè & futurum conditionatè, quod eſt inter poſſibile & exiſtens. Ut enim non requiritur ad hoc vt aliquid ſit poſſibile, quòd actu vnquam exiſtat, ſed poſſit exiſtere; vt autem ſit actu exiſtens, debet eſſe actu & de præſenti in rerum natura: ita vt aliquid ſit futurum conditionatè, non eſt neceſſe quòd vnquam actu exiſtat, vel actu exiſtat vnquam conditio, quæ ſi ponere-

tur, exiſteret; ſufficit enim quòd actu exiſteret, ſi poneretur talis conditio. Ut autem ſit futurum abſolutè, debet exiſtere aliquando in tempore futuro.

3. Ut poſſibilitas eſt negatio ſequelæ contradictionis ex eo quòd ſit, id quod denominatur & eſt poſſibile, & futuritio abſoluta eſt exiſtentia actualis abſoluta in tempore futuro ejus quod denominatur futurum abſolutum, & negatio exiſtentiæ actualis ejuſdem futuri in tempore præterito: ita futuritio conditionata actus liberi contingentis, eſt exiſtentia ipſius actualis hypothetica.

VII. Ut ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ea, quæ verſatur circa ſingula poſſibilia ſub ſtatu poſſibilitatis conſiderata: ſcientia viſionis, quæ attingit ſingula futura ſub futuritionis abſolutæ ſtatu: ſic ſcientia media occupatur circa ſingulos actus cujuſcumque voluntatis ſub ſtatu futuritionis conditionatæ, hoc eſt, de ſingulis repræſentando quòd, quando & quomodo exiſterent liberè, ex hypotheſi quòd ponerentur antecedenter hæ vel illæ conditiones.

VIII. Ut ſcientia ſimplicis intelligentiæ repræſentat tum poſſibilia, tum impoſſibilia, nec ſolùm repræſentat poſſibilia in circumſtantiis, in quibus poſſibilia ſunt, ſed etiam in iis, in quibus non ſunt poſſibilia; & ſcientia viſionis repræſentat tum ea, quæ extitura ſunt, tum quæ non ſunt extitura; illa quidem in circumſtantiis omnibus, in quibus extitura ſunt; hæc autem in omnibus circumſtantiis, in quibus non ſunt extitura: ita ſcientia media non tantùm repræſentat actus, qui liberè futuri eſſent, ſi pone-

rentur hæ vel illæ conditiones determinatæ; ſed etiam eos, qui iiſdem conditionibus poſitis, non eſſent futuri; nec ſolùm repræſentat qui extituri ſunt vel non extituri, ſi ponantur tales vel tales determinatè; ſed etiam qui extituri ſunt, poſita quacunque conditione poſſibili. Hinc

IX. Vi ſcientiæ conditionatæ habet Deus 1. repræſentatos ſibi comprehenſivè ab æterno omnes actus liberos tum ſuæ, tum angelicæ, tum humanæ voluntatis; 2. omnes conditiones tum intellectus, tum voluntatis, quæ poni antecedenter ad actus liberos poſſunt, & quibus poſitis exiſtere poſſunt liberi ſinguli actus. Denique comprehendit quis actus, quacumque poſita ex illis omnibus conditionibus, exciturus ſit in omnibus circumſtantiis poſſibilibus, quive non ſit extiturus: vnde patet amplitudo hujus ſcientiæ.

X. Scientia media definitur, certa & infallibilis notio liberorum actuum, quos voluntas creata eliceret, ſi in tali rerum ſerie conſtitueretur; hinc differt ſcientia media à ſcientia ſimplicis notitiæ 1. ratione objecti; hæc enim repræſentat omnia poſſibilia & impoſſibilia, illa actus liberos conditionatè futuros; 2. exiſtendi modo, quia ſcientia poſſibilium eſt ſcientia neceſſaria, ſcientia media contingens; à ſcientia viſionis ex parte objecti, quia ſcientia viſionis ſeu futurorum abſolutorum repræſentat tantùm ea, quæ exiſtunt in aliqua differentia temporis: ſcientia media omnes actus liberos & omnes conditiones, quibus ſemel-poſitis, actus illi exiſterent, vel non exiſterent. Deinde ex modo tendendi, quia ſcientia futurorum abſolutorum

verſatur circa exiſtentiam abſolutè, media autem tantùm hypotheticè. Convenit tamen cum ſcientia viſiónis, quòd ſicut ſcientia viſionis ſupponit exiſtentiam abſolutam actus liberi pro eo tempore, quo repræſentat ipſum eſſe; adeóque determinationem liberam voluntatis ad illum ponendum pro eo tempore: ita ſcientia media ſúpponit exiſtentiam hypotheticam actus liberi, quo repræſentat ipſum exiſtere ex hypotheſi, quòd ponatur talis vel talis conditio motiove, ac proinde determinationem hypotheticam voluntatis ad illum ponendum; vnde non magis lædit libertatem, quàm ſcientia viſionis.

XI. Eſſe poſſibile prius eſt conditionatè futuro, & futurum conditionatè prius eſt futuro abſolutè. Patet, quia per ſe prius illud intelligitur alio, quod non infert, quamvis ab ipſo inferatur ſubſiſtendi conſequentiâ: at ex hypotheſi quod aliquid ſit poſſibile, non ſequitur eſſe futurum conditionatè aut abſolutè, quamvis ex eo quòd conditionatè futurum ſit aut abſolutè, rectè inferatur eſſe poſſibile. Rurſus licèt aliquid ſit futurùm conditionatè, non ſequitur, quòd ſit futurum abſolutè, licèt ex futuro abſolutè inferri poſſit futurum conditionatè. Hinc

XII. Status conditionatus liberi actus voluntatis præcedit ſtatum ipſius abſolutum: quia vt poteſt eſſe actus poſſibilis, quamvis non ſit futurum ex hypotheſi aut abſolutè: ita poteſt eſſe futurus ex hypotheſi talis motionis, quamvis non ſit futurus abſolutè. Rurſus vt non poteſt eſſe futurus ex hypotheſi, quin poſſibilis ſit: ita non poteſt eſſe futurus abſolutè, quin ſit futurus ex hypotheſi motionis & talium adjunctorum, ex

quibus revera fiet: ergo vt prius eſt eſſe ſub ſtatu poſſibilitatis prioritate, quæ dicitur ſubſiſtendi conſequentia, quàm ſub ſtatu futuritionis conditionatæ; ita prius eſt eadem prioritate eſſe futurum futuritione conditionata, quàm abſoluta: ergo in actu libero præcedit actum abſolutum ſtatus conditionatus. Hinc

XIII. Metaphyſici diſtinguunt tria inſtantia; primum quidem, in quo actus qui eſt futurus abſolutè, intelligitur ſub ſtatu poſſibilitatis præciſè. Secundum verò, in quo intelligitur tranſiiſſe à ſtatu poſſibilitatis ad futuritionis conditionatæ ſtatum præciſè. Tertium denique, in quo intelligitur à ſtatu futuritionis conditionatæ tranſiiſſe ad ſtatum futuritionis abſolutæ. Hinc triplex ſcientia eundem actum conſiderat: ſcientia ſimplicis notitiæ ipſum ſub ſtatu poſſibilitatis conſiderat; ſcientia conditionata, ſub ſtatu futuritionis conditionatæ; ſcientia viſionis, ſub ſtatu futuritionis abſolutæ. His obſervatis, quæritur an ſit in Deo ſcientia, quæ dicitur media.

Datur in Deo ſcientia futurorum ſub conditione.

HUjus propoſitionis veritas conficitur ex Scriptura, Patribus & ratione. Ex Scriptura quidem, 1. Reg. cap. 23. *Dixitque David, ſi tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum, in manus Saul? & dixit Dominus, tradent.* Sapient. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Matth. 11. *Væ tibi, Coroſain, væ tibi, Betſaida, quia ſi in*

Tyro

Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Ex his tribus locis ſic argumentor : Quæcumque Deus certò & infallibiliter prædicit, certò ſcit : Deus in his Scripturæ locis certò & infallibiliter prædicit futura conditionata, quæ nunquam fuerunt; ſed fuiſſent, ſi poſita fuiſſet aliqua conditio, putà traditionem Davidis in manus Saülis per viros Ceilæ, ſi Saül Ceilam deſcenderet ; mutationem in pejus illius viri, qui raptus eſt, ſi diutius vixiſſet; pœnitentiam Tyriorum, ſi vidiſſent ſigna : ergo Deus certò & infallibiliter ſcit futura conditionata.

Reſpondent ad 1. & 2. locum, Deum voluiſſe tantùm Davidem admonere de periculo ipſi imminente, vt de eo admonitus recederet ex vrbe, & acceleratam huic juſto mortem ob periculum amittendæ juſtitiæ, ſi diu viveret. Ad 3. Chriſtum hæc dixiſſe ex conjectura tantùm probabili, petita ex præſenti diſpoſitione, in qua tunc erant Tyrii & Sidonii.

Contra primam reſponſionem ſic vrgeo : David non de periculo, ſed de deſcenſu ipſo Saülis & traditione ſui Deum interrogat. Scire enim cupit à Deo id quod jam per nuntios acceperat : at acceperat Saülem venturum : ergo quærebat an reipſa Saül eſſet venturus, ac proinde an tradendus eſſet. Quid quòd argumentum retorqueri poteſt, cùm agitur de futuro contingenti abſolutè futuro. Quidni enim dicam à pari prædictionem Dei abſolutam non eventum abſolutè futurum denuntiare, ſed periculum ne illud eveniat. Quid quòd cùm SS. Patres ſecundum locum explicant, teſtantur Deum non ſolùm

videre periculum eſſe, ne juſtus de quo loquitur Sapiens, cadat, ſi diu vivat; ſed etiam certò præſcire illum revera caſurum, ſi diutius viveret, ideòque ex hac vita illum eripere, ne incidat in periculum, in quod caſurum certò prævidet, ſi vitam illi diutius proroget? Vide Auguſtinum epiſt. 105. & lib. de anima & ejus origine cap. 12. His adde propoſitionem illam in re debere eſſe aut determinatè veram, aut determinatè falſam, quia eſt conformis, vel difformis objecto ſuo: ergo Deus videt illam eſſe aut determinatè veram aut determinatè falſam, quippe qui omne ſcibile videat.

Denique cognitio conjecturalis, quam Deo affingunt de pœnitentia Tyriorum, non eſt ad rem, tum quia vim facit Scripturæ, quæ ſimpliciter affirmat pœnitentiam à Tyriis faciendam, poſita tali conditione: tum quia illa Chriſti objurgatio minùs idonea foret, quia exprobraret alteri impœnitentiam, in illis circumſtantiis, in quibus alter eſſet magis diſpoſitus ad illam agendam, licèt fortè non ageret: non eſt exprobratio idonea impœnitentiæ, quia fit comparatio vnius populi, qui cùm idolorum cultui addictus ſit, minùs ad pœnitendum diſpoſitus eſt, cum eo, qui cùm vnum Deum colat, vtique plus habet ad pœnitentiam adjumenti: tum quia dici poſſet Chriſtum prædixiſſe tantùm probabiliter Judæ proditionem ſui, ideóque ſciiſſe tantùm conjecturaliter: tum quia cognitio merè conjecturalis, vtpote cum aliqua ignorantia juncta, quia affirmat tantùm probabiliter futurum eſſe actum, nec proinde cognoſcit an ſit futurus, necne, Deo repugnat.

Nec refert, quòd addatur, *fortè manſiſſent vſque in hanc diem.* Ibi enim, *fortè*, non dubitantis eſt, ſed cum emphaſi aſſeverantis; ita ut particulæ *vtique* æquivaleat, vt exponunt interpretes, quoties in prædictionibus divinis vox illa reperitur. Aut certè ad conſervandum jus liberi arbitrii, additur illa particula, juxta D. Hieronymi obſervaţionem in cap. 26. Hierem. *Verbum*, inquit, *ambiguum, forſitan, majeſtati Domini non poteſt convenire: ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum hominis ſervetur arbitrium.*

Ex Patrum auctoritate, qui 1. ſæpe pugnant quoſdam præmatura morte ſublatos, quòd Deus prævideret eos graviùs peccaturos, ſi diutius viverent; alios autem non ſublatos. Audi Auguſtinum qui lib. de corrept. & grat. cap. 8. ait, *non niſi perverſiſſimè dici Deum neſcire, quid facturi ſint homines, ſi vivant, cùm illos rapit, antequam vivant.* 2. Agnoſcunt vocationem quandam ſecretam & congruam, quam Deus vtique novit certos homines ſecuturos, ſi ea vocentur. *Cujus,* inquit Auguſtinus lib. 2. ad Simplic. q. 2. *miſeretur, ſic eum vocat, ſicut novit eum congruere, vt vocantem non reſpuat.* 3. Sollicitè quærunt, cur cùm Deus præviderit peccaturos angelos & Adamum, ſi eos crearet; Judam & Saülem, ſi eligerentur, illos creare voluerit, iſtos eligere. Et vt quæſtioni à ſe propoſitæ faciant ſatis, reſpondent id ſciri à Deo, nec tamen ab illis creandis abſtinuiſſe, quòd Dei bonitas præſcientiâ illius major ſit. Ita reſpondet D. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. cap. 2. vnde ſic arguo: Deus, ex SS. Patribus, novit certò peccata puerorum, quos præmaturè rapit, ſi diu-

tius viverent ; efficaciam vocationis certorum hominum, ſi gratia illis detur, peccatum angelorum & Adami, ſi creentur; non per ſcientiam abſolutam, quia hæc non ſunt abſolutè futura; non per ſcientiam poſſibilium, quia futura ſunt poſita conditione: ergo cognoſcit per ſcientiam mediam, quæ proinde admittenda eſt. Plura ex Patribus ſcire ſi aves, conſule D. Auguſtinum in Enchirid. ad Laurentium, cap. 95. lib. de perſever. cap. 9. lib. de corrept. & grat. c. 8. Proſperum reſponſ. 8. ad excepta Genuenſium, Anſelmum in cap. 2. Matth. D. Chryſoſtomum homil. de Adam & Eva, Gregorium Nyſſenum de infant. vbi ſimilitudine concinna conviviorum, ait magiſtrum convivii quoſdam ex invitatis maturè à convivio arcere, quos prævidet liberiùs potaturos.

Ratione, & quidem duplici. Prima petitur ex infinitate ſcientiæ divinæ, ſecunda ex divina providentia. Quæ ex infinitate divinæ providentiæ ducitur, his duobus principiis nititur.

1. Scientia Dei eſt vſquequaque infinita, adeóque ſcit omne ſcibile; lumini enim infinito æterna, certa & comprehenſiva cognitio omnis veritatis ſeu neceſſariæ, ſeu contingentis, ſive abſolutæ, ſive hypotheticæ debetur.

2. Futurum conditionatum eſt verè ſcibile, & quidem æquè ſcibile ac abſolutè futurum: tum quia propoſitiones contradictoriæ de futuro conditionato æquè fiunt ac de futuro abſoluto: v.g. *Si Petrus vocetur à Deo, convertetur: Si Petrus non vocetur à Deo, non convertetur.* Tum quia propoſitio conditionata rem enuntiat ſicuti eſt, perinde ac propoſito abſoluta: tum quia futura hypo-

theticè peræquè habent rationem entis, atque abſolutè futura, adeóque ſunt verè intelligibilia.

Ex his principiis ſyllogiſmum ſic informo: debetur Dei infinitæ ſcientiæ perfecta cognitio cujuſlibet ſcibilis, ex primo principio: futurum conditionatum eſt verè ſcibile, ex ſecundo: ergo Deus cognoſcit futurum conditionatum.

Secunda ex ratione divinæ providentiæ petitur ſic: Ratio infinitæ providentiæ id exigit, vt proſpicere poſſit, quid, quibuſque poſitis, eventurum ſit: v. g. dum finem intendit aliquem, pervidere vtique debet, qualem effectum habiturum ſit tale vel tale medium, ſi detur; aliter providentia Dei finem decernendo falleretur: nec Deus poterit niſi imprudenter, & cæco, vt ità dicam, modo efficaciter decernere, vt aliquis honeſtè & laudabiliter agat, niſi ſciat an habeat media in ſua poteſtate eidem fini aſſequendo paria: at non poteſt ſcire id ipſum, niſi futura conditionata ſciat: ergo Deus ſcit futura conditionata.

Præterea dum Deus aliquem efficaciter prædeſtinat vocatque ad ſeſe, noſſe debet quid voluntas actura ſit, quidve non actura, ſi vocetur, alioqui libertatem illius violaret: at ſcire id tantùm poteſt per ſcientiam mediam, qua videt, quid actura ſit voluntas ſub tali motione, ſi detur. Ad hæc; quò quiſque prudentior inter homines, eò perfectiùs videt, quid acturus ſit, poſito tali vel tali medio & circumſtantiarum flexu, ſaltem probabiliter: ſic prudentis & periti exercitus ducis eſt, prævidere, quid tali vel tali rerum complexione agere debeat. Vox enim iſta,

primùm agamus, deinde quid eventurum ſit, videbimus, in virum egregiè cordatum minimè cadit: ergo cùm in Deo ſit infinita providentia, non modò par eſt ipſum, quid, quolibet poſito, eventurum ſit, non conjicere, quod imperfectionis eſſet; ſed certò & infallibiliter prævidere, quem effectum talis cauſarum ſeries rerumque complicatio allatura ſit, antequam quidquam de illa ſtatuat, quod perfectionis; alioqui Deus in omnem eventum decreta ſua fingeret, futuri incertus.

Objicies 1. Nulla cognitio imperfecta cadit in Deum: cognitio conditionata eſt imperfecta, quia includit connexionem vnius cum alio, ſucceſſionem & illationem conſequentis ex antecedente. 2. Cognitio conditionata inutilis eſt Deo. Nam futurum ſub conditione vel abſolutè ponetur, vel nunquam. Si primum, eſt objectum ſcientiæ viſionis: ſi ſecundùm, cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Reſp. ad 1. hoc argumentum, ſi quid valet, ſcientiam abſolutè futurorum Deo omnem adimere. Nam in ea perinde eſt multitudo terminorum, & connexio prædicati cum ſubjecto continetur, vt patet in iſta propoſitione, *Petrus ab ancilla interrogatus Chriſtum negabit.*

Reſp. 2. nego cognitionem conditionatam eſſe imperfectam, nego quoque in ea eſſe multitudinem terminorum & compoſitionem ex parte ſui, licèt ſit ex parte objecti; nego denique eſſe ſucceſſionem & illationem conſequentis ex antecedente. Eſt enim cognitio indiviſibilis, totum objectum ſuum repræſentans.

Ad 2. nego eſſe inutilem Deo. Ut enim obje-

jectum per ſcientiam ſimplicis notitiæ repræſentatur vt poſſibile, per ſcientiam viſionis vt abſolutè futurum: ita per ſcientiam mediam effectus aliquando ponendus repræſentatur, ſi detur certa conditio, abſtrahendo an de facto detur, an non; quod nec per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec per ſcientiam viſionis abſolutam repræſentari poteſt.

Inſtabis: ridiculum eſt de iis rebus judicium ſyllogiſticum formare, de quibus abſolutum habeas: Deus habet judicium abſolutum de rebus ſingulis; videt enim abſolutè Tyrios non agere pœnitentiam, nec apud eos fieri miracula, quæ facta ſunt apud Judæos: ergo, &c. Major conſtat; ineptus enim planè ſit, qui videns lunam lucentem, dicat: Si luna luceret, aſpicerem.

Reſp. 1 nego majorem. Quidni enim duo judicia in eodem intellectu ſint, quorum vnum ſit hypotheticum, alterum abſolutum, ſicut dantur ſyllogiſmi hypothetici ſimul & abſoluti?

Reſp. 2. diſt. fruſtra eſt judicium hypotheticum, ſi præceſſerit abſolutum, tranſeat; ſi non præceſſerit abſolutum, nego. At cognitio conditionata prior eſt ratione ſaltem abſoluta cognitione in Deo, vt obſervavi, quæ ad ſcientiam viſionis pertinet, convenitque Deo independenter ab omni decreto abſoluto, ad quod formandum Deum ipſum dirigit.

Objicies 3. Scientia media Deo rationem primæ cauſæ eripit, quia efficit vt Deus à creatura determinetur, non determinet creaturam. 2. Adimit etiam rationem primi liberi, quia ei denegat rationem cauſæ proximæ reſpectu liberæ determinationis noſtræ voluntatis. 3. Abrogat ſu-

premum dominium in voluntates noſtras, quibus vti non poſſit ad quodcumque voluerit, quomodo & quando voluerit. Denique omnipotentiam imminuit. Nam admiſſa ſcientia media, Deus non poteſt promittere Abrahæ converſionem Gentium de theſauris omnipotentiæ ſuæ, ſed tantùm ex præſcientia ſua.

Reſp. ad 1. & 2. negando vtrumque, quia ratio cauſæ primæ in hoc ſita eſt, quòd ipſa à ſe vim agendi habeat, reliquæ autem cauſæ ab ipſa mutuentur. Item & rationem primi liberi, quia quælibet libertas creata à Deo derivatur, eoque tantùm volente & permittente, exit in actum: at vtramque prærogativam Deus ſervat, etiam admiſsâ ſcientiâ mediâ, quæ non impedit quominus Deus cum cauſis ſecundis coagat per virtutem quam habet à ſe, ipſaque cauſa ſecunda libera nihil vnquam agere poſſit, niſi Deo volente & permittente: quæ ſufficiunt ad rationem primæ cauſæ & primi liberi. Ad 3. ſcientia media Deo media proponit oppidò idonea, quibus voluntates noſtras moveat ad quodcumque voluerit, quomodo & quando voluerit; an hoc eſt ſupremum Dei dominium eripere, an potiùs aſtruere? Ad 3. ſcientia media Deo quid poſſit, & quibus adjumentis efficere poſſit quodcumque voluerit, qua demum arte trahere quocumque velit noſtras voluntates, aperit: igitur potentiam Dei non minuit, immo dirigit, propoſitis mediis, quibus, ſalva & integra libertate noſtra, promiſſa ſua nullo negotio impleat.

Alia argumenta, quæ ex auctoritate D. Auguſtini & D. Thomæ repetunt ſcientiæ mediæ im-

pugnatores, ad Theologos remitto, quia non ſunt juris Philoſophici.

In quo medio Deus non videat futura conditionata.

I. ASSERTIO. SCIENTIA conditionalium non fundatur in decreto phyſicè determinante. Hæc aſſertio eſt contra plures Thomiſtas.

Probatur: In eo non poteſt fundari ſcientia media, quod deſtruit illius objectum: decretum phyſicè prædeterminans deſtruit objectum ſcientiæ mediæ: ergo non poteſt fundari in decreto phyſicè prædeterminante. Probatur minor: objectum ſcientiæ mediæ eſt actus liberè & contingenter futurus, ſi ponatur talis conditio: decretum phyſicè prædeterminans tollit contingentiam & libertatem actus conditionatè futuri: ergo decretum phyſicè prædeterminans deſtruit objectum ſcientiæ mediæ. Probatur minor: quod habet iſtas duas conditiones, vt ponatur independenter ab vſu libertatis creatæ etiam præviſo, & vt eo poſito voluntas non poſſit non agere, deſtruit libertatem & contingentiam actus; eſt enim antecedens, polletque virtute antegreſſa, qua ineluctabiliter voluntatem determinat ad actum, atque adeo indifferentiam libertatis perimit, quæ in eo ſita eſt, vt poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit agere, vel non agere: decreto phyſicè prædeterminanti ineſt gemina hæc conditio ſeu affectio; eſt enim antecedens, & eo poſito voluntas non

poteſt non agere : ergo , &c. Vix dici poteſt , quot effugia quærant Thomiſtæ , vt vim hujus argumenti eludant. Sed hæc jam præcluſimus tom. 1. Phyſic. vniverſ. part. 2. diſp. 6. art. 1. §. 3. vbi qualitatem prædeterminantem , quæ eſt hujus decreti effectus , variis argumentis profligavimus.

II. Assertio. Scientia media non poteſt fundari in decreto prædefiniente , nec in complexione cauſarum & circumſtantiarum , ſeu in comprehenſione liberi arbitrii.

Probatur prima pars : in eo non poteſt videri objectum conditionatè futurum , quod ipſo poſterius : decretum prædefiniens eſt poſterius objecto conditionatè futuro , ipſaque adeo ſcientia media : ergo in decreto prædefiniente non poteſt videri objectum conditionatè futurum.

Probatur minor : decretum prædefiniens in hoc diſtinguitur à decreto prædeterminante , quòd à Deo ponatur , poſtquam per ſcientiam mediam exploravit , quid quibuſdam poſitis ſequeretur : v. g. poſtquam exploravit , ſi talem gratiam & talem affectum tribuerem Petro, conſentiret actui caritatis liberè , id eſt , ita vt diſſentire poſſet. Tum hac cognitione prælucente , ſic ſtatuere Deum poſſe putant decreti prædefinientis aſſertores : volo , vt Petrus exerceat hunc actum caritatis , quæ volitio eſt decretum prædefiniens , vt docent Suares & Vaſques hujus decreti fautores , ipſaque ſcientia media poſterius : ergo non poteſt eſſe prima ratio cognoſcendi actus liberos conditionatè futuros ; quamvis ipſum aliqui velint eſſe rationem cognoſcendi ſecundariam, & à poſteriori ob connexionem neceſſitatis con-

ſequentis quam habet cum futuris conditionatis.

Probatur ſecunda pars: abſolutè futura non poſſunt certò cognoſci in complexione cauſarum & circumſtantiarum ſeu in comprehenſione liberi arbitrii, vt jam confecimus ex D. Thoma. Confirmatur ex eo, quòd inter exiſtentiam complexionis cauſarum liberarum & effectum nulla ſit connexio neceſſaria. Poſitâ enim exiſtentiâ complexionis illius, non neceſſe eſt poni effectum, alioqui tolleretur libertas futurorum eventuum: quia ſicut complexio cauſarum non pendet à voluntate libera, ſic etiam ex ea voluntate non penderet effectus. Deinde quocumque modo ſumatur illa complexio, adhuc phyſicè contingens eſt, adeóque voluntas eſt potens agendi vel non agendi; ſupponatur itaque non agere, tum certè præſcientia Dei ex complexione cauſarum accepta falſa erit, quia Deus præſciet eventurum, quod tamen non eveniet: ergo in complexione cauſarum non poteſt certò cognoſci abſoluta futuritio effectus: ergo nec conditionata.

III. Assertio. Deus certò & infallibiliter cognoſcit veritatem contingentium futurorum conditionatè in conditionata ipſorum ex ſuis cauſis liberis egreſſione, quæ ſiſtitur præſens Deo per ideas divinas, locum creaturarum tenentes in mundo intelligibili, & in æternitate divina, quæ differentias temporis repræſentat.

Probatur: quod medium pollet hac gemina conditione; altera, vt habeat neceſſariam connexionem cum futuritione conditionata contin-

gentium, altera vt primò & per ſe hanc conne-xionem poſſideat; eſt prima ratio Deo certò & infallibiliter cognoſcendi futura conditionata: egreſſio conditionata futuri contingentis Deo exhibita vt præſens per ideas divinas pro creaturis ſupponentes in mundo intelligibili & per æternitatem differentiæ temporis repræſentantem, pollet vtraque conditione: ergo eſt prima ratio Deo certò & infallibiliter cognoſcendi futura conditionatè. Et verò ſicut futura abſoluta videntur à Deo in abſoluto egreſſu ſui ipſorum à cauſis ſuîs, & quidem certò atque infallibiliter: ita futura conditionata non poſſunt certò & infallibiliter repræſentari Deo, niſi in egreſſione conditionata ſui ipſorum à cauſis. Non enim videntur in decreto prædeterminante, nec in decreto prædefiniente, nec in complexione cauſarum, vt antè confecimus: ergo Deo ſupereſt hæc vna ratio certò & infallibiliter cognoſcendi futura conditionatè. Porrò vt ſolvas argumenta,

Obſerva 1. ideam divinam ſumi, vel vt eſt regula agendi impreſſa menti Dei artificis, vel vt habet propter infinitatem ſuam, vim repræſentandi creaturam quamlibet; & ita eſt aliquo modo creatura intelligibiliter: vnde duplex ſuppoſitio ideæ divinæ; altera materialis, quæ ipſi competit, vt eſt regula agendi: altera formalis, quæ ipſi convenit, vt eſt repræſentativa creaturæ, tenetque locum ipſius in mundo intelligibili, vt poſtea dicemus, cùm de ideis agemus.

Obſerva 2. duplicem ſtatum conſiderandum in voluntate creata, & ſtatum indeterminationis, &

ſtatum determinationis. In primo eſt indifferens ad vtrumlibet agendum; in ſecundo jam eſt ſub determinatione. Utrique porro ſtatui geminum inſtans reſpondet in tempore.

Obſerva 3. vtrumque ſtatum in mundo ideali per ideas Deo per anticipationem repræſentari, & vtrumque inſtans per æternitatem: quia vt idea æquivalet omni ſtatui, quem habet creatura in mundo reali; ita æternitas cuilibet differentiæ temporis & cuilibet inſtanti. Idea itaque ſtatum geminum voluntatis, hoc eſt, tum actum primum, tum actum ſecundum illius Deo exhibet, ſicut æternitas ſucceſſionem duorum inſtantium temporis vel rationis; alterius quidem in quo voluntas eſt ſub actu primo; alterius in quo voluntas eſt ſub actu ſecundo, ipſi repræſentat. Hinc eſt, quòd D. Thomas, vt feliciùs futurorum contingentium ſcientiam explicet, ad æternitatem divinam confugiat. Non quòd ipſa Deo realiter actu præſentia jam inde ab omni æternitate putet; ſed quòd æternitas cùm infinita ſit in repræſentanda rerum duratione, vtique Deo ipſi exhibet & ſiſtit ſeriem duorum illorum inſtantium, ſive temporis illa ſint, ſive rationis.

Obſerva 4. futura contingentia Deum non per medium vel illationem, ſi logicè ſumantur, cognoſcere, ſed in ipſa egreſſione ideali effectus à cauſa in idea & æternitate repræſentata. Ratio eſt, quòd ejuſmodi illatio logica ſit tantùm contingens; ſcientia autem Dei poſtulat objectum, quod aliter ſe habere non poſſit: at tunc tantùm futurum contingens aliter ſe habere non poteſt, cùm actu egreditur à cauſa ſua in mun-

do reali, vel ab idea ſupponente pro ipſo in mundo intelligibili. Quòd ſi medium & illatio phyſicè ſumantur, modò medium non ſit præciſum à re ſeu ab effectu, ſed cum eo conjunctum, & per illationem non abſtractam ab effectu, ſed ipſo terminatam, non video cur hoc ſenſu futurum contingens à Deo cognoſci non dicatur: quia Deus ſic videt effectum hunc liberum eſſe talis cauſæ effectum, cùm videt non tantùm cum illa, ſed etiam ab illa poni & inferri: ſic enim cognoſcit cauſam ſub vtroque ſtatu, & tranſitum illius ab vno ſtatu ad alterum; hinc propoſitio iſta conditionalis: ſi ponerem Adamum in hoc circumſtantiarum flexu, & decernerem cum illo concurrere, comederet pomum vetitum; ſic reſolvi debet juxta principia hujus doctrinæ: in ideis divinis, Adamus in hoc ſtatu hypothetico conſtitutus, comedit fructum vetitum; quia in ideis ſuis & æternitate Deus videt tranſitum voluntatis Adami ab actu primo ad actum ſecundum, ipſiuſque pomi comeſtionem conditionatam quaſi præſentem.

Objicies 1. Certiùs multò Deus videret futura contingentia, ſi videret in ſeipſis immediatè, quàm in ideis: ergo videt in ſeipſis immediatè, non in ideis tantùm.

Reſp. hanc inſtantiam nihil contra nos concludere, quia à nobis non diſſentit. Nos enim modum explicamus, quo futura contingentia à Deo cognoſcuntur, quæ cùm realiter, non actu exiſtant ab æterno, non poſſunt in ſe realiter cognoſci, ſed in ſuo eſſe ideali videntur, quod ſupponit formaliter pro eſſe reali.

Objicies 2. Quæ nunquam futura ſunt abſo-

lutè, non poſſunt videri in ſcipſis, vt egreſſum habentia à cauſa ſua: futura purè conditionata nunquam futura ſunt abſolutè: ergo non videntur in ſeipſis,

Reſp. diſt. majoris hanc partem, non poſſunt videri in ſe ipſis, vt egreſſum habentia à cauſa ſua: vt habentia egreſſionem realem à cauſa reali, eſto; vt habentia egreſſionem idealem à cauſa ideali, nego. Dum enim Deus conſiderat ideam ſuam, quatenus locum tenet cauſæ liberæ & ejuſdem effectus, pro quibus formaliter ſupponit, videt egreſſum idealem conditionatum effectus à cauſa, quod ſufficit, quia idea præſtat intelligibiliter, quod cauſa ſecunda realiter præſtaret in mundo reali, ſi eſſet, juxta obſervationem 2. & 3.

Objicies 3. Si Deus habet ſcientiam conditionalium, habet vel dependenter à ſuis decretis, vel independenter; neutrum dici poteſt: ergo Deus non habet ſcientiam conditionalium. Minor probatur. Non habet independenter à decretis; quia cùm Deus ſit eſſentialiter prima cauſa primuſque motor, nihil quidquam independenter ab ipſius voluntate fieri aut futurum eſſe poteſt. Non habet dependenter à decretis: quia ſcientia conditionata antecedit omne decretum: ergo non habet ſcientiam conditionalium dependenter à decretis.

Reſp. Deum habere ſcientiam mediam dependenter à decretis ſaltem intellectis. Reſponſionem illuſtrabunt ſequentia pronuntiata.

1. Pronunc. Deus ſcientiam mediam habet dependenter à decretis ſaltem intellectis, putà vel tanquam conditione, cujuſmodi eſt decretum

in tali rerum & circumſtantiarum ſerie conſtituendi, vel tanquam permiſſivis, quale eſt decretum permittendi tentationem; vel tanquam concauſis, vt eſt decretum concurrendi; vel tanquam moraliter excitantibus prævenientibúſque, qualia ſunt decreta largiendarum gratiarum; non tamen habet dependenter à decretis prædeterminantibus, quæve ſint prima ratio cognoſcendi certò futura conditionata, vt probavimus.

II. Pron. Decreta, ſine quibus intellectis Deus ſcientiam mediam habere non poteſt, non debent præſupponi actu exiſtentia in priori ſigno rationis, quàm ſcientiam conditionalium Deus eliciat. Ratio eſt, quia ſi decreta in priori rationis Deus conciperet, quàm per ſcientiam conditionalium exploraret, quid ex illis, ex hypotheſi quòd conciperentur, ſecuturum eſſet, ſic ageret: *Si conſtituerem Adamum in tali rerum ſerie, volo permittere vt tentetur.* Sin autem intelligat tantum, & non ponat decretum, ſic dicet: *Si conſtituerem Adamum in tali rerum ſerie, & permitterem eum tentari. Quid ex eo conſequeretur? vinceretne tentationem, an ſuccumberet?* Atqui hic ſecundus agendi modus divinæ ſapientiæ congruentior eſt, quia majorem arguit in Deo cautionem, ipſamque ſcientiæ mediæ amplitudinem, quippe quæ poſitionem decreti anticipet. Porrò in illo priori, in quo ejuſmodi decreta nondum de hypotheſi lata ſunt, ſunt in ſtatu poſſibili, hoc eſt, intelliguntur non repugnare, quod ſufficit.

III. Pron. Quamvis decreta conditionata non præſupponantur ſcientiæ conditionatæ, probabilius tamen Deus ea concipit & format. Quia

Deo tribuenda eſt ſcientia conditionatè futurorum perfectiſſima: at longè perfectior eſt, ſi Deus concipiat formetque decreta, quàm ſi iiſdem careat. Fac enim Deum carere decretis conditionatis, neſciet vtique, quid eventurum ſit abſolutè poſita conditione. Nam cùm Deus apud ſe dicit: Si exiſtat Adamus in hac rerum ſerie, & permittam eum tentari, peccabit; certè futurum iſtud conditionatum, *peccabit*, non eodemmodo cognoſcit, atque cùm dicit: *Si exiſtat Adamus in tali rerum ſerie, volo permittere vt tentetur.* Quia hoc decreto poſito, volo permittere vt tentetur, ſi talis conditio poſita ſit, cognoſcetur peccatum, expleta conditione, abſolutè futurum. Priuſquam autem tale decretum concipiatur, non intelligitur peccatum, expleta etiam conditione, adhuc abſolutè futurum, ſed quaſi ſuſpenſum ex decreto permittendæ vel non permittendæ tentationis. Unde patet formationem decretorum prodeſſe Deo haud purum ad multas veritates detegendas, quæ alioqui Dei ſcientiam fugerent.

Confirmatur: reſponſio facta Davidi à Deo, qua abſolutè dixit, Tradent te Ceilitæ, arguit formatum à Deo decretum permittendæ illius proditionis, ex hypotheſi quòd David Ceilam veniret, ipſaque Scripturæ verba decretum præſens innuunt, non tantùm futurum. Adde, Deum non videre decreta ſua vt futura, adeòque in illis vt futuris non cognoſcere veritatem ejuſmodi objectorum.

Variæ quæſtiones de ſcientia media.

PRIMA, quis vſus ſcientiæ mediæ. Reſpond. multiplicem, eſſe; prælucet enim divinæ providentiæ, vt prudenter, non cæco modo de rebus ſtatuat; 2. vt infallibilitatem divinæ electionis cum indifferentia libertatis conciliet; 3. vt in conferendis gratiis efficacibus ſpeciale beneficium exerceat. Certè Dei providentiæ in ſalvandis hominibus triplex eſt munus potiſſimum; 1. debet intendere finem, & media decernere huic fini comparando opportuna; 2. eligere media, quæ infallibiliter effectum habitura ſint, ſalvo & integro libertatis jure; 3. explorare gratiarum indolem, vt videat, quibus conſenſura ſit voluntas, ſi dentur, aut non conſenſura, & ex intuitu illius conſenſus eaſdem conferre, quod eſt ſpeciale Dei beneficium: at triplici hoc munere defungitur ſcientia media; non quidem movendo voluntatem Dei ad dandam gratiam, ad prædeſtinandum aut reprobandum, ſed purè inſtar conditionis, dirigendo voluntatem Dei. Cave itaque ne dicas cum Maſſilienſibus Deum moveri à ſcientia media tanquam cauſa ad dandam gratiam; initium enim ſalutis eſt à gratia, non à voluntate creata, quæ Deum primò moveat: prævifio enim illa futuri conditionati nec movet Deum meritoriè, nec abſolutè movere poteſt, ſed ad ſummum finaliter. Item idonea eſt confutandis hæreſibus Calvini & Lütheri contra veram & orthodoxam de libertate noſtra fidem.

Secunda, an ſit media inter ſcientiam ſimpli-

cis intelligentiæ & ſcientiam viſionis. Reſpond. mediam eſſe, non quidem per excluſionem vtriuſque, ſed per participationem. Convenit enim cum ſcientia ſimplicis notitiæ, quòd verſetur circa illa, quæ nunquam erunt actu; cum ſcientia viſionis, quòd verſetur circa ea, quæ non ſunt purè poſſibilia: vnde media dicitur, ſicut colores medii dicuntur, qui participant colores extremos, à quibus tamen diſtinguuntur; hinc etiam dicitur neceſſaria, quatenus communicat cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ; libera, vt habet aliquid commune cum ſcientia viſionis. Speculativa ſimul & practica; ſpeculativa quidem quoad finem, quia eſt de rebus quæ nunquam erunt; practica verò & ex parte modi & ex parte objecti, quia dirigit Deum ad naturas rationis compotes ſapienter regendas, quomodo moveri efficaciter juxtà & ſuaviter creatæ voluntates poſſint, edocet, &c. Denique præit liberæ Dei voluntati, ſicut actus prudentiæ præit liberis actionibus voluntatis, quas dirigit.

Tertia, an Deus futura conditionata diſparata cognoſcat. Reſp. cognoſcere, quia perinde ſiſti poſſunt Deo præſentia in mundo intelligibili per ideas ſupponentes pro rebus, & per æternitatem omni tempori æquipollentem. Diſparata dicuntur futura conditionata, in quibus particula, *ſi*, non eſt cauſalis, ſed puram temporis congreſſionem copulamque indicat, quæ particulæ, *quando*, reſpondet: talis eſt hæc propoſitio, *Si Saül quærit aſinas patris ſui, regnum inveniet*; ſic enim reſolvenda eſt, *Quando Saül quæret aſinas, regnum inveniet.*

APPENDIX

De ideis divinis.

CUM nulla ſit ſcientia practica, quæ non ſit vel ars, vel prudentia; vt ſub initium Logicæ oſtendimus; quæ ſcientia in Deo practica eſt, ars vel prudentia ſit, oportet: ars quidem, quatenus Deum dirigit in producendis creaturis; prudentia autem, quatenus Deo prælucet in decernendis iis omnibus, quæ ad regimen earumdem creaturarum ſpectant. Porrò nullus artifex aut prudens eſt ſine ideis, quæ proinde in Deo eſſe debent. Videndum itaque 1. an ſint ideæ in Deo, 2. quid ſint ideæ, 3. quæ idearum munera in Deo, 4. quarum rerum ideas Deus habeat, denique quæ conſectaria ex ſcientia & ideis divinis.

§. I. *An ſint ideæ in Deo, & quid ſint.*

I. OBSERVATIO. IDEA vt ſic, eſt prima quaſi artificis notio, velut operis futuri deſcriptio quædam & delineatio, forma operis & exemplar. Quamquam exemplar ſumitur ſæpius pro forma externa, ad imitandum propoſita; idea autem pro forma interna, quæ menti ineſt. Utriuſque meminit Seneca epiſt. 66. *Nihil enim refert, vtrum foris habeat exemplar ad quod referat oculos, an intus quod ibi ipſe concepit & poſuit.*

II. Observatio. Ideæ, quæ ſunt in Deo, non vno nomine à Patribus vocantur; *principales & primordiales formæ*, à D. Auguſt dicantur; δημιουργικοὶ λόγοι, *rationes effectrices*, ἀρχικὰ αἴτια, *principia, initium & originem dantia, prædeſtinationes*, à D. Dionyſio; *conceptio, Dei locutio, verbum & rationes Creatoris*, à Philone. Definitur idea divina, forma, quæ Deum dirigit vt artificem in agendo. His poſitis ſit

I. Assertio. Dantur in Deo ideæ rerum omnium, etiam poſſibilium. Probatur 1. Omnis artifex habet præconceptam mente ideam operis faciendi, quam intuetur, vt illius ſimilitudinem in opere exprimat: agit enim ex cognitione dirigente & dictante modum artificioſum: Deus ſe habet ad creaturas ſicut artifex ad ſuum opus: ergo habet præconceptam mente rerum omnium poſſibilium ideam. Major eſt D. Auguſtini tract. 1. in Joan. *Faber facit arcam, primò in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non eſſet vnde fabricando illam proferret; eam quippe non facit neſciens, ſed ſciens.* Minor eſt Scripturæ, vbi ſapientia Dei dicitur omnium artifex, & ex Paulo ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inviſibilibus viſibilia fierent*, id eſt, vt explicat Anſelmus, *ex intellectuali mundo viſibili; inviſibilis enim mundus in ſapientia Dei erat, & ad illius imitationem factus eſt iſte viſibilis.*

2. Cùm Deus vtpote infinitus, contineat in ſe plures & plures in infinitum creaturas, debet ſe determinare ad hanc potiùs producendam, quàm alteram: ergo debet vtramque præcognoſcere, voluntas enim non fertur in incognitum: at præ-

notio illa eſt idea: ergo dantur ideæ rerum omnium in Deo.

3. Quidquid perfectionis continetur in effectu, id totum in cauſa principe debet præcontineri: at effectus quilibet creatus non tantùm eſſe naturæ continet, ex quo conſtat, ſed & artis quam imitando exprimit. Certè partium totius mundi tam bellè inter ſe concinentium conſenſio mirabilis divini ideatoris peritiam & præſtantiam ſat commendat, probatque ſingula, vt ait Auguſtinus, propriis eſſe creata rationibus. Ordo quippe à ſapiente, & nemo ſapiens, niſi ideis probè intellectis. Hinc intelliges veteres Philoſophos & Boëtium, dum mundum archetypum & idealem agnoſcunt in Deo, ad cujus ſimilitudinem expreſſus eſt mundus ſenſibilis, quem incolimus. Porrò mundus archetypus nihil aliud eſt, quàm ipſa ſapientia Dei plena rationibus & ideis rerum velut ſigillis quibuſdam, quæ formandis creaturis ſecundùm ſpeciem cujuſque idoneæ ſunt. 2. Deus non extra ſe, ſed in ſe ipſo exemplaria & ideas rerum continet. *Non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur*, inquit Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 46. *vt ſecundùm id conſtitueret quod conſtituebat, nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Dixi, etiam rerum poſſibilium, quas nunquam Deus producturus eſt; quia cùm Deus poſſit eas producere, debet ſcire modum, quo producendæ ſunt; & aliunde ad rationem ideæ non requiritur, vt actu dirigat, ſed ſufficit vt poſſit dirigere. Sed de exiſtentia idearum ſatis, jam de illarum natura.

Triplex Philoſophorum & Theologorum ſen-

tentia de natura idearum. Prima docet, ideas in Deo nihil aliud eſſe, quàm eſſentiam Dei cognitam ſeu intellectam, vt eſt imitabilis à creaturis, quam multi D. Thomæ tribuunt. Secunda pugnat ejuſmodi formas eſſe ipſaſmet creaturas ſecundùm eſſe creatum in mente divina objectivè exiſtentes, ſecundùm illud idem eſſe, quod habituræ ſunt in ſe ipſis, dum in propria natura exiſtent. Tertia docet ideas formaliter ſumptas, eſſe ipſam Dei cognitionem, non formaliter quidem, ſed objectivè ſumptam, hoc eſt, Verbum divinum, quatenus eſt ſpecies expreſſa creaturarum. Primam & tertiam Granado conciliare nititur, dum ait eſſentiam divinam eſſe exemplar originale, radicale & quaſi remotum; proximum verò & formale, eſſe Verbum divinum, quod exprimitur ex eſſentia, quatenus eſt ſimilitudo creaturarum, vtrumque autem à Deo reſpici, dum creaturas producit, quæ proinde ſunt ἀποσφραγίσματα, *expreſſiones* tum divinæ eſſentiæ, tum Verbi, quia ad vtriuſque ſimilitudinem Deus eas intendit efficere.

Amicus vt mentem ſuam aperiat, quatuor ſigna diſtinguit. Primum, in quo divina eſſentia præcedit actum cognitionis divinæ. Secundum, in quo eſſentia divina actu à Deo cognoſcitur, quatenus imitabilis eſt à creaturis, putà à rebus inanimis ſecundùm eſſe, à plantis ſecundùm vivere, &c. Tertium; in quo cognitio divina ab eſſentia vt ſpecie intelligibili creaturarum concipitur, eaſdem in ſe objectivè & intentionaliter exprimere ſecundùm proprium vniuſcujuſque eſſe. Quartum, in quo Deus proximè determinatus eſt à proprio eſſe creaturarum objectivè &

intentionaliter expreſſo in ſua cognitione, & remotè ab eſſentia cognita tanquam à proximo exemplari, illas extra ſe procreat.

Eſſentia Dei in primo ſigno ſpectata, eſt exemplar remotum creaturarum, quatenus eas eminenter continet. In ſecundo, exemplar proximum, in quo Deus cognoſcit creaturas tantùm ſecundùm eſſe eminentiale & imparticipatum. In tertio, ſecundùm eſſe proprium formale cognoſcuntur à Deo creaturæ in Verbo, ſeu in cognitione divina, tanquam in ſpecie expreſſa & verbo ipſarum, adeóque habet rationem ideæ in hoc ſigno divina cognitio.

Eſt tantùm exemplar remotum eſſentia divina in primo ſigno, quia Deus ob continentiam eminentialem habet tantùm ſimilitudinem analogam cum creaturis, quod ad rationem ideæ non ſufficit. In ſecundo, eſt proximum exemplar, quia per cognitionem proximè completur in ratione exemplaris; per eam enim fit proximè apta ad dirigendum opus. Non eſt tamen idea creaturarum, quia eſſentia etiam vt cognita, non habet vnivocam convenientiam in repræſentando cum re repræſentabili; non enim continet creaturas in ſe ſecundùm proprium eſſe creatum: ergo etiam cognita non poteſt repræſentare. Ratio à priori eſt, quòd cognitio non mutet eſſe objecti, ſed illud tantùm tale repræſentet, quale eſt. In tertio autem ſigno eſſentia divina eſt idea creaturarum, non quidem prout eſt ſpecies intelligibilis; quia ſic accepta non eſt medium cognitum, ſed quatenus eſt ſpecies expreſſa & actualis ſimilitudo creaturarum, quia ſic accepta eſt vitalis imago & expreſſa

preſſa atque intentionalis ſimilitudo creaturarum, & vt ita dicam, earum verbum: at in verbo relucet objectum ſecundùm proprium & formale eſſe ipſius: quia totum eſſe objecti continetur in verbo; hinc Auguſtinus ſerm. 38. de verbis Domini appellat Verbum *formam non formatam, ſed omnium formatorum.* Deinde Verbum vt idea creaturarum convenire debet vnivocè cum re, cujus eſt idea, quia debet proximè determinare artificem ad conſimile opus producendum: ergo debet vnivocè continere ipſum opus, quia determinat intellectum artificis ad tale opus in ſpecie per id quod intentionaliter continet: at hoc convenit vni cognitioni divinæ, vt eſt ſpecies expreſſa, non eſſentiæ, quæ analogicè tantùm convenit cum re ideata.

In hac doctrina id vnum placet maximè, quòd Verbum velit eſſe creaturarum ideam. Quam doctrinam vt explicem, ſit

II. Assertio. Verbum eſt idea creaturarum. Probatur, tum quia habet omnia requiſita ad rationem ideæ, vt patet ex dictis: tum quia ideæ ſunt, ex D. Dionyſio, λόγοι δημιουργικοί, *rationes effectrices*, Verbum autem eſt ratio Patris: tum quia idea eſt in mente Creatoris inſtar regulæ; Verbum autem reſidet in mente Patris: tum quia Euſebius de præpar. Evang. lib. 11. cap. 12. obſervat Verbum à Philone Judæo ideam appellari, dum ita loquitur: *Si quis voluerit ſignificantioribus vti verbis, nihil aliud intellectualem dicet eſſe mundum, quàm Dei jam creantis Verbum. Nihil enim aliud civitas illa intellectualis eſt, quàm Creatoris ratio, creare jam cogitantis. Quod dogma Moſi, non meum eſt; apertè namque ſcribit ad ima-*

ginem eſſe formatum. Quòd ſi pars mundi imago imaginis eſt, univerſus iſte mundus ſenſibilis ad exemplar divinæ imaginis factus eſt. Primitivum ergo ſigillum, quod intellectualem mundum appellamus, ipſum exemplar eſt. Primitiva idea idearum omnium Dei Verbum. Sed vt clariùs pateat, quomodo Dei Verbum idea ſit creaturæ, ſit

I. Pronuntiatum. Duplex quaſi vultus Verbi divini; altero Patrem reſpicit, ex quo exprimitur; altero creaturas, quas repræſentat. Primo reſpectu, dicitur imago Patris; ſecundo, idea creaturarum. Ratio eſt, quia Verbum increatum procedit ex ſimilitudine omnium creaturarum; procedit enim ex divina eſſentia vt ex perfectiſſima ſimilitudine omnium creaturarum, vtpote intrinſecus & adæquatus terminus intellectionis divinæ: ergo in ſe ipſo continet omnes creaturas intelligibiliter: vt enim virtualis ſimilitudo objecti eſt ipſum objectum in actu primo intelligibile: ita verbum, cùm ſit ipſa actualis & expreſſa ſimilitudo objecti, eſt ipſum objectum intelligenter expreſſum; ac proinde creaturæ, vt à Deo intellectæ, ſunt ipſius Verbum increatum, vt eſt actualis & intelligibilis imago earum. Certè ſicut imago Cæſaris eſt perfecta ſimilitudo Cæſaris, qua ſemel poſita, ſit Cæſar in eſſe repræſentato: ita cùm Verbum Dei ſit ſimilitudo divinæ eſſentiæ, & omnium creaturarum quæ in ea continentur, vbi per cognitionem expreſſum eſt, creaturæ ſunt in eo intelligibiliter ſecundùm eſſe proprium naturale vniuſcujuſque, licèt in Deo ſecundùm eſſe naturale ſubjectivè non ſint.

II. Pron. Verbum vt idea eſt creaturarum, ſu-

mitur vel in ſuppoſitione materiali, vel in ſuppoſitione formali. Ut ſumitur in ſuppoſitione materiali, dirigit Deum in operando, eſtque idea practica. Ut ſumitur in ſuppoſitione formali, eſt repræſentativa creaturæ, locumque tenet in mundo ideali, tanquam forma creaturæ propria, non naturalis quidem, ſed intentionalis, in quo cognoſci poteſt ſecundùm triplicem ſtatum poſſibilitatis & futuritionis ſive abſolutæ, ſive conditionatæ; hinc Deus habet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia ideam habet, quæ illi repræſentat ſtatum creaturæ poſſibilem: habet & ſcientiam mediam, quia idea exhibet illi ſtatum creaturæ, qui eſſet ſub hac vel illa conditione futurus. Denique habet ſcientiam viſionis, quia idea exhibet illi ſtatum creaturæ abſolutè futurum. Ratio eſt, quòd idea divina ſit infinitæ virtutis, adeóque poſſit rem ſub omni ſtatu, in quo eſſe poteſt, repræſentare. Ut enim creatura ſi exiſteret in mundo reali his conditionibus affecta, hanc habitudinem realem cum ſuo actu reali contraheret: ita idea, quæ eſt creatura intelligibiliter & repræſentativè, dum videtur à Deo ſub iiſdem conditionibus, contrahit eandem habitudinem intelligibilem cum ſuo actu ideali; & ita ſervatur proportio inter mundum idealem & mundum intelligibilem. At quomodo idea habet vim repræſentandi actum futurum, an dependenter ab actu futuro; ita vt vera ſit hæc propoſitio in ſenſu cauſali, ideo idea repræſentat actum futurum, & pro illa ſupponitur, quia revera eſt futurus. Ut reſpondeam, ſit

111. Pron. Duplex ordo ſpectandus in idea

relata ad creaturam, cujus eſt idea; alter intelligibilitatis, alter ſuppoſitionis. Actus non eſt priùs futurus in ordine intelligibilitatis ſeu objecti intelligibilis, quàm repræſentetur in idea vt futurus: quia nihil aſſignari poteſt præter ideam, quod inſtar objecti motivi poſſit Deo creaturas repræſentare, in quocunque ſtatu ſint, vt jam oſtendimus; non præſentia realis in æternitate quam rejecimus; non creatura quæ moveat intellectum divinum; alioqui ſcientia Dei penderet à creatura vt objecto movente; non eſſe diminutum, quod extra Deum ſit ab æterno. Rurſus cùm idea duplicem reſpectum habeat ad rem ideatam; alterum cauſæ exemplaris ad cujus ſimilitudinem effici poteſt; alterum formæ ſupponentis, cujus locum tenet in mundo intelligibili. Sub primo reſpectu idea prior eſt re ideata, quia relatio cauſæ fundatur in actione: ſub ſecundo autem res ideata prior eſt aliquo modo, quàm ipſa idea ſub aliqua denominatione, non reali quidem, ſed rationis & purè extrinſeca, quæ ideam præſupponit in ratione exemplaris. Ratio eſt, quia ordo ſuppoſitionis eſt tantùm ordo denominationis exiſtens inter extrema, quorum vnum dicitur pro altero ſupponere, hoc eſt, ſeipſum pro illo ponere; & ita connotat illud tanquam cauſam & fundamentum ſuæ denominationis.

§. II. *Quæ ſint munera idearum, & quarum rerum Deus ideas habeat.*

I. ASSERTIO. IDEA eſt principium generationis in Deo perinde ac in artifice creato. Probatur, quia dirigit Deum in agendo ad extra, dictatque Deo modum artificioſum & eruditum, quem in opus inducat, & determinat eum ad operandum ex directione ſua: hinc idea in artifice requirit eſſentialiter vim productricem rei ideatæ; in Deo quidem tum quoad eſſe materiale, tum quoad eſſe artificiatum operis; in artifice creato quoad artificium dumtaxat. Nam idea ſtatuæ elaborandæ non requirit in ſtatuario vim marmoris effectricem; hinc etiam ideæ à D. Dionyſio vocantur rationes effectrices & principia originem dantia.

II. ASSERTIO. Idea divina eſt etiam ratio cognoſcendi rem ad ſui ſimilitudinem expreſſam. Probatur, quia idea nihil aliud eſt quàm expreſſa & intentionalis ſimilitudo rei, quæ fit ad inſtar illius, in mente artificis: at hæc eſt ratio rei cognoſcendæ, quæ fit ad inſtar illius, & pro qua ſupponit in mundo ideali, vt jam obſervavi ſuperiori §. At

Quæres, an ſicut in artifice creato tria realiter diſtincta concurrunt ad opus, intellectus per ideam dirigens, voluntas per imperium applicans, & potentia exequens; ita in Deo hæc tria ratione diſtincta requirantur.

Reſp. duplicem eſſe ſententiam, quarum vna affirmat diſtinguitque potentiam executricem ab

idea, altera negat exequentem potentiam ab idea diſtingui, quam, vt ſubeſt imperio voluntatis, cauſam operis immediatè executricem pugnat. Rem definiemus, cùm agemus de omnipotentia.

III. Assertio. Non dantur propriè ideæ in Deo, niſi rei operabilis. Patet ex definitione ideæ; eſt enim forma, quæ artificem dirigit, & quam effectus imitatur ex intentione Dei ſibi finem, hoc eſt, gloriam ſuam proponentis: vnde agens ex idea ſemper liberum eſt, ipſaque idea reſpicit opus, quod ex natura ſua per libertatem dirigi & gubernari poteſt. Hinc

1. Deus non habet propriè ideam ſui ipſius, nec earum perfectionum, quæ communicari creaturis non poſſunt, cujuſmodi ſunt independentia ab alio, ratio actus puri, infinitas eſſendi; nec Pater Filii, nec Pater & Filius Spiritus ſancti ideam habent, quia neuter per artem producitur; nec ſcientiæ ſpeculativæ quam Deus habet de creaturis, vlla per ſe reſpondet idea: vnde ſi per impoſſibile Deus non poſſet producere creaturas, licèt ſpeculativè eas comprehenderet, non tamen earum ideam haberet.

Nullæ etiam dantur in Deo ideæ ſpeciales generum, ſpecierum & accidentium tantùm metaphyſicè diſtinctorum: quia nec produci, nec exiſtere per ſe poſſunt genera & ſpecies, niſi in individuis, ipſaque accidentia metaphyſica ex ſubjectis quibus inſunt, productis reſultant.

Nullæ item negationum aut privationum per ſe Deo inſunt ideæ, itàque nec malitiæ moralis & phyſicæ, quia vt tales formaliter, ſunt privationes; hinc cùm Deus dicitur cauſa mortis,

cæcitatis & ſterilitatis, dicitur tantùm cauſa negativè per ſubſtractionem actionis realis, ad quam requiritur tantùm non vſus ideæ repræſentantis formam negatam. Nullæ denique entium rationis, vt talia ſunt formaliter; habet tamen Deus ideas actionum, ex quibus reſultat malitia moralis; ſubjectorum, quibus inſunt privationes; & partium, ex quibus ens rationis compingitur: v. g. Deus habet ideas hirci & cervi, licèt non habeat hircocervi, quia hæc omnia ſunt entia realia. Habet autem Deus ideas omnium entium realium creatorum & creabilium, quæ etiam nunquam producturus eſt, quia poſſunt ab eo ex arte produci. Porrò ideæ, quas Deus habet de rebus in aliqua differentia temporis extituris, prædeſtinationes & bonæ voluntates à Patribus vocantur, quia ejuſmodi ideæ decretis conſignantur, à quibus determinatur ad res producendas. Tamen D. Thomas partium incompletarum diſtinctas in Deo ideas, præſertim materiæ primæ, videtur non agnoſcere, totales nempe & integras, ſed tantùm partiales, quia eſſe perfectum materiæ non convenit, ſed tantùm imperfectum & potentiale. *Eſſe autem perfectum materiæ non convenit in ſe, ſed ſolùm ſecundùm quod eſt in compoſito. In ſe verò habet eſſe imperfectum ſecundùm vltimum gradum eſſendi, quod eſt eſſe in potentia. Et ideo perfectam rationem idea non habet, niſi ſecundùm quod eſt in compoſito: quia ſic ſibi à Deo eſſe perfectum confertur. In ſe verò conſiderata habet in Deo imperfectam rationem ideæ, quia eſſentia divina eſt imitabilis à compoſito ſecundùm eſſe perfectum, à materia ſecundùm eſſe im-*

perfectum. Ita D. Thomas lib. 1. ſentent. diſt. 36. quæſt. 2. art. 3. ad 1.

IV. Assertio. Quamvis vna ſit realiter in Deo, eſt tamen virtualiter multiplex. Patet: quia ratio ideæ ſignificat exemplarem cauſam, prout commenſurata & adæquata eſt ſuo exemplato, cauſans intrinſecam formam illius per quam diſtinguitur ab aliis rebus; adeóque vniuſcujuſque rei cauſam ſignificat, prout diſtinguitur ab alia, quod ſufficit, vt ſua cuique rei idea peculiaris reſpondeat, non re quidem, ſed ratione ab aliis ideis diſtincta. Accedit auctoritas Patrum qui paſſim ideas vſurpant in plurali numero; præſertim D. Auguſtini lib. 83. quæſt. q. 46. *Omnia*, inquit, *ratione ſunt creata, nec eadem homo, qua equus. Hoc enim abſurdum eſt exiſtimare, ſingula ergo propriis ſunt creata rationibus.* Contra verò ſcientia, ars, potentia creatrix non dicuntur plures eſſe in Deo pro multitudine materialium objectorum, quia non ſignificantur quaſi commenſuratæ & adæquatæ ſingulis creaturis, nec expreſſè vi nominum, quibus inſigniuntur, ſignificant cauſam vniuſcujuſque rei, prout diſtinguitur ab aliis, inquit Didacus Ruiz. Certè nemo dixerit apud Deum eſſe eamdem hominis & equi definitionem: ergo nec concedi debet eadem eorum ratio.

V. Assertio. Ideæ ſunt communes omnibus perſonis, licèt per appropriationem verbo tribuantur. Ratio primæ partis eſt, quia perfectio idealis eſt perfectio abſoluta: at perfectio abſoluta tribus perſonis convenit. Ratio ſecundæ, quia ſicut Filius procedit vt Verbum notionale Patris, ita omnia quæ pertinent ad Ver-

bum & cognitionem abſolutam, Filio attribuuntur. Hinc omnia per ipſum facta dicuntur, *Ioan.* 1.

§. III. *Conſectaria ex triplici Dei ſcientia & ideis.*

1. UT concipias quanta ſit perfectio divinæ ſcientiæ tum extenſiva, tum intenſiva, diſtingue quinque ſigna rationis cum Theologis in ſcientia Dei, quorum in primo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ fertur in divinam eſſentiam & in perſonas divinas; in ſecundo in omnia poſſibilia; & in tertio in omnia opera poſſibilia rerum poſſibilium; in quarto per ſcientiam mediam videt diſtinctiſſimè omnia futura ex hypotheſi; in quinto per ſcientiam viſionis omnia futura abſolutè. Et inde facilè colliges, quàm latè pateat ſcientia divina. Nam in tribus primis ſignis comprehendit ſeipſum, perfectiones omnes & tres perſonas; deinde omnia quæcumque creare poteſt, infinitos mundos etiam noſtro perfectiores, infinitas rerum ſpecies & individua, quæ numquam erunt, pervadit inſuper opera ſingulorum, quid facere aut pati queant, &c. In quarto cernit omnia quæ reipſa fierent à ſingulis cauſis liberis, qualibet conditione poſita, quid in ſingulis occaſionibus libertas amplexura, aut non amplexura, factura aut non factura eſſet. In quinto quæ extitere hactenus, quæ nunc exiſtunt exiſtentque in poſterum per totam æternitatem, intuetur; ita vt

nihil ipſum lateat, non ſpecies, non individuum, non operatio vlla individui, non planta, non folium arboris, non pilus animalium: ſed hæc omnia, varietatem, figuram, partium connexionem, proportionem, ſitum, vires, efficientias diſtinctiſſimè, clariſſimè cernit, penetrat & comprehendit, immo & ſupercomprehendit; & quemadmodum per immenſitatem illius eſſentia & potentia, inquit Leſſius, in ſingulis loci & ſpatii punctis eſt tota & tam perfectè, quàm ſi tota immenſitas in punctum collecta foret: ita vis intelligendi illius infinita circa res ſingulas tam perfectè verſatur, ac ſi vni tantùm eſſet intenta.

11. Quàm dives mens Dei & ſapientia opulenta *, quæ tot referta ideis, tot rerum exemplaribus plena, rerum omnium, etiam quæ nunquam erunt, rationes contineat! Finge inſignem architectum, qui infinitas palatiorum formas, quæ extruere nunquam ſtatuerit, mente concipiat, iis ſe paſcat & delectet; ſpeculum nitidiſſimum, in quo omnia clariſſimè repræſententur; centrum in quo lineæ copulentur; exemplar pulcherrimum, ex quo creata omnia quidpiam referant, Deum ideis rerum omnium inſtructum vtcumque adumbraſti. Gaudet quippe divinus ille artifex ideis non earum dumtaxat rerum, quas aliquando producturus eſt, ſed quas etiam procreare nunquam ſtatuit, nec minùs ab æterno coram ipſo lucent, quàm quæ exteriùs condidit. Speculum eſt luminoſiſſimum, in quo rerum omnium ſpecies puriùs multò quàm in ſe ipſis nitent; centrum, in quo omnes creaturæ tanquam lineæ copulantur; exemplar pulcher-

rimum, cujus imitatione pulcra ſunt, quæcumque aſpectu ſuo oculos noſtros detinent. Hinc ex Auguſtino lib. 1. de Civit. cap. 10. *Neque multa, ſed vna ſapientia, in qua ſunt immenſi quidam atque infiniti theſauri rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inviſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per ipſam facta ſunt. Quoniam Deus non aliquid neſciens facit.* Hinc

III. Ab ideis Deus habet, vt ſit omnia intelligibiliter, quæcunque hîc videmus & contemplamur; non quia ipſe ſit quaſi congeries rerum vniverſarum, ſed quòd vnus & ſimplex exiſtens, eorum omnium rationes præhabeat.

IV. Deus artifex omnium præſtantiſſimus. Tria quippe artificem commendant; præcellens forma operis faciendi, voluntas efficaciter imperans executionem operis ex præconcepta idea operis faciendi, & potentia promptiſſimè exequens: at Deus habet in mente præcellentes operum faciendorum formas, vtpote primigenias, archetypas & increatas, ad quarum ſimilitudinem opera poſſit, cùm lubet, effingere; voluntatem efficaciſſimam, cujus imperio nihil reſiſtat; potentiam exequentem, quæ infinita ſit, ſive idem ſit quod idea operis immediatè effectrix, ſive ab ea diſtinguatur. Præterea peritiam hujus divini artificis probat modus artificioſus & eruditus, quem ſingulis rebus imprimit, dum ſapientiam in eas effundit. Artem deſideras, quæ in tenui & anguſta materia vim exerat ſuam? ars divina vel in minimo ſemine tanquam in cauſa efficiente, & in forma ſimplici tanquam in cauſa exemplari & finali figuras corporum, colores, partium

connexionem & conſenſum, totius operis proportiones includit, quæ omnia deinde in arbore indidem naſcente, ad pompam magnificentiùs explicat, dum durat in truncum, in radices exporrigit, in ramos, folia, flores & fructus effundit. Fabricam vel vnius corporis humani, partium inter ſe concinentium ordinem & conſenſum vſuſque varios, quis non miretur, dicatque cum Davide Pſalm. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* Non tamen omnes effectus Dei adæquant ideam ſuam ſpecificam, ſed tantùm ex parte reſpondent ideis ſingularium, ſive id accidat vitio materiæ, ſive imbecillitate cauſarum ſecundarum, quibus Deus ſe accommodat. Quantùm autem effectus deficit à ratione propriæ ideæ, tantum habet de non ente, Deo permittente vt participet de non eſſe; hinc inter homines alii aliis perfectiores, in quibus multa deſiderantur.

v. Idea divina increata cùm ſit, & Deus ipſe, eſt infinita, adeóque infinitis modis participabilis, etiam infra ſuam latitudinem; hinc tanta & tam mirabilis varietas in effectis, quæ divitias & fœcunditatem Dei prodit, vt obſervat D. Thomas.

vi. Idea divina & idea creata partim conveniunt, partim diſcrepant. Conveniunt 1. quòd vtraque directiva ſit operis & practica, 2. in vtraque opera vivant vitâ artificis, 3. vtraque ſit ratio cognoſcendi rem, cujus eſt idea. Diſcrepant autem, quia creata eſt accidens diſtinctum realiter à mente cui inſidet, finita, ſæpius confuſa, mutabilis, à rebus ipſis ſeu exemplari externo ſæpius petita. Faber enim format ideam

ſuam ex eo quòd vel totum ſimul, vel per partes ex aliquibus rebus aliquo modo didicit, & figuram dumtaxat externam procreat. In Deo idea realiter identificatur illius eſſentiæ, ſubſtantia eſt, non accidens, infinita, diſtinctiſſima, immutabilis, non aliunde, hoc eſt, non ex aliis rebus hauſta concinnataque, denique tum accidentium phyſicorum, tum ſubſtantiarum effectrix.

VII. Creaturæ longè perfectiori modo ſunt in ideis, quàm in ſe ipſis. Ita Auguſtinus lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 15. *Hæc omnia priuſquam fierent, erant in notitia facientis, & vtique ibi meliora,; vbi veriora, vbi æterna & incommutabilia.* Deinde in idea divina vitâ Dei vivunt, in ſe ipſis vitâ creaturæ tantùm, aut certè vitâ ſenſuque carent. Ratio eſt, quòd res, prout ſunt in cognitione Dei & ideis, ſint ipſemet Deus, infinitus, increatus, æternus, cujus eſſe non tantùm eſt entitativè melius & verius quolibet eſſe creato; ſed etiam in ordine ad ipſas creaturas, quæ ſunt in Deo, melius & verius eſt illud eſſe, quàm eſſe creatum, finitum & temporale, quod in ſe habent. Hanc etiam rationem ſufficit Didacus Ruiz: quia multò major diſtantiæ pars ſuperatur, cùm creatura transferri concipitur ad eſſe poſſibile, quàm cùm ex poſſibilitate ad eſſe actuale perducitur: poſſibilitas autem creaturis tribuitur per Dei eſſentiam participabilem, ideam & cognitionem, ſuppoſita negatione implicationis; creatura autem ad eſſe actuale per aliquid finitum & creatum producitur; ita ille. At

Dices: Creaturæ ſunt in noſtra cognitione per

ſimilitudinem tantùm intentionalem, in ſe ipſis per ſuam eſſentiam: at melius eſt eſſe in ſe ipſo per ſuam eſſentiam, quàm in alio per ſimilitudinem intentionalem: ergo

Reſp. 1. ſaltem res corporatas inanimes eſſe in noſtra cognitione vitaliter & ſpiritali modo, quo ſenſu melius eſt illis eſſe in cognitione noſtra, quàm in ſe ipſis. Reſp. 2. non valere paritatem à noſtra cognitione ad divinam, quia res creatæ per ſimilitudinem intentionalem quam habent in noſtra cognitione, non conſtituuntur in eſſe-poſſibili, quod ſecus accidit iiſdem, prout ſunt in ideis divinis; ab eſſentia quippe divina, quà participabilis eſt, & à ratione, quà practica, creaturæ habent poſſibilitatem phyſicam.

DISPUTATIO VI.

De voluntate Dei.

CUM de intelligentia & ſapientia Dei hactenus diſputatum ſit, quæ facem præfert voluntati, & bonum quod amet, malum quod averſetur, proponit; poſtulat ratio methodi, vt voluntatis conſideratio intelligentiæ contemplationem excipiat. Examinandum itaque 1. an ſit in Deo voluntas, & quod illius objectum; 2. an ſit in Deo libertas, & in quo potiſſimùm conſiſtat.

ARTICULUS I.

An ſit in Deo voluntas, & quodnam ſit illius objectum.

CIRCA Dei voluntatem plura quæri poſſunt. Primum, an detur in Deo; ſecundùm, an ſit per modum actus primi; tertium, an ſit de conceptu Dei quidditativo; quartum, quodnam ſit objectum illius, tum materiale, tum formale; quintum, quæ partitio.

§. I. *An ſit in Deo voluntas, & quomodo ſit.*

I. ASSERTIO. DATUR voluntas in Deo. Probatur 1. ex D. Paulo Rom. 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei.* Sap. 11. *Subeſt tibi, cùm volueris, poſſe.* 2. Ex Philoſopho lib. de Mundo, prope finem: *Deus omnia quò vult, movet, & arbitratu ſuo omnem rempublicam temperat.* Et lib. 7. Ethic. cap. vlt. Deum ait vna ſimplicique voluptate gaudere: at voluptas eſt actus voluntatis.

Probatur 3. ratione multiplici. Prima ſit, Deus, eſt perfectiſſimè intelligens: ergo habet voluntatem. Conſequentia eſt D. Thomæ 1. part. quæſt. 19. art. 1. *In quolibet habente intellectum eſt voluntas, ſicut in quolibet habente ſenſum eſt appetitus animalis. Et ſic oportet in Deo eſſe voluntatem, cùm ſit in eo intellectus.* Conſequentiam negat

Arriaga diſput. 2. de anim. ſect. 4. cenſetque poſſibilem eſſe naturam intelligentem, quæ careat voluntate. Probatur itaque conſequ. omnis ſubſtantia exigit appetitum ſibi proportionatum, quo proſequatur bonum ſibi debitum, & fugiat malum diſſentaneum: Deus eſt ſubſtantia intelligens: ergo exigit appetitum ſibi proportionatum, quo proſequatur bonum ſibi debitum, & fugiat malum ſibi diſſentaneum: appetitus naturæ intelligenti proportionatus eſt voluntas: ergo Deus habet voluntatem. Major patet inductione; nulla enim eſt ſubſtantia creata, quæ non habeat appetitum innatum aut elicitum, quo tendat in bonum ſibi congruum, & malum ſibi noxium averſetur. Quòd autem voluntas ſit appetitus voluntati proportionatus, vel inde liquet, quòd quælibet ſubſtantia capax intellectionis poſſit intelligere bonum vt bonum, quod rectæ rationi conforme ſit, quæ intellectio voluntatem reſpicit tanquam regula, vt ipſam dirigat. Certè hoc ipſo quòd natura eſt intelligens, bonum honeſtum ipſi maximè congruum, inhoneſtum autem diſſentaneum; hinc pronuntiatum Athanaſii lib. de definit. colum 4. *Quidquid intelligit, conſtat etiam quòd voluntate ducatur.* Hoc argumentum ſi quid valet, probat nullam poſſe dari naturam intellectualem, cui non conveniat capacitas radicalis appetendi id quod honeſtum eſt, & fugiendi quod turpe.

Secunda: enti perfectiſſimo debetur perfectio ſimpliciter ſimplex: Deus eſt ens perfectiſſimum, & voluntas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; Deum enim poſſe velle & amare, melius eſt, quàm non poſſe: ergo Deo ineſt voluntas. Et ve-

rò Deo voluntatem ſi adimis, dominium eidem in res creatas, libertatem ad agendum vel non agendum, bonitatem omnem moralem, vitam beatam, cujus actus præcipui, amor & gaudium, qui ſunt voluntatis partus, ſicut viſio intellectûs; providentiam circa res creatas, prædeſtinatorum electionem, denique Spiritus ſancti productionem adimis; ampliùs dico, tollis vota, preces & ſacrificia, quibus mortales Deum ad miſericordiam ſollicitant, & placant iratum, & beneficia ab eodem impetrare conantur: quorſum enim beneficia ab eo poſtules, cui nulla ſit concedendi voluntas?

Objicies 1. Ex vi intelligendi non infertur neceſſariò vis volendi, quia nec includitur in conceptu entis intellectivi, nec ad intellectiones eliciendas requiritur. 2. Potentiæ externæ, putà auditus & viſus, cognoſcitivæ ſunt, nec tamen appetitum ſibi reſpondentem habent: ergo cuilibet potentiæ cognoſcenti ſuus non reſpondet appetitus.

Reſp. ad 1. ex ratione boni honeſti, quod eſt naturæ intelligenti quàm maximè congruum, appetitum ipſi proportionatum inferri, qui ſit voluntas. Ad probationem, ſatis eſt, quòd vis appetens ſit proprietas naturæ intelligentis.

Ad 2. ſatis eſt, quòd potentiæ externæ cognoſcentes appetitum habeant ſibi reſpondentem mediatè & remotè, quatenus movent ſenſum internum ad repræſentandum bonum ſenſibile appetitui ſentienti.

Inſtabis: poteſt dari cognitio intellectualis, quæ non repræſentet bonum aut malum, adeóque nec amorem aut odium excitet: v. g. pro-

poſitio, quæ affirmat chimæram eſſe impoſſibilem, vel angulum non eſſe ſine lineis: ergo poſſibilis eſt natura intelligens, quæ non ſit appetitiva.

Reſp. tranſeat ant. nego conſ. ſuppoſitum enim illud, quod eſt capax illarum intellectionum ſpeculativarum, capax quoque erit practicarum, quæ proinde honeſtum amandum, inhoneſtum odio habendum judicent, adeóque habebit appetitum, quo honeſtum amplectatur, & inhoneſtum fugiat.

II. Assertio. Non datur in Deo voluntas per modum potentiæ ſeu actus primi, ſed tantùm per modum operationis. Ita D. Thomas qui docet *intellectum & voluntatem non eſſe in Deo vt potentias, ſed vt operationes.* Ratio illius eſt 1. part. quæſt. 19. art. 1. quod ſicut ſuum intelligere eſt ſuum eſſe in Deo, ita ſuum velle: at ex eodem Doctore 1. part. quæſt. 41. art. 4. ad 3. intelligere Dei eſt ipſum eſſe Dei, ſeu Dei eſſentia: ergo velle Dei eſt etiam ipſum eſſe Dei, adeóque non poteſt eſſe in Deo per modum potentiæ ſeu actus primi. Deinde Deus eſt actus puriſſimus: ergo non poteſt intelligi admixtus potentiæ paſſivæ: poſſet autem concipi, ſi conciperetur voluntas in Deo vt potentia elicitiva volitionis quam in ſe reciperet: hinc voluntas in Deo diſtinguitur tantùm ab actuali volitione per abſtractionem præciſivam, ſicut poſſibilitas cujuſque rei ab ejuſdem actualitate; hinc etiam divina volitio prout eſſentialis eſt & communis tribus perſonis, non eſt ſtrictè actio, quia non procedit à principio verè & realiter producente, nec paſſio, quia pati imperfectio-

nis eſt, ſed potiùs operatio & vltimus actus, vt obſervat D. Bonaventura 1. diſt. 45. art. 1. quæſt. 1. Juxta mentem Ariſtotelis 7. Polit. cap. 3. & in Metaph. lib 12. cap. 7. tex. 39. *Intellectus operatio vita eſt; Deus verò eſt actus; actus autem per ſe illius vita optima & perpetua eſt.* Ubi actus perfectionem ſignificat in eſſe quieto, non in motu.

III. Assertio. Voluntas divina eſt de conceptu Dei quidditativo. Probatur 1. ex D. Thoma jam citato, aiente velle divinum eſſe ipſum eſſe Dei, ſicut & intelligere. Probatur 2. perfectio ſimpliciter ſimplex eſt de conceptu quidditativo naturæ divinæ: voluntas ſeu volitio divina eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia melior ipſa, quàm non ipſa: ergo eſt de conceptu quidditativo naturæ divinæ, ſaltem inadæquato. Hinc patet voluntatem non diſtingui realiter ab eſſentia divina. Rationem hanc reddit Ariſtoteles lib. 12. Metaph. cap. 7. & cap. 9. quia ſi volitio Dei vel ejus objectum formale non eſſet ipſe Deus, perfectio & honorabilitas ab alio Deo accideret, nempe ab intellectione, quæ non eſſet Deus, aut ab objecto formali quod non eſſet Deus; & ita Deus eſſet indigens.

Quæres, an ſit in Deo appetitus innatus. Reſp. Per appetitum innatum vel intelligis appetitum innatum vt diſtinguitur ab elicito quem antecedit, & qui ſit per modum deſiderii boni nondum poſſeſſi: vel intelligis naturalem inclinationem & determinationem cujuſque rei ad propriam perfectionem aut actionem. Si primo ſenſu accipis, non eſt in Deo appetitus innatus, quia dicit imperfectionem, quippe qui vitam non

includat. Deinde talis appetitus iis rebus conà venit, quæ non habent perfectionem conſummatam; ſi enim haberent, quorſum in eam per deſiderium ferrentur: Deus autem habet omnem perfectionem conſummatam, quia eſt ens ſimpliciter. Sin autem ſecundo ſenſu accipis, eſt verè in Deo tum ad bona intrinſeca, quæ poſſidet ex ſeſe, tum ad alias res extra ſeipſum. Probatur prima pars: res aliæ appetunt ſe ipſas ſuaſque perfectiones intrinſecas: ſic lapis innato appetitu ſuam eſſentiam amat; idque argumento eſt, quòd actiones lapidis ad illius conſervationem tendant, cujuſmodi eſt deſcenſus ad centrum. Hinc ex Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei, cap. 27. omnia etiam inſenſibilia amant eſſe ſuum, adeòque interitum fugiunt, & ſui conſervationem quærunt. *Quin etiam ſi arbores eſſemus, vt ait cap. 28. id quaſi appetere videremur, quo feraciùs eſſemus vberiúſque fructuoſæ. Si eſſemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid ejuſmodi, ſine vllo quidem ſenſu atque vita, non tamen nobis deeſſet quaſi quidam noſtrorum locorum atque ordinis appetitus.* Rationem deinde ſubjicit: *Nam velut amores corporum momenta ſunt ponderum, ſive deorſum gravitate, ſive ſurſum levitate nitantur; ita enim corpus pondere, ſicut animus amore, fertur quocunque fertur.* Quidni etiam Deo inſit appetitus ille naturalis: non quidem per modum deſiderii, ſed per modum vnionis & quietis in ſe ipſo ſuiſque perfectionibus, vi cujus ſi opus eſſet, ſe Deus naturaliter à deſtruentibus defenderet, & in ſuo eſſe conſervaret?

Probatur ſecunda: 1. Deus eſt ſummum bonum:

ergo maximè ſui diffuſivum: ergo innato fertur impetu ad ſeipſum communicandum, tum ad intra per proceſſiones, quæ communicatio eſt neceſſaria, tum ad extra per creationem; ita tamen vt propenſio ad communicandum ſe ad extra, naturalis & neceſſaria ſit ipſi; vſus autem liberrimus, quia nullum eſt bonum externum, quod Deum neceſſitet. 2. In Deo eſt potentia activa, & quidem perfectiſſima: potentia activa naturaliter propendet ad agendum. Ab hoc appetitu Deus Pater appetit naturaliter generare Filium, illo tanquam Verbo loqui, in illo tanquam in perfectiſſima ſui imagine ſeipſum contemplari; Pater & Filius tanquam vnum principium appetunt ſpirare Spiritum ſanctum; ab hoc denique tot creaturæ in ordine naturali, & in ordine ſupernaturali, incarnatio Verbi, gratiæ Sacramenta profluxere. Quamvis enim creaturæ quas Deus produxit, non ſint Deo neceſſariæ aut vtiles, ſunt tamen bona Dei extrinſeca, quæ ipſum decent, & illi aliquomodo congruunt.

Objicies ex D. Bonaventura 4. diſt. 49. art. 1. duo ſunt de ratione appetitus, ſcilicet convenientia & indigentia; vnde materia ex Philoſopho 1. Phyſ. cap. 9. appetit formam ex indigentia, ſicut turpe appetit pulcrum: indigentia in Deo nulla: ergo nec appetitus naturalis.

Reſp. probari quidem hoc argumento, non eſſe appetitum naturalem in Deo ſtrictè ſumptum, qui vlteriùs perfici poſſit; id enim repugnat ſummæ Dei perfectioni. At non probat non dari latè ſumptum, qui ſit complacentia

in perfectionibus intrinſecis, ſuoſque habeat gradus. Nam appetitus, quo Deus eſſentiam & attributa appetit, minùs eſt propriè appetitus, quàm ille, quo vna perſona reliquas naturaliter appetit, quia Deus non diſtinguitur realiter ab eſſentia & attributis, vna autem perſona diſtinguitur realiter ab aliis duabus. Denique appetitus inſitus, quo Deus in creaturas fertur, dicitur appetitus inſitus valde impropriè, quia ab illis nullo modo perficitur, inquit Didacus Ruiz.

§. II. *De objecto voluntatis divinæ.*

I. Observatio. Quærere objectum divinæ voluntatis, idem eſt ac quærere objectum divini amoris.

II. Observatio. Objectum duplex amoris divini; aliud formale, aliud materiale. Formale eſt ratio ſub qua Deus movetur ad volendum & amandum: materiale eſt id quod vult & amat. De vtroque hîc agendum.

III. Observatio. Objectum item aliud primarium, & motivum, aliud ſecundarium & quaſi terminativum. Primarium & motivum eſt, quod per ſe primò movet divinam voluntatem: ſecundarium & terminativum, quod voluntatem per ſe non movet, ſed terminat, quaſi illius effectus. Porrò circa objectum formale divinæ voluntatis quæri poteſt; 1. an Deus ſit objectum formale adæquatum ſuæ voluntatis; 2. an totus quantus eſt, ſit objectum formale volitionis ſuæ; 3. an ſe amet neceſſariò, an liberè; 4. quo genere amoris ſe amet.

I. Assertio. Deus amat ſe primariò, & omnia propter ſe tanquam finem vltimum.

Probatur 1. quiſquis ſe in omnibus amat, & omnia propter ſe amat, ſe ipſum primariò amat: Deus ſe amat in omnibus, & omnia amat propter ſe: ergo Deus ſe amat primariò. Probatur minor Proverb. 6. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Et Apocal. cap. 22. dicitur A & Ω, *principium & finis.*

2. Si quam creaturam amaret Deus propter ſe ipſam & non propter ſe, maximè creaturam rationalem, quam amat amore amicitiæ: Deus creaturam rationalem non propter ſeipſam, ſed propter ſe vnum, hoc eſt, propter gloriam ſuam amat, vt innuit Iſaiæ cap. 43. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum:* ergo, &c.

3. Si Deus amaret creaturam propter ſeipſam, vtique ipſi inhæreret propter ſeipſam: *frui enim eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam: uti autem, quod in vſum venerit, & ad id quod amas, obtinendum referre*, ex Auguſtino: Deus nulla creatura fruitur, ſed tantùm vtitur, ex eodem Auguſtino, lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 31. *Quomodo ergo diligit, vt nobis vtatur, an vt fruatur?* Cui quæſtioni ſic reſpondet: *Sed ſi fruitur, eget bono noſtro, quod nemo ſanus dixerit; omne enim bonum noſtrum, vel ipſe, vel ab ipſo eſt. Cui autem obſcurum vel dubium eſt, non egere lucem rerum harum nitore, quas ipſa illuſtraverit? Dicit enim apertiſſimè Propheta: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non ergo fruitur nobis, ſed vtitur. Nam ſi non fruitur neque vtitur, non invenio quem-*

admodum diligat, ſed neque ſic vtitur; nam non res quibus vtimur, ad nos referimus, vt Dei bonitate perfruamur: Deus verò ad ſuam bonitatem vſum noſtrum refert.

Accedit triplex ratio, quarum prima petitur ex bonitate Dei infinita, ſecunda ex modo agendi illius, tertia ex amore, quo ſe diligit.

Ex bonitate Dei ſic: bonitas Dei eſt prima & ſumma in genere bonitatis, quia ſequitur rationem entis in Deo, quod eſt primum & ſummum in genere entis: ergo bonitas divina eſt cauſa omnis bonitatis, quæ ineſt rebus creatis, quia quod eſt primum in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum: atqui divina bonitas non poteſt eſſe cauſa cujuſlibet bonitatis creatæ, niſi quatenus vi ſummi amoris, quo ipſa à Deo ratione ſui diligitur, in res creatas diffunditur, vt inſinuat Dionyſius, lib. de divin. nom. cap. 4. vbi ait, *Deum bonitate ductum, omnes naturas in lucem protuliſſe; eſt enim,* ait, *hoc bonitatis, quæ ad omnia pertinet, proprium, naturas ad ſui communicationem vocare, vt cujuſque captus, modusque poſtulat.*

Ex modo agendi: agenti perfectiſſimo, cujuſmodi Deus eſt, convenit modus agendi perfectiſſimus: modus agendi perfectiſſimus non tantùm agit ex cognitione finis, ſed propter finem perfectiſſimum: finis perfectiſſimus reſpectu Dei eſt ſumma bonitas ipſius: ergo agit propter ſummam bonitatem ſuam in omnibus. Et verò ex Philoſopho, lib. 1. Eth. cap. 4. *Optima operatio ejus, quod optimè affectum, eſt erga præſtantiſſimum ex iis, quæ ipſi ſubjiciuntur.* Unde infert 12. Metaph. cap. 9. Deum non fore optimam

mam ſubſtantiam, ſi non eſſet objectum principale ſuæ intellectionis, nec amoris infiniti poteſt eſſe alia menſura, niſi infinitum amabile; hinc tertia ratio eruitur. Cùm enim Deus amet ſe amore proportionato infinitæ ſuæ bonitati, in id per ſe primò ferri debet, quod per ſe ſummè diligitur: ſola Dei ſumma bonitas propter ſe ſummè diligitur: ergo, &c. Hinc Auguſtinus damnat vt ſpurium, amorem quem in creaturas effundimus, non amando ipſas propter Deum. *Minùs enim te amat*, inquit, *qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Id ipſum inculcat D. Thomas 1. part. quæſt. 19. art. 2. ad 3. *Dicendum, quòd ex hoc quòd voluntati divinæ ſufficit ſua bonitas, non ſequitur, quòd nihil aliud velit; ſed quòd nihil aliud velit, niſi ratione ſuæ bonitatis.* Vide ipſum lib. 1. contra Gent. cap. 74. & quæſt. 23. de verit. art. 4. vbi fuſiùs hanc doctrinam explicat.

Confirmatur: omnis volitio Dei aut eſt neceſſaria, aut libera: neutra fertur in creaturas propter ipſas, amore hærente in earum bonitate; non neceſſaria, per quam fertur in creaturas poſſibiles, quæ eſt complacentia quædam inde orta, vt placet quibuſdam Theologis, quòd bonitas illarum, licèt finita ſit, eſt tamen participatio quædam divinæ bonitatis, quæ proinde ad illius gloriam conferret, ſi reipſa creaturas illas produceret: placet ergo Deo finita bonitas creaturarum poſſibilium, quia participatio & manifeſtatio eſt ſummæ bonitatis divinæ; ideo autem placet Deo participatio & manifeſtatio ſummæ bonitatis, quòd eam ſummè diligat: ergo ratio vltima movens & determinans Deum

ad affectum complacentiæ circa bonitatem creaturarum poſſibilium eſt ſumma Dei bonitas. Non libera, tum quia volitio libera Dei nihil intrinſecæ perfectionis addit ſupra volitionem Dei neceſſariam, ſed puram terminationem, quæ poteſt adeſſe & abeſſe abſque vlla intrinſeca mutatione volitionis divinæ: ergo per eam nihil amat Deus extra ſe, quod propter ſeipſum tanquam finem vltimum non amet: tum quia affectus omnis, quo Deus liberè fertur in creaturas, ex affectu complacentiæ, quo illas poſſibiles amat neceſſariò, tanquam ex radice oritur; amor quippe deſiderium præcedit, & deſiderium delectationem: ergo idem eſt objectum formale reliquorum affectuum, quibus proſecutivè Deus tendit in creaturas actu exiſtentes, quiqui porrò ſint, ac complacentiæ, quam habet in creaturas poſſibiles.

II. ASSERTIO. Deus ita ſe amat primariò, vt creaturas amet, etiam viliſſimas. Duæ ſunt partes aſſertionis: prima, quòd Deus amet creaturas; ſecunda, quòd amet etiam viliſſimas.

Probatur prima pars. 1. Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* 2. Ex D. Thoma 1. part. quæſt. 19. art. 2. Res naturales non ſolùm habent naturalem inclinationem ad proprium bonum, vt illud acquirant, cùm non habent; vel in eo quieſcant, cùm habent; ſed etiam vt proprium bonum in alia diffundant: natura Dei eſt ſummè perfecta, plena ſibi, prodiga ſui, tenax noſtri: ergo amat opes ſuas in creaturas effundere, ac quodammodo ſupereffluere, vt ſit Deus omnia in omnibus creaturis. Non poteſt opes ſuas in creaturas effun-

dere, niſi circa eaſdem per affectum verſetur. Hæc ratio probat certò amorem complacentiæ in creaturas inefficacem, efficacem verò probabiliter.

3. Perfectiſſima voluntas debet verſari circa omne amabile, ſicut potentia viſiva circa omne viſibile: creaturæ omnes ſunt amabiles bonitate participata: ergo à Deo amantur.

Probatur ſecunda pars. 1. Deus diſponit omnia ſuaviter & gubernat: ergo amat creaturas etiam viliſſimas. Antecedens probatur Proverb. 18. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & omnia diſponit ſuaviter.* Et Sap. 14. *Tu autem pater providentia ab initio cuncta gubernas.*

2. Deus amat id omne quod participat rationem entis: creaturæ viliſſimæ participant rationem entis: ergo Deus amat creaturas viliſſimas.

3. Deus amat bonum vniverſi, vtpote maximum ac digniſſimum: ergo amat partes ſingulas ex quibus vniverſi pulcritudo effloreſcit: res etiam abjectiſſimæ de ſuo aliquid ad vniverſi pulcritudinem conferunt: ergo, &c.

4. In Deo vis eſt amoris infinita: ergo etiam ad objecta remotiſſima, cujuſmodi ſunt res naturæ imperfectioris, ſeſe exporrigit; quò enim vis actuoſior, eò longiùs ſeſe extendit. Neque dicas abjici quodammodo & ſordeſcere amorem divinum, dum ad viliſſima quæque entia ſe demittit. Non enim ejus amor magis inde ſordeſcit, quàm illius ſcientia, quia habet tantùm res ejuſmodi pro objecto materiali, non formali, eaſque diligit tanquam media, quæ ad finem præſtantiſſimum ordinat juxta dictamen

rationis ſuæ. Certè Nemeſius lib. de natura hominis cap. 44. §. 4. comparat Dei ſapientiam, quæ intellectionem & voluntatem complectitur, cum radiis ſolaribus, qui habent vim attrahendi humorem omnem; nec ideo tamen cùm cœno lucem inferunt, coinquinantur, ſed integri & ab omni ſorde puri manent. Porrò hæc argumenta probant res ſordidiſſimas quæ nunquam futuræ ſunt, placere divinæ voluntati etiam in particulari: quia ſuo modo participant divinam bonitatem. Tamen ſit

III. Assertio. Deus amat res purè poſſibiles in particulari. Probatur: amor Dei perinde debet verſari circa quodlibet amabile, atque ſcientia circa quodlibet ſcibile: quodlibet ens purè poſſibile perinde eſt amabile, atque ſcibile: ergo perinde amari debet à divina voluntate, atque ab illius ſcientia comprehendi.

Confirmatur: rebus poſſibilibus, quamvis nunquam futuræ ſint, ſua convenit peculiaris bonitas; quælibet enim eſſentia, etiam abſtrahendo ab exiſtentia, quatenus conſtat ſuis omnibus principiis & prædicatis ſui conſtitutivis, ſuam habet bonitatem; hinc patet Deum amare creaturas actu exiſtentes.

IV. Assertio. Deus ita amat creaturas propter ſeipſum vt finem vltimum, vt nullam amet propter ipſius bonitatem amore manſorio, ſeu qui hæreat in creatura. Hæc aſſertio ſequitur ex prima. Nam amare creaturam amore manſorio, eſt frui creatura: Deus ex Auguſtino non poteſt frui creatura, quia hæreret in creatura, & quidem propter ſeipſam. 2. Ex D. Thoma lib. 1. contra Gentes, cap. 74. *Princi-*

pale volitum vnicuique volendi, eſt cauſa volendi: cùm enim dicimus, Volo deambulare vt ſaner, cauſam reddere arbitramur; etſi quæratur, quare vis ſanari, proceditur in aſſignatione cauſarum, quouſque perveniatur ad vltimum finem, qui eſt principale volitum, quod eſt cauſa volendi. Si igitur Deus aliquid aliud velit principaliter, quàm ſe ipſum, ſequetur quòd aliud ſit ei cauſa volendi; ſed ſuum velle eſt ſuum eſſe, vt oſtenſum eſt. Ergo aliquid aliud erit ei cauſa eſſendi, quod eſt contra rationem primi entis. Ex hoc loco ita arguo, ſi Deus amaret creaturam propter ipſius bonitatem amore manſorio, bonitas creata eſſet ipſi ratio volendi: bonitas creata Deo non poteſt eſſe ratio volendi: ergo nec à Deo amari propter ſeipſam. Minor probatur: quod eſt ratio volendi Deo, eſt ipſi cauſa eſſendi, quia velle Dei eſt ipſum eſſe Dei: nihil poteſt eſſe cauſa eſſendi Deo, quia ratio primi entis in eo eſt, vt ſit à ſe, hoc eſt, à nullo ſit.

V. Assertio. Ita divina bonitas eſt vltimum & adæquatum motivum divinæ voluntatis, vt bonitas creata poſſit eſſe proxima ratio formalis, quæ ametur propter ſe ipſam terminativè.

Prima pars jam confecta eſt. Probatur ſecunda: datur in Deo amicitia erga naturas intelligentes, fidelitas & miſericordia, &c. in his bonitas creata propter ſeipſam amatur ſaltem proximè; alioqui ſola caritas theologica eſſet in Deo. 2. Deus confert gloriam propter bona opera, & punit propter peccata: ergo bonitas creata poteſt amari proximè à Deo propter ſeipſam.

Dixi proximè, non vltimò, quia ſola Dei bonitas movet voluntatem divinam per modum finis vltimi ; hinc Deus ſeipſum vt finem cujus gratiâ, poteſt amare propter creaturas, vt finem cui proximum & immediatum, quem tamen vlteriùs ad ſe referat ; quæ duo ſe non deſtruunt : quia finis cujus gratiâ non refertur ad finem cui, ſed cum eo vnum finem totalem efficit ; hinc ſolvitur argumentum, quo ſententiæ contrariæ patroni conantur probare nullam in Deo erga homines fore amicitiam : non enim requiritur ad perfectam amititiam, vt bonitas amici ſit vltimum motivum amoris, ſed ſatis eſt quòd ſit proximum.

Multa inferuntur ex dictis. 1. Divina bonitas eſt objectum motivum divinæ volitionis, eo nempe modo, quo finis movere poteſt, res autem creata objectum terminativum. 2. Nulla creatura eſt objectum formale, nequidem inadæquatum & partiale divinæ volitionis. 3. Creaturæ omnes & ſingulæ ſunt objectum materiale divinæ volitionis, & præterea pars objecti adæquati materialis, quia objectum adæquatum divinæ volitionis eſt tota collectio omnium bonitatum, quæ ſunt amabiles ſive propter ipſas, ſive propter alias bonitates. 4. Divinus amor non movetur propriè à creata bonitate, ſed à bonitate ſibi intrinſeca & propria. Si enim ab ea moveretur, vtique moveretur vel vt à cauſa efficiente, vel vt à cauſa finali : neutro modo movetur, juxta illud Epheſ. 2. *Propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Chriſto.* 5. Deus eſt amans, & amatus, & ſui ipſius amor;

eſt quidem amans, quia tum ſe, tum creaturas amat; amatus, quia primariò ſe amat; amor ſui, quia omnia in Deo identificantur naturæ divinæ.

§. III. *Quo amore Deus ſe amet.*

I. ASSERTIO. Deus amat ſe amore, qui ſit à gaudio, quo in perfecta ſui poſſeſſione conquieſcit, diſtinctus.

Probatur 1. Ubi datur verus ac propriè dictus affectus gaudii de poſſeſſione boni, ibi datur & amor ejuſdem boni propriè dictus: datur in Deo gaudium, quo in poſſeſſione ſui conquieſcit: ergo & propriè dictus amor ſui. Ratio majoris eſt, quia principium & origo gaudii eſt amor; alii enim motus appetitivi præſupponunt amorem, quaſi primam radicem, ex D. Thoma 1. p. quæſt. 20. art. 1. Probatur 2. affectus nullam includens imperfectionem, Deo convenit: amor nullam includit imperfectionem, nec ex parte modi, quo tendit in objectum, nec ex parte objecti amati, licèt enim Deus noverit ſe exiſtere, non impedit quominus ſe amet, ſicut licèt ejus exiſtentiam fide & ratione teneamus, non deſinimus ipſum amare. Ratio eſt, quia amor abſtrahit à præſentia, aut abſentia objecti. Non ex parte modi tendendi in objectum, quia amor ſtrictè ſumptus eſt propenſio quædam vitalis in bonum aliquod, quatenus eſt alicujus bonum: at in hoc nihil eſt imperfectionis.

III. ASSERTIO. Amor, quo ſe Deus amat, neceſſarius eſt tum quoad ſpeciem, tum quoad individuum, & perfectè comprehenſivus. Quoad

ſpeciem quidem, neceſſarius eſt, tum quia repugnat Deum non eſſe ſummè beatum: non eſſet autem ſummè beatus, ſi poſſet ab amore ſui abſtinere, quia amor eſt pars integrans beatitudinis: tum quia poſſet non producere Spiritum ſanctum, quippe qui per amorem, quo Pater diligit Filium, procedat: at quàm neceſſarium eſt Deum eſſe, tam neceſſarium eſt à Patre & Filio Spiritum ſanctum produci: tum quia amare ſummo amore, quod eſt ſummè amabile, eſt perfectio melior ipſa, quàm non ipſa; eſt enim habere voluntatem ſummè bonam & ſummè ſanctam: tum quia ſummum bonum comprehenſivè cognitum, non poteſt non amari ab eo, à quo comprehenditur.

Quoad individuum verò, ita vt non ſit indifferens ad amandum ſe hoc ſummo amore, vel alio: quia ſi poſſet ponere actum amoris alium ab eo, quo ſeipſum ſummè diligit, carere poſſet perfectione intrinſeca, quam habet & aliam habere: ergo eſſet in eo compoſitio, & quidem phyſica; quia amor quo ſe amat, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Denique Deus includit in ſe omnem rationem boni, & excludit omnem rationem mali: ergo nulla ratio mali in illo comprehenſo concipi poteſt, nec vlla ratio boni in ceſſatione ab amore ſui Deo apparet; hinc amor quo ſe Deus amat, liber dicitur, vt eſt immunis à coactione & violentia, quæ repugnat ſpontaneo & voluntario principio ſe ipſum moventi.

Denique eſt perfectè comprehenſivus, quia ad amorem comprehenſivum requiritur, vt ametur totum quod eſt amabile in objecto, & tam in-

tenſivè ſit perfectus in ratione amoris, quàm objectum perfectum eſt in ratione amabilis: amor quo Deus ſe amat, talis eſt. Nam 1. amor Dei attingit omnia bona Dei, præſertim intrinſeca, eſſentiam, attributa, perſonas. 2. Tam perfectus eſt in ratione amoris, quàm objectum perfectum eſt in ratione amabilis; hinc nulla creatura poſſibilis, quæ poſſit Deum amare comprehenſivè, vt obſervat Richardus à ſancto Victore, lib. 5. de Trinit. cap. 16. Et verò ſicut nulla poteſt Deum comprehenſivè cognoſcere, hoc eſt, quantùm cognoſcibilis eſt: ita nec comprehenſivè amare, hoc eſt, quantùm amabilis eſt. Huc adde, ſi creatura poſſet amare Deum, quantùm amabilis eſt, poſſe eandem æqualem Deo honorem reddere, & juſtitiæ illius offenſæ ex condigno ſatisfacere, quod dici non poteſt.

Patet ex dictis, Deum habere verum & proprium gaudium & fruitionem reſpectu ſui boni proprii, quia gaudium & fruitio eſt, de bono poſſeſſo & amato. Deinde quia in illis actibus nulla imperfectio, & aliunde ſunt complementum beatitudinis. Patet 2. non habere deſiderium aut ſpem, quia ſupponunt privationem boni; poteſt tamen reſpectu creaturæ habere deſiderium, quatenus actu complacentiæ fertur ad bonum illi abſens, dum actu complacentiæ omnibus naturis intelligentibus beatitudinem optat, quæ in pleriſque deſideratur. 3. Nullam eſſe menſuram aut limitem amori noſtro in Deum præſcribendum, quia *cauſa diligendi Deum, Deus eſt: modus, ſine modo diligere.*

Dices: Deus non ſe amat neceſſariò ſummo amore, ſi poteſt ſe ipſum magis vel minùs amare:

at poteſt ſe magis vel minùs amare, quia poteſt ſibi plura vel pauciora bona extrinſeca optare.

Reſp. nego minorem: ſive enim majus, ſive minus bonum extrinſecum ſibi velit, ſemper ſe amat amore ſummo, quia ſemper vult ſibi bonum interius, quod eſt formaliter aut eminenter omne bonum; & ideo non poteſt ſe magis aut minùs amare.

III. ASSERTIO. Amor, quo ſeipſum diligit, ſive ſibi velit bonitatem intrinſecam, ſive extrinſecam, eſt amor benevolentiæ erga ſeipſum: erga perſonas tum caritatis, tum amicitiæ.

Probatur prima pars: amor benevolentiæ eſt affectus, quo alicui bonum volumus ipſius gratiâ: per amorem, quo Deus ſibi vult tum bonitatem intrinſecam, tum extrinſecam, vult ſibi bonum ſui ipſius gratiâ: quia hæret in ſeipſo tanquam in fine ultimo: ergo amat ſe Deus amore benevolentiæ, dum vult ſibi bonitatem tum intrinſecam, tum extrinſecam.

Probatur ſecunda pars: Deus dicitur eſſe caritas. Joan. epiſt. 1. cap. 4. *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo:* amor caritatis qui eſt in Deo, non poteſt eſſe erga ipſum præcisè: quia *ubi pluralitas perſonarum deeſt, caritas omnino eſſe non poteſt*, ex Richardo à ſancto Victore, lib. 3. de Trinit. cap. 2. ergo caritas, quæ eſt in Deo, eſt tantùm reſpectu trium perſonarum, quatenus Pater amat Filium, viciſſimque Filius amat Patrem, & per eundem amorem, quo ſe proſequuntur, producunt Spiritum ſanctum.

Probatur tertia : datur inter Patrem & Filium amor mutuus, quo Pater vult bonum ſummum, nempe divinitatem Filio ipſius gratiâ, viciſſimque Filius vult Patri divinitatem, nec refert ad alterius commodum : amor mutuus eſt amor amicitiæ, &c.

Ut ſolvas argumenta, memineris 1. ad reciprocationem amoris, non duplicem realiter requiri amorem, ſed ſatis eſſe, ſi perſona quæ amatur, redamet. 2. Non requiri pluralitatem amorum, vt amicus dicatur eſſe amico amicus, ſed perſonarum ſe mutuò amantium diſtinctionem ſufficere. 3. Amicitiam eſſe ad alterum non in natura, ſed in perſona, in quo à juſtitia & fidelitate diſtinguitur, quæ ſunt ad alterum ſecundùm naturam.

§. IV. *Quo amore Deus amet creaturas poſſibiles.*

I. Observatio. Triplex affectus in Deo erga creaturam cogitari poteſt. Primus eſt ſimplicis complacentiæ, quo Deus præcisè in bono præcognito ſibi complacet, abſtrahendo quòd exiſtat, vel non exiſtat, diciturque *ſimplex voluntas & aptatio appetitus ad bonum*, à D. Thoma. Secundus eſt affectus efficax, quo Deus vult creaturam abſolutè eſſe. Tertius gaudii, per quem Deus de creatura jam exiſtente delectatur.

II. Observatio. In creatura poſſibili tria ſpectari poſſunt : eſſe eminentiale, quod habet in Deo vt in cauſa : eſſe intelligibile,

quod habet in Verbo, vt eſt ſpecies expreſſa & idea creaturarum. Denique propria natura, quam quælibet creatura poteſt in ſeipſa participare.

Certum eſt, creaturas à Deo diligi quoad vtrumque eſſe eminentiale & intelligibile: quia eſſe eminentiale nihil aliud eſt, quàm eſſentia Dei creatrix; & eſſe intelligibile eſt Verbum divinum, & ipſa Dei vita; de tertio itaque tantùm controverſia eſt.

I. Assertio. Deus amat creaturas poſſibiles amore ſimplicis complacentiæ neceſſario, non amore efficaci. Tres ſunt partes aſſertionis. Prima, quòd in Deo ſit ſimplex complacentia circa creaturas poſſibiles; ſecunda, quòd complacentia illa ſit neceſſaria: tertia, quòd non ſit amor efficax.

Probatur prima: Deus amat ſe amore ſummo, vt ſuperiori §. confecimus: ergo amat omnes creaturas poſſibiles. Probatur conſequentia, Deus dum amat ſe amore ſummo, amat ſe vt ſummum bonum, item & artem ſuam: ergo & boni ſummè amati ſimilitudinem, & artefactum quod per ipſius artem fieri poteſt: at ſimilitudo boni ſummè amati, & artefactum Dei eſt creatura, quæ per artem divinam fieri poteſt, aut jam facta eſt: ergo Deus amat creaturas poſſibiles amore ſimplicis complacentiæ. Ad hæc, ſua etiam creaturis poſſibilibus bonitas ineſt: quia quælibet eſſentia, etiam abſtrahendo ab exiſtentia, quatenus conſtat omnibus principiis & prædicatis ſui conſtitutivis, ſuam habet bonitatem; ergo complacentiæ affectum in Deo excitare poteſt; eſt enim amabilis, ſicut & cognoſcibilis.

Probatur ſecunda : 1. quia per affectum ſimplicis complacentiæ voluntas divina approbat bonum ab intellectu propoſitum, ipſique arridet: ergo neceſſariò in eo ſibi complacet; alioqui voluntas divina intellectui divino non conſentiret, & averſaretur bonum, quod vt tale ab intellectu divino proponitur. 2. Deus amat ſe amore ſummo & quidem neceſſariò: ergo & neceſſariò amat quidquid ſimilitudinem ipſius refert, cujuſmodi eſt creatura poſſibilis, quæ eſt quædam participatio divinæ bonitatis. Certè quiſquis ſummè amat alterum, non poteſt non ſibi complacere in iis quæ fiunt ab illo. Denique voluntas divina non poteſt eſſe ſuſpenſa circa creaturas poſſibiles: ergo vel diligit eas affectu ſimplicis complacentiæ, vel odit affectu ſimplicis diſplicentiæ. Non odit affectu ſimplicis diſplicentiæ quia in iis nulla ratio mali apparet. Ratio majoris eſt, quia ſuſpenſio importat negationem vltimæ determinationis, & imperfectionem refundit in Deum.

Probatur tertia : quidquid Deus efficaciter amat, vult efficaciter exiſtere in ea temporis differentia, in qua extiturum eſt, quia efficax Dei voluntas ſemper impletur: creaturæ merè poſſibiles nunquam exiſtent vt ſupponitur: ergo Deus illas non amat amore abſoluto & efficaci.

Porrò hujus complacentiæ neceſſitas in Deo circa bona poſſibilia, eſt ſumma in Deo perfectio, 1. quia oritur ex ſumma dilectione, quam Deus habet erga bonitatem ſuam. 2. Ex ſumma concordia inter intellectum & voluntatem Dei. Sic enim voluntas approbat vt bonum, quod

intellectus tale judicat. 3. Illa complacentia, quam habet circa res producendas, movit divinam voluntatem, vt decerneret mundi productionem. 4. Quamvis Deus amet omnia bona poſſibilia amore complacentiæ, magis tamen amat appretiativè, quæ ſunt in ſe ipſis meliora: quia major appretiatio conſiſtit in majori quadam æſtimatione boni, quod per intellectum proponitur. Deinde ſimilitudo bonitatis divinæ eſt fundamentum complacentiæ divinæ: ergo in bono, cui videt majorem ſui ſimilitudinem ineſſe, magis ſibi Deus complacet. Hinc major illa appretiatio in eo conſiſtit, quòd Deus per amorem complacentiæ ex modo tendendi hujus affectus in bona poſſibilia, pluris faciat majus bonum, quàm minus: quia ſummæ bonitati ſimilius. 5. Deus odit odio ſimplicis diſplicentiæ peccatum omne poſſibile, adeóque non vult illud poni, quantum in ipſo eſt. Nec tamen idcirco Deo diſplicet creatura intellectualis, quæ eſt peccati capax: quia peccatum ſecundùm ſe ſpectatum poteſt odio haberi, abſtrahendo ab eo quòd exiſtat, aut non exiſtat.

Ut ſolvas argumenta, memineris 1. fundamentum omnis bonitatis non eſſe exiſtentiam actualem, ſed etiam exiſtentiam poſſibilem. Ut enim bonitatis actualis fundamentum eſt exiſtentia actualis, ita fundamentum bonitatis eſſentialis eſt exiſtentia poſſibilis, immo & ipſa eſſentia ſecundùm ſe ſuaque principia intrinſeca, abſtrahendo ab vtroque ſtatu conſiderari poteſt. 2. Quamvis Deus ſe & creaturas diligat æqualiter ex parte actus, inæqualiter tamen diligit ex parte objecti, quia diligit ſe vt objectum pri-

marium, creaturas verò vt objectum ſecundarium, & quidem juxta cujuſque amabilitatem ſuam. 3. Amor ſimplicis complacentiæ Dei in creaturas purè poſſibiles dici potiùs debet affectivus quàm effectivus: quia vi amoris illius non tribuit illis eſſe reale, ſed tantùm objectivum. Dici tamen poteſt effectivus per regulam extremorum, prout opponitur amori purè affectivo quem habet erga ſe: vt opponitur amori effectivo, qui tribuit eſſe reale creaturis, dicitur affectivus. Quin etiam dici poteſt effectivus remotè, quatenus diſponit divinam voluntatem, redditque proximè idoneam ad hoc, vt velit creaturas ejuſmodi efficaciter ponere. 4. Quamvis creaturæ poſſibiles vt diſtinctæ à Deo, non trahant neceſſariò Deum ad amorem ſui efficacem, poſſunt tamen neceſſariò trahere ad ſui amorem ſimplicem: quia amor complacentiæ eſt affectus, quo voluntas arridet & conſentit intellectui judicanti rem eſſe bonam, quod ſatis eſt, præſertim in Deo, ob ſummam ejus voluntatis & intellectus concordiam. Deinde licèt bonum finitum per ſe non haberet neceſſariò voluntatem divinam ad ſimplicem ſui amorem, poſſet tamen trahere ratione alterius boni, quod neceſſariò & ſummè diligitur, vt inſinuavi. 5. Deus complacet & gaudet in creaturis purè poſſibilibus, quòd haberent in ſe bonitatem & perfectionem, ſi Deus eas creare voluiſſet, & quòd illam perfectionem à Deo accipere poſſint, quam ſi contradictionem implicarent, accipere non poſſent. Deinde gaudet eas in ſeipſis eſſe bonas per neceſſariam connexionem prædicatorum. Denique eſſe media in ſeipſis, putà ad ſuos fines

obtinendos, ſi Deus iis vti vellet. 6. Cùm poſſibile vt tale, aliquid poſitivum & aliquid negativum dicat, ſecundùm id quod negant creaturæ vt poſſibiles, nihil accipiunt à Deo, quia ſunt non entia, & non entis non eſt qualitas, ergo nec bonitas, qua terminent divinæ voluntatis actum. Quin etiam Deus non vult illas non eſſe voluntate poſitiva, quaſi damnet ad non eſſe, ſed tantùm non vult eas eſſe, quod eſt non amare efficaciter: at amoris effectivi negatio eſt odium: quare nec judicium hoc format Deus ab æterno, alter mundus non eſt faciendus, ſed judicavit tantùm hunc mundum ſibi faciendum, quod judicium implicitè & interpretativè terminatur àd non exiſtentiam alterius mundi. Cave porrò, ne dicas judicium Dei de non faciendo altero mundo, huic noſtro æquivalere, non eſt faciendus alter mundus, quia cùm Deus ſit ens ſine omni non ente, non poteſt æquivalere non enti, aut actui negationem pro objecto ſuo ſupponenti, quale eſt hoc judicium.

§. V. *Quo amore Deus amet creaturas exiſtentes.*

UNICA OBSERVAT. OMNIS creatura exiſtens in rerum natura, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, aut modus alterutrius. Rurſus ſubſtantia eſt vel intelligentiæ & rationis particeps, vel impos.

Certa ſunt duo. Alterum quidem, quòd accidentia amentur à Deo propter ſubſtantias, quibus inſunt vel vt inſtrumenta agendi, vel vt or-

namenta, & modi propter res modificatas. Alterum, quòd nulla ſit ſubſtantia actu exiſtens, quam Deus non amet, quia nulla eſt cui non velit aliquod bonum; vult quippe vt habeat ſuum eſſe, ſuis ac nativis proprietatibus affecta ſit, & qualitatibus inſtructa. At quæritur hîc quo amore ſubſtantias ejuſmodi amet.

I. ASSERTIO. Deus amat creaturas rationis expertes amore concupiſcentiæ reſpectu naturæ rationalis. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 20. art. 2. in reſponſione ad 3. *Deus propriè loquendo non amat creaturas irrationales amore amicitiæ, ſed amore concupiſcentiæ: in quantum ordinat eas ad rationales creaturas, & etiam ad ſe ipſum, non quaſi eis indigeat, ſed propter ſuam bonitatem, & noſtram vtilitatem.* Ratio eſt, quia creaturas ratione carentes vult eſſe propter hominis vtilitatem cui inſerviunt, tum ad neceſſitates temporales illius ſublevandas, tum ad ſui notitiam ipſi ingenerandam; ipſiuſque bonitatis certiſſima ſunt argumenta, vt obſervat D. Chryſoſtomus hom. 22. in Matth. ad hæc verba: *Conſiderate lilia agri, Alia quidem fructu, alia magnitudine, alia decore laudem Creatoris tranſmittunt.* Deinde ſubjungit: *Vt ſuam ſapientiam oſtenderet copiamque virtutis, vt vndique ejus gloriam diſceremus.*

II. ASSERTIO. Deus amat creaturam intelligentiæ compotem juſtam vero amore amicitiæ. Ita D. Thomas in 3. ſent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 2. vbi ait, bonum quod Deus ſibi vult, ſcilicet viſionem ſui & fruitionem, qua ipſe beatus eſt, velle quidem omni creaturæ rationali voluntate antecedente, ſed voluntate conſequente ſolùm electis, quæ eſt voluntas ſimpliciter, &

ideo ſolos electos diligere amore amicitiæ : alia autem diligere amore communiter dicto , in quantum ſunt bona.

Probatur ratione : triplex conditio ad perfectam amicitiam requiritur ; 1. vt ſit amor benevolentiæ , qua volumus alteri bonum , ipſius causâ ; 2. vt ſit mutua benevolentia ; 3. vt in aliqua communicatione, hoc eſt, in participatione ejuſdem formæ ſecundùm ſimilitudinem fundetur. Triplex, illa conditio amori, quo Deus juſtos & prædeſtinatos proſequitur, convenit. Vult quippe illis felicitatem æternam ipſorum gratiâ , datur deinde amor reciprocus in juſtis , denique mutuus ille amor fundatur in gratia ſanctificante , qua redduntur participes & conſortes naturæ divinæ ; hinc in Scripturis Sancti paſſim amici Dei vocantur , Joan. 15. *Vos amici mei eſtis.* Et paulò poſt : *Iam non dicam vos ſervos ; vos autem dixi amicos.*

Objicies : tunc non eſt amor amicitiæ , cùm amans ita vult bonum perſonæ amatæ , vt propter ſe adamet ; tunc enim vult bonum illi , non ipſius gratiâ , ſed ſui : Deus ita amat creaturam juſtam , vt amet propter ſe : ergo, &c.

Reſp. diſt. majorem , vt amet propter ſe , tanquam vtilem ſibi & jucundam , concedo : quatenus eſt aliquid vnum ſecum aut in natura , aut in moribus , aut in vivendi forma , nego. At Deus amat creaturam rationalem juſtam , propter ſeipſum , non vt ſibi vtilem aut jucundam , nam ſe ipſo perfectè beatus eſt ; ſed quatenus vnum eſt cum ipſo , ejuſque naturæ particeps per ſimilitudinem & aliquid ipſius Dei.

III. ASSERTIO. Deus magis diligit crea-

turas perfectiores, quæ actu exiſtunt, quàm imperfectiores. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 20. art. 3. *Sed contrà.* Probatque ex Auguſtino in Joan. *Omnia diligit Deus quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales, vt ex illis eas ampliùs, quæ ſunt membra vnigeniti ſui; & multò magis ipſum vnigenitum ſuum.* Ratio D. Thomæ eſt, quòd amare ſit velle alicui bonum: ergo qui vult alicui majus bonum, neceſſe eſt vt eum magis amet. Porrò Deus vult majus bonum creaturis melioribus, quia ideo meliores ſunt, quòd Deus velit eas eſſe meliores, juxta hoc principium: Deus ſe ipſum diligit infinita appretiatione ſupra quodlibet aliud diligibile, Chriſtum deinde, tum prædeſtinatos tanquam finem proximum; denique homines magis amantur, quàm creaturæ irrationales, quæ amantur propter homines vt finem proximum, vt innuit Ariſtoteles lib. 2. Phyſ. text. 24. *Non enim quodvis vltimus finis eſt, ſed id quod eſt optimum.* Deinde addit: *Vtimur, quia omnia ſunt gratia noſtri, ſumus enim quodammodo finis.* Hinc falſitatis arguitur eorum opinio, qui aliàs docuere cariores eſſe Deo brutas animantes, quàm homines, quòd minori labore vivant. Horum errorem refutat Origenes in Philocalia, cap. 20. Porrò hîc adverte amorem, quo Deus vnum magis diligit, quàm alterum, non eſſe entitativè perfectiorem, vt eſt in Deo, eo amore quo alterum diligit, quia dilectio Dei non recipit magis & minus ſecundùm eſſentiam, ſed tantùm ſecundùm efficientiam, ſeu ſecundùm majorem bonitatem, quam cauſat; poteſt tamen dici major dilectio Dei, etiam ex parte dilectionis, non ſecundùm id

quod eſt, ſed per relationem & reſpectum ad ejus amatum, ſecundùm quod majus bonum vult vni, quàm alteri;ita quod hoc non eſt ſolùm ex parte voliti, ſed ex parte volentis per reſpectum ad ipſum volitum, vt obſervat Carteſianus lib. 3. diſt. 32. quæſt. vnica prope finem ad ſententias S. Thomæ & Bonaventuræ.

Objicies 1. Sap. 6. *Æqualiter eſt illi cura de omnibus*, Deo nempe. Et ex Auguſtino in Pſal. 45. *Deus eſt æqualiter omnibus conſulens*. 2. Deus magis diligit pœnitentem, quàm innocentem: at melior eſt innocens pœnitente. 3. Melior erat D. Petrus quàm ſanctus Joannes; & tamen Deus diligebat magis Joannem quàm Petrum: ergo Deus non ſemper magis diligit meliora.

Reſp. ad 1. Sapientem & Auguſtinum loqui de æqualitate, quæ perſonarum acceptionem à Deo excludit, vt ipſe explicat D. Auguſtinus in Pſal. 45. dum explicat iſtas voces, *Deus in medio ejus non commovebitur. Quid ergo eſt*, ait, *Deus in medio ejus? Hoc ſignificat, quod æquus eſt omnibus Deus, & perſonas non accipit. Quomodo enim illud quòd in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines; ita Deus medius eſſe dicitur, æqualiter omnibus conſulens*. Deinde eſt æqualiter Deo cura de omnibus, 1. quia omnibus hominibus leges præſcribit ex æquo, omnes ad eas obſervandas æqualiter obligat. 2. Remedia ad ſalutem conſtituendam neceſſaria generaliter omnibus impartitur. Audi Clementem Alexandr. lib. 7. Strom. *Neque ergo vnquam aliquibus inviderit, qui omnes ex æquo vocavit*. 3. Quia habitus & actus fidei ſupernaturalis ſunt æquales quoad

rationem ſpecificam, juxta illud Petri initio 2. epiſt. *Iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem.* 4. Quia mercedem honeſtè factis & pœnas ſceleribus committitur. At hæc non impediunt, quominus vnam creaturam rationalem, quàm alteram magis diligat Deus, eique plura gratuitò conferat. Sufficit enim ad illam æqualitatem, quòd Deus reddat vnicuique quod debetur. Nec inde inferri debet in beneficiis purè gratuitis nullam eſſe inæqualitatem donorum Dei, quia tunc nulli fit injuria, adeóque nulla eſt acceptio perſonarum; hinc ſapiens paterfamilias, Matth. 20. ait, *Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade.* Ubi vides ab eo juſtitiæ debito factum ſatis. At deinde de gratuita liberalitate ſubjungit: *An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Reſp. ad 2. nego pœnitentem magis à Deo diligi quàm innocentem, niſi gratia & ſanctitate pœnitens poſt converſionem innocentem ſuperet. Innocentia enim ſupra ſanctimoniam pœnitentis addit carentiam omnis peccati pro tempore antegreſſo & perſeverantiam in gratia, à qua excidit pœnitens. Certè melius eſt abſque naufragio quàm naufragum portum tenere; vnde innocens tenetur magis diligere Deum, quàm pœnitens, cæteris paribus. Deinde innocentia vicinior divinæ perfectioni, ideóque Chriſto & matri conceſſa. Per accidens tamen interdum evenit, vt Deus plura bona tribuat pœnitenti, quàm innocenti, tum quia humiliores cautioreſque reſurgunt: tum quia jacturam temporis cum fœ-

nore reſarciunt: vnde ſeges gaudii vberior, tum Deo, tum angelis exiſtit, vt meritò de peccatoribus ad meliorem frugem ſe recipientibus vſurpari illud poſſit, *Perieras, niſi periiſſes.* Hinc Deus permittit interdum viros ſanctioris vitæ labi turpiter, vt deinde ad altiorem gradum ſanctitatis perveniant; præſertim ſi nimiùm ſibi confidant ac de ſe præſumant. Quin etiam licèt major non ſit ſanctitas poſt converſionem, poteſt tamen eſſe majus gaudium, quia poteſt eſſe majus gaudium de æquali, aut etiam minori bono, vel ob periculum evitatum, vel ob timorem aut triſtitiam depulſam. *Quantò* enim *majus periculum fuit in prælio, tantò majus eſt gaudium in triumpho*, inquit Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 3. vbi fuſiùs hanc quæſtionem tractat, tandemque concludit, vbique majus gaudium moleſtia major præcedit. Præivit Auguſtino Ariſtoteles lib. 3. Rhetor. cap. 11. *Evadere quoque à periculis tantò jucundius, quantò propius periculo. Admirabilia enim omnia hæc ſunt.* Adde quòd Deo ſuave eſt & glorioſum lapſis ſuccurrere, quia pœnitentia magis omnipotentiam Dei juxtà & miſericordiam oſtendit. *Bene quippe mereri jucundum eſt; idcirco ſubvenire quoque propinquis, & manca ſupplere, ſuave omnibus eſt*, inquit Ariſtoteles lib. 1. Rhet. cap. 11. *Majuſque eſt*, ex Chryſol. ſerm. 97. de parab. zizan. *reparare perdita, quàm illæſa reſervare.* Denique ſupremum Dei dominium patefacit pœnitentia, juxta illud Sap. 12. *Ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.*

Ad 3. eſto, Joannem Chriſtus magis dilexerit amore teneritudinis vtpote juniorem: at Pe-

trum magis dilexit amore appretiationis, idque vel inde patet, quòd Petrum Eccleſiæ præfecerit. Certè Joannis florens ætas & virginitas teneriores Chriſti affectus ſuo quaſi jure depoſcebant. Quanquam D. Thomas vbi multa de hac quæſtione diſſeruit, temeritatis eum notat, qui vnum Apoſtolum altero ſanctitate ſuperiorem judicare audeat; præſertim cùm ex ſacris paginis nihil certi concludi poſſit. Nam Petrus à Chriſto interrogatus, an plus cæteris ipſum diligeret, non reſpondit id ita eſſe, ſed id totum ad Chriſti judicium retulit. Nec etiam ex eo, quòd de Joanne Scriptura dicat, *Hic eſt diſcipulus quem diligebat* JESUS, colligere licet, Joannem magis appretiativè à Chriſto dilectum, quia de majori teneritudine affectus explicari poteſt. Pugnat tamen Didacus Ruiz abſolutè Joannem à Chriſto magis fuiſſe dilectum, tum quia Dionyſius lib. 3. de cæl. Hierarch. part. 3. Joannem cariſſimum atque dilectiſſimum appellat, tum quia D. Hieronymus & D. Auguſtinus magis à Chriſto amatum inſinuant; ille quidem lib. 1. contra Jovinianum; hic vero tractatu poſtremo in Joannem: tum quia longior vita majorem cumulum meritorum arguit; tum quia matrem ipſi Chriſtus morti jam proximus commiſit vni; tùm quia amandatus in exilium & à filiolis divulſus, diuturnum in inſula Patmo martyrium paſſus eſt: tum quia ex ſocietate beatiſſimæ Virginis, colloquiis & exemplis multùm profecit: tum quia eadem Virgo incrementa gratiæ Diſcipulo meruit longè maxima, quem à Chriſti Aſcenſione in cælum, quaſi alterum filium habebat, de ſe bene meritum, & virgi-

nitatis flore ſibi ſimillimum. Poſtularet ordo doctrinæ, vt de odio Dei in peccatum ageremus, ſed de eo poſtea, vbi de ſanctitate Dei diſputabimus.

§. VI. *De partitione divinæ voluntatis in ſuas ſpecies.*

TRIPLEX eſt partitio divinæ voluntatis præcipua. Prima in voluntatem ſigni & beneplaciti: ſecunda in voluntatem antecedentem & conſequentem: tertia in voluntatem efficacem & inefficacem. Quartam aliqui addunt, in voluntatem abſolutam & conditionatam, ſed coincidit cum tertia.

1. Voluntas ſigni eſt ipſius divinæ voluntatis declaratio per aliqua ſigna externa, quæ à Theologis quinque numerantur, nempe præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio & operatio. Per præceptum oſtendimus velle nos aliquid efficaciter fieri; per prohibitionem declaramus nos efficaciter velle impedire, ne fiat aliquid, quod impedire poſſumus: oer conſilium indicamus nos optare, vt quidpiam fiat ab aliquo: per permiſſionem oſtendimus nolle nos impedire, ne fiat aliquid, quod impedire poſſumus. Denique operatio deſignat in nobis eſſe voluntatem efficacem ponendi id quod revera ponimus. Certè quando Deus operatur ſive per ſe ſolum, ſive cum cauſa ſecunda, ſignum eſt velle ipſum id quod agit; alioqui ſi nollet, non ageret. Hinc Auguſtinus in libello de volunt. docet appellari

Dei

Dei voluntatem, quidquid in nobis ipſe miſericorditer operatur.

Hæc omnia ſigna licèt non ſemper ſignificent voluntatem aliquam efficacem & abſolutam in Deo, vocantur voluntates divinæ in Scripturis. Nam præceptum Dei ad Theſſal. 1. dicitur voluntas Dei: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Conſilium, Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* Permiſſio, Actorum 4. *Convenerunt Herodes & Pilatus cum Gentibus & populis Iſraël contra* JESUM *facere, quæ manus tua & conſilium decreverunt facere.* Operatio, Pſalm. 100 *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus.*

11. Circa voluntatem ſigni tria ſunt pronuntiata. Primum, voluntas ſigni ſemper internam aliquam voluntatem, quæ ſit in Deo, manifeſtat. Patet inductione: nam præceptum arguit eſſe in Deo voluntatem efficacem obligandi homines ad quidpiam faciendum. Prohibitio indicat voluntatem obligandi ad aliquid fugiendum: vtramque hanc voluntatem Deo ineſſe probant auxilia gratiæ hominibus à Deo conceſſa, quibus ea quæ fieri præcipit., exequi poſſint, & illa vitare quæ prohibet. Conſilium internam quoque voluntatem deſignat in Deo, qua velit id ipſum quod conſulit fieri. Denique operatio efficacem efficiendi id quod facit, manifeſtat, ſicut permiſſio, voluntatem permittendi, & voluntatem qua Deus ſtatuit non impedire actionem illam, quæ à creatura fit, cùm eam poſſet impedire.

Secundum. Voluntas interna quam voluntas

ſigni indicat, non ſemper eſt efficax reſpectu objecti ad quod tendit, quia voluntas efficax ſemper impletur: voluntas autem ſigni non ſemper impletur. Quàm multos videas, qui præceptis Dei non obediunt, & conſilia aſpernantur? & tamen vult Deus effici quæ præcipit aut conſulit. Ratio à priori eſt, quòd voluntas ſigni ſit aliquid creatum, nempe præceptum, prohibitio, conſilium, &c. at nihil eſt quod neceſſariò inferat illorum impletionem, niſi accedat voluntas beneplaciti efficax. Excipe operationem & permiſſionem, quæ ſemper implentur: quia operatio eſt ipſamet productio actualis boni, quod Deus operatur, & permiſſio eſt ipſum non operari Deum ad impediendum malum. Richardus aliam hujus diſcriminis rationem reddit, quòd permiſſio & operatio ſint ſigna voluntatis conſequentis; prohibitio autem, præceptum & conſilium ſint ſigna voluntatis antecedentis, quæ non ſemper impletur.

Tertium. Voluntas ſigni, quæ non ſemper impletur, conducit ſæpe ad implendam voluntatem beneplaciti. Ita Didacus Ruiz. Ratio eſt, quia ipſa ratio formalis malitiæ peccati, quod permittit Deus, etiam à Deo ad optimum finem dirigitur. Id patet ex verbis Joſephi ad fratres, Geneſ. 45. *Nolite pavere, neque vobis durum eſſe videatur, quòd vendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum, &c.* Porrò directio illa extrinſeca non in concurſu Dei ad realem tranſgreſſionem legis conſiſtit, ſed in hoc potiſſimùm, quòd Deus impiorum voluntates & conatus ita intra ordinem divinæ providen-

tiæ contineat, vt non poſſint alio tempore, loco, plus, diutius, intenſiùs, adverſus bonos, aliove nocumenti genere inſurgere, ſed iis vtatur ſicut artifex ſerrâ, aut virgâ, juxta illud Iſaiæ 10. *Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt.* Item quòd juſtos à malis afflictos conſoletur, depreſſos erigat, vincentes coronet, ex peccatis ipſis ſui deſpicientiam ac diffidentiam, pœnitentiam, timorem & cautionem in iis qui peccarunt, excitet, &c. Sed vt res clariùs pateat, ſit

I. Propoſitio. Quiſquis peccat, non quod Deus ipſe vult, ſed quod non vult, contra ejus voluntatem facit. Patet propoſitionis veritas, quia Deus prohibet peccatum, & non vult, quantum eſt ex ſe, ab hominibus fieri, etiam voluntate beneplaciti, juxta illud Eccleſiaſtici cap. 35. *Beneplacitum eſt Domino, recedere ab iniquitate*; hinc beneplaciti voluntas non eſt ſemper efficax.

II. Propoſitio. Efficacitas divinæ omnipotentiæ, non in eo poſita, quòd ſemper faciat omnia ſua voluntate, ſed quòd ea etiam quæ contra Dei voluntatem fiunt ab impiis, convertat Deus ad majus bonum juſtitiæ aut miſericordiæ: juſtitiæ quidem, dum pœnas ſcelerum exigit; miſericordiæ verò, dum iiſdem peccata condonat miſericorditer, & in gratiam recipit. Hanc doctrinam inſinuat D. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 16. illis verbis Rom. 11. *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos, ſecundùm dilectionem autem dilecti propter patres. Quid eſt, ſecundùm Evangelium inimici propter vos, niſi quòd eorum inimicitia; qua occiderunt Chriſtum, in Evangelio ſine dubitatione profecit?*

Et hoc oſtendit ex Dei diſpoſitione veniſſe, qui bene vti novit etiam malis, non vt ei proſint vaſa iræ, ſed vt ipſo eis bene vtente, proſint vaſis miſericordiæ. Eſt ergo in malorum poteſtate peccare; vt autem peccando, hoc vel hoc illa malitia faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed Dei dividentis tenebras, & ordinantis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei. Vides duo in hoc loco contineri; alterùm, quòd ſit in poteſtate impiorum, nempe poſſe peccare; alterum, quòd omnipotentiæ Dei reſervetur, nempe bene vti illorum peccatis propter finem à ſe intentum, hoc eſt, vt proſint juſtis, qui ſunt vaſa miſericordiæ.

III. Propoſitio. Efficax Dei voluntas ſemper impletur, vel ab hominibus, qui nempe obediunt, vel de hominibus, qui detrectant imperium. Audi Auguſtinum in Enchiridio cap. 100. *Quantùm enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt; quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt, hoc quippe ipſo quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas Dei.* Et cap. 107. *Sic ergo factus eſt homo rectus, vt & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adjutorio divino, & ſuo fieri perverſus arbitrio: vtrumlibet horum elegiſſet, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. Proinde quia ſuam voluit facere, quàm Dei, de illo facta eſt voluntas Dei.* In eo itaque eſt omnipotentia voluntatis divinæ, vt vel à voluntate hominis fiat, vel certè de illa fiat, quatenus illam ad majus bonum ordinat.

IV. Propoſitio. Quod fit contra Dei voluntatem, non fit præter ejus voluntatem. Hinc

Auguſtinus in Pſalm. 110. *Eligat ſibi homo quodlibet. Non ſic conſtituta ſunt opera Domini, vt creatura in arbitrio libero conſtituta, Creatoris ſuperet voluntatem, etiamſi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus vt pecces, nam prohibet: tamen ſi peccaveris, non putes hominem feciſſe quod voluit, & Deo accidiſſe quod noluit. Sicut enim vult vt homo non peccet, ita vult peccanti parcere, vt revertatur & vivat: ita vult poſtremò in peccato perſeverantem punire, vt juſtitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, omnipotenti non deerit, vnde ſuam de te compleat voluntatem.*

v. Propoſitio. Penes hominis voluntatem eſt, manere ſub jubente Dei lege, vel ab ea per inobedientiam recedere, & in voluntatem punientem, Deo permittente, incidere. Id explicat D. Anſelmus eleganti ſimilitudine lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 15. *Si ea quæ cæli ambitu continentur, vellent non eſſe ſub cælo, aut elongari à cælo, nullatenus poſſent niſi ſub cælo eſſe, neque fugere cælum, niſi appropinquando cælo. Nam vnde & quà & quò & quæ irent, ſub cælo eſſent: & quantò magis à qualibet parte cæli elongarentur. Ita manet veluti ſuſpenſum. Ita quamvis homo vel malus angelus divinæ ordinationi ſubjacere nolit, non tamen eam fugere valet. Quia ſi vult fugere de ſub voluntate jubente, currit ſub voluntatem punientem. Et ſi quæris, quà tranſit: nonniſi ſub voluntate permittentis. Et hoc ipſum quod perversè vult, aut agit in univerſitatis præfata ordinem & pulcritudinem, ſumma ſapientia convertit.* Vides hominem, quidquid porrò agat, ſemper Dei voluntati, vel jubenti, vel permittenti, vel punienti ſubeſſe.

III. Voluntas beneplaciti, vt opponitur voluntati ſigni, eſt quælibet volitio Dei interna, ſive efficax ſit, ſive inefficax circa objecta creata: 1. quia diviſio illa debet eſſe adæquata; non eſſet autem, ſi voluntas beneplaciti ſolam volitionem efficacem includeret; quia adhuc eſt in Deo voluntas inefficax, quæ nec eſt voluntas efficax, nec voluntas ſigni, quæ eſt tantùm ſignum externum volitionis internæ, ideóque metaphoricè & impropriè voluntas Dei dicitur. 2. Quia voluntas, qua Deus vult omnes recedere ab iniquitate, eſt voluntas beneplaciti: at illa non ſemper impletur. Item & voluntas, qua Deus vult omnes homines ſalvari, eſt voluntas beneplaciti; etiam ex D. Thoma in cap. 2. 1. ad Timoth. lect. 1. at illa voluntas non ſemper impletur, cùm omnes non ſalvi fiant. Hinc

IV. Duplex voluntas beneplaciti, altera latiùs ſumpta, quæ ſimplicem complacentiam, voluntatem antecedentem & conditionalem complectitur, quæ proinde non ſemper impletur; altera ſtrictè ſumpta, quæ ſemper impletur: illa voluntas ſecundùm quid dicitur, hæc propriiſſimè & ſtrictiſſimè voluntas appellatur, de qua D. Thomas loquitur, cùm ait voluntatem beneplaciti ſemper impleri. De hac voluntate efficaci beneplaciti Propheta loquitur Pſalm. 88. *In beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.* Et Pſalm. 149. *Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem.*

Dei voluntas antecedens & conſequens.

VOLUNTAS antecedens ſeu prima dicitur, quam Deus habet à ſemetipſo, non ſpectata ratione bonorum & malorum operum creatæ voluntatis; hinc voluntas antecedens dicitur ex Damaſceno eſſe ex ipſo Deo. *Primaria*, inquit, *voluntas eſt id quod quiſpiam exſeipſo vult.* Talis voluntas eſt, qua Deus vult ſalvari omnes homines. Conſequens, quam Deus habet dependenter à præviſione bonorum & malorum operum voluntatis creatæ, ſeu *qua ex noſtra cauſa ortum habet*, ſeu *id quod earum rerum quæ contingunt, causâ vult Deus*; ideóque ſecundaria appellatur à Damaſceno. Prima eſt voluntas bonitatis, ſecunda juſtitiæ: prima independens ab abſoluta præviſione bonorum & malorum operum, ſed ſecunda dependens: prima vult ſalutem hominum, ſpectatâ præcisè hominis naturâ, cui ſalvari bonum eſt; ſecunda attendit opera ejuſdem, vt ſi bona ſint, remuneretur; ſi mala, puniat. Itaque duplex voluntas conſequens; præmians altera, altera puniens: vtraque *præſcientiam præſupponens operis non tanquam cauſam voluntatis, ſed quaſi rationem voliti*, inquit divus Thomas in 1. ſent. diſt. 46. quæſt. 1. art. 1. vbi hanc doctrinam fusè explicat. Hinc

Duo colliges. 1. Voluntatem conſequentem non tantùm voluntatem permittendi & punienpeccata, ſed etiam voluntatem præmiandi hominem ob merita includere, quæ eſt voluntas, quam Deus concipit vt juſtus judex: at volun-

tas quam concipit Deus vt juſtus judex, eſt voluntas tribuendi mercedem bonis operibus, & pœnas ſceleribus: ergo, &c. Sæpius tamen D. Thomas & Patres per voluntatem conſequentem eam intelligunt, quæ pœnas ob patrata flagitia infligit, quia hæc voluntas ex noſtra culpa oritur. *Miſerendo* nempe *cauſam & originem ſumit ex proprio, judicandi vel vlciſcendi magis ex noſtro.*

2. Voluntas antecedens objectum conſiderat à circumſtantiis expeditum, vultque quantum eſt ex ſe, omnes ſalvari, & media ad ſalutem idonea ſufficere parata eſt; conſequens autem reſpicit objectum quibuſdam circumſtantiis veſtitum, hoc eſt, operatione libera hominis bona & mala, qua ſemel prævisa, Deus præmium confert, vel pœnam infligit. Ratio eſt, quia D. Damaſcenus per voluntatem conſequentem eam intelligit, quæ præſupponit præſcientiam operum, quæ liberè fiunt à voluntate creata: quo etiam ſenſu vſurpat D. Thomas, qui proinde hanc diviſionem voluntatis in antecedentem & conſequentem, non latiùs extendit, quàm D. Damaſcenus.

Voluntas efficax & inefficax.

I. VOLUNTAS efficax Dei circa res creatas eſt ea, qua Deus ita vult eſſe aliquid, vt cum ea carentia rei quam intendit, conjungi non poſſit.

II. Voluntas efficax verè datur in Deo circa objecta creata. Patet ex Pſalm. 113 *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Eſther 13. *Non eſt qui poſſit*

tuæ reſiſtere voluntati. Ratio eſt, quia nulla cauſa creata poteſt impedire effectum, quem divina voluntas efficaciter intendit; & aliunde eſt in Deo virtus per ſe ſufficiens ad exequendum id omne quod intendit, quippe quæ infinita ſit.

III. Voluntas inefficax eſt ea, qua ita Deus vult aliquid, vt cum ea conjungi poſſit carentia illius rei, quam Deus intendit: talis eſt voluntas generalis quam Deus habet de ſalute hominum: talis eſt voluntas concurrendi cum cauſis liberis, ſi velint; concurſum quippe ipſis exhibet, per decretum quo paratus ſit cum ipſis concurrere ad alterutrum; ita tamen vt malit fieri bonum opus, quantum in ipſo eſt.

IV. Voluntas inefficax datur in Deo. Probatur: quia ineſt Deo voluntas interna, qua Deus ſincerè deſiderat id fieri quod præcipit, & omitti quod prohibet; patetque vel inde vtrumque ex animo velle, quòd præmia laudabiliter acturis proponat, & pœnas malè acturis, vt illos ad virtutem excitet, hos à vitio abſterreat: at multi Dei præceptis non obtemperant, & voluntati prohibenti reſiſtunt, nituntur que contra vetitum: ergo voluntas inefficax Deo ineſt. Deinde quàm ſæpe Deus concurſum paratum ad vtrumlibet hominibus exhibet, ita vt fieri velit opus bonum, malum autem fieri nolit; & tamen ſæpe opus bonum non fit ab homine: ergo datur voluntas in Deo quæ non ſemper habet effectum, quem intendit. Hinc

Colliges 1. voluntatem, quam habet Deus ſalvandi homines, non tantùm extendi ad eos qui reipſa ſalvantur, ſed etiam ad eos qui pereunt: quia Deus vult ſincerè omnes ſalvos fieri,

cùm det omnibus vi iſtius voluntatis, auxilia ſufficientia, quibus ſi vti vellent, vtique ſalvarentur. Per hæc quippe auxilia ſalutem conſtituere poſſunt, ſi velint: quare culpæ eorum tribuitur quòd pereant, ipſiſque poſſibilis redditur præceptorum obſervatio.

Colliges 2. Voluntatem quam habet Deus ſalvandi homines, non tantùm ferri in media quæ ad ſalutem ſatis ſint, ſed etiam directè & expreſsè in finem ob quem ejuſmodi media à Deo conferuntur, Deus quippe ex D. Paulo 1. ad Timot. 2. vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quibus verbis Apoſtolus duplicem voluntatem exprimit; alteram, quæ ſit circa media ad ſalutem requiſita, vt eſt agnitio veritatis: alteram, quæ directè feratur in finem, quæ eſt ipſa ſalus hominis. Et verò ratio finis ſemper prior eſt ſaltem ratione, quàm mediorum electio; amor quippe finis amantem determinat ad mediorum electionem: Deus non tantùm iis qui ſalvantur, ſed etiam qui pereunt, media vult dare: ergo priùs vult eorum ſalutem; quis enim media tribuat ad eum finem, quem nolit obtineri? Itaque cùm Deus præcipit omnibus & ſingulis hominibus vt declinent à malo, & faciant bonum, non tantùm media iis vult tribuere ad fugam mali & proſecutionem boni, ſed vult etiam vt faciant bonum; hinc voluntas quæ eſt efficax circa media, ſæpe non eſt efficax circa finem. Quàm multi tentationi ſuccumbunt, quibus tamen data ſunt media ad illam ſuperandam ſufficientia!

3. Quamvis voluntas Dei circa ſalutem omnium ſit aliquando inefficax, non eſt tantùm

ſimplex complacentia, quia ſimplex complacentia approbat tantùm bonum ſibi propoſitum, nec tendit in illius exiſtentiam, adeóque vi illius non dantur media; vi autem voluntatis inefficacis circa finem, verè dantur media hominibus: vnde voluntas illa eſt ſimul efficax & inefficax, ſed diverſo reſpectu; efficax quidem circa media, quæ verè dantur à Deo, ſed inefficax circa finem, hoc eſt, circa ſalutem plurium hominum.

4. Quamvis voluntas, qua Deus vult ſalvari homines, ſit inefficax circa plurium ſalutem, non tamen eſt otioſa aut imperfecta. Non otioſa eſt, quia Deus vi illius voluntatis præparat media & auxilia hominibus, quibus ſalutem conſequi poſſint, & ſi non conſequantur, ipſi tantùm in cauſa ſunt. Non imperfecta, 1. quia non eſt ſimplex velleitas, ſed vera voluntas; hinc cùm Paulus ait, *Deus vult omnes ſalvos fieri*, non dicit, vellet, ſed abſolutè, vult, & verò vi illius voluntatis Deus accingit ſe ad media ipſis tribuenda, immo & tribuit. Deinde ne ſimplex quidem complacentia dici debet affectus imperfectus ex modo tendendi in objectum; ſed dicendum tantùm, quòd non ſit affectus deſiderii, vnde eſt tantùm imperfectus negativè, non privativè. Idem dixeris de deſiderio ſalutis hominum, quod Deo ineſt.

Articulus II.

De libertate Dei.

CIrca Dei libertatem quatuor hîc quærimus; primum an ſit in Deo libertas; ſecundum, circa quæ objecta Deus verè liber ſit; tertium, in quo ſit poſita ratio libertatis divinæ, ſeu actus liberi; quartum, in quo libertas divina cum libertate creata conveniat & diſcrepet.

§. I. *An ſit in Deo libertas indifferentiæ.*

I. Observatio. Libertas, alia naturæ, quæ convenit naturaliter intelligenti naturæ; alia à peccato, quæ libertas gratiæ; alia à miſeria, quæ libertas gloriæ dicitur. Rurſus libertas naturæ duplex; altera à coactione, qua voluntas ab omni violentia externa immunis eſt: altera à neceſſitate; quæ ſimplici neceſſitati ſeu determinationi ad vnum opponitur, quæ libertas indifferentiæ dicitur, eaque duplex: vel contrarietatis ſeu ſpecificationis, qua poteſt voluntas ex duobus actibus contrariis alterutrum eligere, v. g. amare vel odiſſe: vel contradictionis ſeu exercitii, quæ eſt poteſtas agendi, ſeu poteſtas quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere, vel non agere. Hinc duplici indifferentiæ duplex neceſſitas opponitur; vna ſpecificationis, quæ voluntatem ad vnam contrarietatis partem determinat: altera exercitii, quæ voluntatem ad alteram contradi-

ctionis partem aſtringit, v. g. ad amoris actum, vel ad non actum amoris.

II. OBSERVATIO. Dum quæritur, an Deo libertas inſit, de libertate indifferentiæ potiſſimùm agitur, quæ poſſibilitatem vtriuſque partis & contingentiam, tum activam, tum paſſivam includit. Activa eſt, qua quis ita aliquid producit, vt poſſit non producere: paſſiva, qua ita aliquid producitur, vt poſſit non produci. Primus modus pertinet ad libertatem activam, ſecundus ad libertatem paſſivam.

I. ASSERTIO. Datur in Deo libertas indifferentiæ. Ita D. Thomas in 2. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 2. & quæſt. 24. de verit. art. 3. ad 3. *Dicendum quòd voluntas divina ſe habet ad oppoſita, non quidem vt aliquid velit, & poſtea nolit, quod ejus immutabilitati repugnaret: nec vt poſſit velle bonum & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret, ſed quia poteſt hoc velle, aut non velle*

Probatur 1. ex Pſalm. 134. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo & in terra.* Et ex verbis Apoſtoli ad Epheſ. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* At quod operamur ex conſilio voluntatis, non ex neceſſitate volumus, vt obſervat D. Thomas 1. part. Accedit D. Ambroſius lib. 2. de fide cap. 3. *Omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult, hoc eſt, pro libera voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.*

Probatur ratione multiplici. Prima ſit. Deus habet omnes radices perfectæ libertatis: ergo eſt verè liber. Probatur ant. gemina eſt radix libertatis, altera ex parte intellectus, nempe

ratio deliberativa ; altera ex parte voluntatis, nempe independentia ſine indigentia : Deus habet vtramque radicem, & rationem quaſi deliberativam ; ſimplici enim intuitu pervidet, quid hîc & nunc faciendum ſit ; & ſummam voluntatis independentiam, quia nulla eſt indigentia in Deo ex parte creaturarum, nulla autem indigentia, quia nullum bonum extra Deum cognoſcitur, quod ipſi neceſſarium ſit ad ipſius eſſe, vel ad felicitatem & conſummatam perfectionem, ſeu tanquam medium ad finem, quem in rerum molitione ſibi conſtituit, qui eſt illius gloria. Hoc argumentum eſt D. Auguſtini lib. 82. quæſt. q. 22. *Vbi*, inquit, *nulla indigentia, nulla neceſſitas : vbi nullus defectus, nulla indigentia : nullus autem defectus in Deo ; nulla ergo neceſſitas.*

Secunda ex communi hominum ſenſu petitur : homines ſi re quapiam indigent, fundunt preces ad Deum vt impetrent, & ab ejus bonitate ſperant ; poſtquam largitus eſt, gratias agunt : neminem exoramus, niſi qui precibus flecti poſſit : nec vllus flecti precibus poteſt, niſi qui liber ſuique juris ſit : nulli etiam gratias agimus, niſi qui liberaliter egit, & beneficium in nos contulit : at liberalitas à libero animo proficiſcitur, & beneficium eſt quod quis dedit, cùm illi liceret & non dare, inquit Seneca ; hæc quippe eſt doni indoles, vt liberè & citra neceſſitatem conferatur : ergo vel nulla in nos Dei dona ſunt ac beneficia, nulla ejus liberalitas, aut certè eidem ineſt largiendi, vel non largiendi facultas. Hinc Boëtius lib. 5. de conſol. proſ. 4. *Tolleretur vnicum inter Deum & homines commercium ſperandi & deprecandi.* Commercium

quippe quod Deum inter & homines potiſſimùm agitur, continetur præſertim ex parte hominum, precibus & ſpe, vt obtineant, & gratiarum actione, poſtquam obtinuere; ex parte autem Dei, voluntaria rerum quas petimus, largitione. Hinc patet 1. quanta ſit orationis præſtantia & neceſſitas; præſtantia quidem, quòd divinæ libertatis index ſit; neceſſitas verò, quòd commercium Deum inter & homines foveat. 2. Patet nihil eſſe in mundo ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, quia Deus nihil extra ſe agit ſimplici & abſoluta neceſſitate.

Tertia. Deus eſt liber libertate tum contrarietatis, tum contradictionis: ergo perfectè liber eſt. Prob. ant. Deus poteſt agere contraria: ergo vel nihil ageret, ſi liberè non ageret; vel contraria ſimul produceret, niſi libertatem contrarietatis haberet circa objecta non mala. Poteſt quoque Deus condonare offenſam, vel non condonare, & Chriſtus poſuit animam ſuam pro nobis, cùm poſſet non ponere: ergo Deus eſt liber libertate exercitii.

Dices 1. Deum eſſe liberum libertate ſpecificationis circa creaturas quidem in particulari; non autem circa eaſdem in communi & vagè. Contrà, licèt nulla creatura produceretur in æterno, Deus ſe ipſo perfectiſſimè beatus eſſet: ergo dilectio efficax & abſoluta creaturæ, etiam in communi & vagè eſt neceſſariò connexa cum Dei bonitate. 2. Deus commenſurat amorem ſuum cum perfectione objecti: bonitas creaturæ in communi non eſt bonitas neceſſaria, nec bonitas creaturæ in particulari: ergo maxima Dei perfectio eſt, liberè, non neceſſariò creaturam

diligere non tantùm in particulari, ſed etiam vagè & indeterminatè acceptam.

Dices 2. Deum non poſſe peccare: ergo non eſt perfecta in Deo libertas. Reſp. dato antecedente, nego conſ. peccare enim, mentiri & mori poſſe, impotentiæ potiùs eſt, quàm potentiæ tribuendum, vt inſinuat Auguſtinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. *Neque*, inquit, *poteſtas Dei minuitur, cùm dicitur mori fallique non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, vt potiùs ſi poſſet, minoris eſſet vtique poteſtatis. Dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; quod ſi accideret, nequaquam eſſet omnipotens: vnde quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.* Ut ergo omnipotentia Dei non eſſet major extenſivè, ſi poſſet ſeipſum deſtruere, vel negare mentiendo: ita nec libertas Dei foret extenſivè major, ſi poſſet peccare. Libertas quippe eſſentialiter ſumpta, eſt poteſtas vtriuſque partis, eáque realis & vera: at poſſe peccare non eſt poteſtas, ſed impotentia, ex D. Anſelmo, quia peccatum oritur à voluntate, non quatenus eſt perfecta & efficiens, ſed quatenus deficiens & imperfecta. At deficere à verà & perfecta efficientia non eſt propriè potentia, juxta D. Dionyſium cap. 4. de div. nom. *Non tamen efficientes ſunt malorum rationes atque facultates, ſed imbecillitas & infirmitas.* Quid quòd omnis peccans deflectit ab ordine finis, quod pertinet ad defectum libertatis, ex D. Thoma? Hinc vides cur libertas hominis, licèt peccare poſſit, non ſit major extenſivè, quàm divina: quia poſſe peccare nec eſt tota libertas, nec pars libertatis, ſed potiùs defectus & vitium libertatis. Demon-

ſtratur tamen libertas in homine ex potentia peccandi, ſicut hominis vita ex morbo probatur, quamvis morbus ſit naturæ defectus. Ut enim nullus ægrotat niſi vivens, ita nemo peccat, niſi idem ſit liber.

Inſtabis: ad rationem perfectæ libertatis pertinet vt ſit indifferens ad oppoſita: non eſſet indifferens ad oppoſita divina voluntas, niſi poſſet peccare: ergo, &c. Reſp. diſt. majorem, vt ſit indifferens ad oppoſita, ſervato ordine finis, concedo: non ſervato ordine finis, nego. Non eſt enim de ratione perfectæ libertatis, vt poſſit voluntas in diverſa, non ſervato ordine finis, ferri, ſed de ratione libertatis imperfectæ, qualis eſt in viatore.

Quæres 1. quid de libertate Dei ſenſerit Ariſtoteles. Reſp. in ea fuiſſe mente, vt crederet Deum circa mundi productionem nullam habuiſſe libertatem. Cùm enim Deo immutabilitatem tribuerit, ideo ſibi perſuaſit Deum ſemper agere, & non poſſe non agere, quod eſt ex neceſſitate naturæ agere. Et quamvis fortè non crediderit Deum neceſſariò agere, quantùm ſimpliciter poteſt quoad magnitudinem, multitudinem & perfectionem effectuum; tamen quoad durationem mundi & earum rerum quas immediatè operatur, credidit neceſſariò agere quantùm poteſt, vel potiùs quàm primùm poteſt ob immutabilitatem ſuam. Ita Suares Granat. qui hanc fuiſſe mentem Ariſtotelis, ex variis textibus probat, ex 8 Phyſ. tex. 9. & 13. vbi ait in æternis nihil eſſe in potentia, ſed omnia in actu: vnde infert nihil eſſe timendum à cæli quiete, quia nec ipſum cælum, nec motor eſt in potentia

ad non movendum. Et lib. 6. Metaph. cap. 6. ait non ſatis eſſe, ſi primus motor ſit ab æterno potens movere, quia poſſet non movere; ſed oportere vt ſit actu movens ex neceſſitate, ita vt ejus motio ſit ſubſtantia ejus, itáque tam neceſſaria, quàm ipſius ſubſtantia. Denique lib. 2. de cælo cap. 6. tex. 35. probat motum cæli eſſe invariabilem, quia motor ejus immutabilis eſt: vnde colligit neceſſitatem generationum ab æterno, & ad earum varietatem varias generationes requirit.

Non deſunt tamen auctores, qui pugnent Ariſtotelem Deo libertatem non denegaſſe, 1. quia in lib. de mundo ad Alex. comparat Deum Imperatori qui omnibus præeſt, & quæcumque voluerit, conficit. 2. Cùm diſtinguit agentia in ea, quæ agunt ex neceſſitate naturæ, & ea quæ ex electione, id eſt, ex mente & ratione, in hoc poſteriori ordine Deum collocat, à quo ait omnes cauſas naturales ſuum ad finem dirigi. Lib. 2. magn. Moral. ait Deum bona & mala pro cujuſque meritis diſtribuere. Et Laërtius in vita Ariſtotelis, ait morti jam proximum, à Deo miſericordiam petiiſſe: ergo credidit Deum poſſe precibus flecti, atque adeo eſſe dominum actionis.

Ut concilient Ariſtotelem ejuſdem interpretes, reſpondent Deum, quamvis agat ex intellectu & voluntate, tamen determinatum eſſe ad agendum ex neceſſitate, quatenus agit ſemper hîc & nunc quod judicat eſſe melius & convenientius. Ita Soncinas & Soto. Alii exiſtimant Deum circa vniverſale bonum totius mundi & naturalem ejus diſpoſitionem quadam naturali

neceſſitate operari & in aliis operibus liberum fuiſſe. Utut ſit, certum eſt Ariſtotelem infirma admodum ratione mundi æternitatem aſtruxiſſe, & in ſuis opinationibus minùs conſtantem fuiſſe.

§. II. *Circa quæ objecta Deus ſit liber.*

I. OBSERVATIO. DE triplici genere objectorum quæſtio inſtitui poteſt; 1. de Deo ipſo; 2. de creaturis poſſibilibus; 3. de creaturis in aliqua differentia temporis exiſtentibus.

II. OBSERVATIO. Duplex amor in Deo diſtinguendus; alter amicitiæ, alter benevolentiæ. Per amorem amicitiæ ſe ſuaque bona intrinſeca amat: per amorem benevolentiæ bona hæc vel illa extrinſeca. Ad primum amorem movetur ex ſolo intuitu objecti ſui, ad ſecundum ex ratione deliberata.

I. ASSERTIO. Amor amicitiæ, quo Deus ſibi vult bona intrinſeca & ſeipſum amat, non eſt liber libertate indifferentiæ ſeu electionis.

Probatur: amor qui eſt omnium primus, deinde beatificus, 3. circa puram bonitatem pleniſſimè cognitam, non eſt liber: amor, quo ſibi Deus vult bona intrinſeca & ſeipſum amat, eſt omnium primus, beatificus & circa puram bonitatem pleniſſimè cognitam: ergo non eſt liber. Major patet, quia amor omnium primus eſt circa finem: at primus amor circa finem & vltimum bonum non eſt liber, amoris quippè perfectio conſiſtit in ordine, ordo in proportione cum objecto; proportio in eo quòd amor

ita ſe habet ad alios amores, vt objectum amoris ſe habet ad objecta aliorum amorum: ergo amor primi boni, qui Deus eſt, debet eſſe primus inter amores, quia Deus eſt primum inter bona; ſed primus amor deliberatus eſſe non poteſt, quia omnis amor deliberatus pendet ex alio amore: ergo nec liber paſſivè, ſed tantùm activè, quatenus imperat alios amores ſecundos. Deinde amor beatificus, cùm ortum habeat ex comprehenſione objecti infiniti, non poteſt ab amando abſtinere. Denique vbi pura bonitas, ibi nulla ratio mali apparet: ergo nec vlla ratio boni in ea non amanda, multò minùs in averſanda.

Hinc 1. fit, vt primus amor ſui in creatura ſit neceſſarius & indeliberatus; 2. vt omnis amor deliberatus ſit circa media ac proinde ſe habeat ad primum amorem, vt veritas concluſa ad aliam veritatem ex qua infertur; denique quòd ſit amor ſecundus.

II. Assertio. Amor, quo Deus vult ſibi creaturas, ſeu bona hæc vel illa extrinſeca, & amat, eſt liber.

Probatur: amor, quo Deus vult ſibi hæc vel illa bona extrinſeca, & amat, eſt amor benevolentiæ, quo ſibi procurat gloriam: talis amor eſt liber: ergo amor, quo Deus hæc vel illa bona extrinſeca ſibi appetit & amat, eſt liber. Certè nullum eſt bonum extra Deum, quod Deum ad ſui amorem neceſſitet, cùm finitum ſit ac limitatum. Porrò ex hac diſtinctione gemini amoris, amicitiæ nempe & benevolentiæ, facilè occurres argumentis quibus pugnant è SS. Patribus alii Deum ſe amare neceſſariò, alii autem

contendunt Deum ſe amare liberè. Amat quippe ſe Deus neceſſariò, amore amicitiæ, qui eſt amor propriè dictus ; amat autem ſe liberè amore benevolentiæ, qui eſt potiùs effectus amoris quàm amor, nempe procuratio gloriæ divinæ, ideóque paſſivè liber eſt, quia ita eſt, vt poſſit non eſſe.

Objicies in 1. aſſertionem : amor amicitiæ, quo ſe & bona intrinſeca amat, eſt primus omnium amorum : ergo menſura omnium aliorum amorum : ergo continet in ſe omnes perfectiones aliorum amorum : at libèrtas eſt amoris perfectio : ergo amor amicitiæ, qua ſe bonaque intrinſeca amat, eſt verè liber.

Reſp. Datis duabus primis propoſitionibus, tertiam diſtinguo : amor, quo ſe Deus amat, debet continere aliorum amorum perfectiones ; amorum, qui ſunt primi, eſto ; amorum, qui ſunt ſecundi & deliberati, nego. At libertas eſt perfectio amoris ſecundi & deliberati, non amoris primi & indeliberati, qualis eſt amor, quo ſe ſuaque bona intrinſeca amat.

Inſtabis : ſi quis amor in Deo non eſſet liber, maximè amor, quo Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio : amor, quo Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, eſt liber, ex SS. Patribus : ergo, &c.

Reſp. diſt. minorem : amor, quo Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, eſt liber libertate ſpontaneitatis & lubentiæ, concedo ; libertate indifferentiæ & electionis, nego. Diſtinctionem explicuimus tom. 1. Ethicæ, part. 2. de princ. morum, diſp. vnica de libertate.

Inſtabis 2. Ex Auguſtino, amor finis eſt amor

ſummè liber, amor mediorum neceſſarius : ergo ex Auguſtino, libertas eſt circa finem, non circa media.

Reſp. diſt. ant. amor finis eſt amor ſummè liber, libertate, quæ ſit immunitas à ſervitute, concedo; libertate indifferentiæ & electionis, nego. Ibi enim Auguſtinus liberum ſumit pro domino, & neceſſarium pro ſervo : quia amor finis dominatur, amor autem mediorum ſervit; habet enim ſe amor finis ad amorem mediorum, ſicut finis ad media; porrò media ſubordinantur fini, & ab ea imperantur; hinc primus amor ſeu amor finis poteſt dici liber activè, quia amores mediorum imperat.

III. Assertio. Deus non eſt liber circa amorem creaturarum poſſibilium.

Probatur : quia creaturæ ſecundùm id quod poſſibile phyſicum dicunt, ſunt idem cum omnipotentia divina : ergo eodem amore amat creaturas poſſibiles, quo ſeipſum amat, hoc eſt, amore neceſſario.

IV. Assertio. Deus eſt liber circa creaturas in aliqua differentia temporis exiſtentes.

Probatur : Deus ita infert creaturas, extra ſe, vt poſſit non inferre : ergo Deus eſt verè liber circa creaturas in aliqua differentia temporis exiſtentes. Ratio à priori eſt, quòd Deum ad productionem ſui nulla creatura neceſſitet, adeóque eſt dominus ſuæ actionis. Deus quippe nullam habet neceſſitatem abſolutam amandi efficaciter creaturas, cùm non ſint ſummum bonum, neque ſummo bono neceſſariæ, vt obſervat D. Thomas lib. 1. contra Gentil. cap. 81. ergo amor efficax creaturæ eſt Deo indifferens;

ſolus quippe Deus eſt ſummum bonum, nullamque habet neceſſariam connexionem cum creaturæ exiſtentia actuali, cùm ſit ſibi ſufficientiſſimus; hinc libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex in Deo, cujus fundamentum eſt ſumma ejuſdem ſufficientia, quia ſummum bonum ſibi eſt ſatis.

§. III. *Quid ſit actus liber in Deo.*

STATUS quæſtionis eſt, in quo potiſſimùm conſiſtat ratio actus liberi in Deo, ſeu velle Dei liberum. Ratio difficultatis eſt, quòd volitio Dei libera, cùm divina ſit, æterna quoque ſit oportet, realiter ipſe Deus, neceſſaria in eſſendo, & immanens; quà autem libera, debet eſſe contingens in eſſendo, & tranſiens; ita porrò eſſe, vt poſſit non eſſe, quod videtur Dei immutabilitatem deſtruere. De hac quæſtione perdifficili variè ſentiunt auctores. Alii velle liberum Dei conſtituunt in perfectione Deo ipſi intrinſeca, quæ poſſit adeſſe & abeſſe à Deo: alii in reſpectu quodam Dei producentis ad rem productam: alii volunt eſſe denominationem extrinſecam ab effectu creato petitam. Nos vt quid in quæſtione implicatiſſima ſentiendum ſit, breviter definiamus, ſit

I. ASSERTIO. Volitio Dei libera eſt perfectio Deo ipſi intrinſeca. Probatur: omnis volitio propriè dicta eſt intrinſeca ſubjecto, quod conſtituit formaliter volens: volitio, qua Deus vult liberè producere, vel non producere creaturas, eſt propriè dicta volitio; vt enim Deo ineſt vera voluntas, non tralatitia, ita & vera, non tra-

latitia volitio: ergo volitio Dei libera eſt perfectio Deo ipſi intrinſeca. Major probatur, tum quia quælibet volitio eſt vita actualis, quæ denominat ſuppoſitum actu vivens, vita autem actualis eſt perfectio ab intrinſeco: tum quia omnis volitio eſt actus quo perſequimur bonum vel fugimus malum: ergo ſubjecto intrinſecus. Conſequentia patet; nemo enim proſequitur bonum aut fugit malum per affectum, qui inſit alteri ſuppoſito.

II. ASSERTIO. Volitio Dei vt libera, non addit actui Dei neceſſario perfectionem realem intrinſecam, quæ poſſit eſſe vel non eſſe in Deo.

Probatur 1. Illa perfectio, quam Deo Caietani fautores affingunt, vel eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, vel non eſſet. Si primum, illa perfectio Deo neceſſario conveniret adeoque non eſſet contingens: ſi ſecundum, eſſet Deo ipſo indigna. 2. Illa perfectio, quam Deo tribuit Caietanus, vel eſſet ſubſtantia, vel accidens, vel modus ſubſtantialis: nihil horum dici poteſt. Non eſt ſubſtantia, quia nihil Deo ineſt ſubſtantiale, quod non ſit Deus: non accidens aut modus, quia vtrumque ſubjecto inhæret, quod imperfectionem in Deo argueret. 3. Illa perfectio, quæ à ſubſtantia Dei diſtingueretur, deſtrueret ſummam illius ſimplicitatem; induceret enim compoſitionem phyſicam in Deum ex ſubſtantia & accidente, quod non eſſet Deus; velle quippe liberum Dei à ſubſtantia Dei diſtingueretur, & Deo ipſi ineſſet, itaque totum phyſicum cum Deo componeret. Quid quòd illa perfectio non eſſet Deus: at ex Auguſtino ep. 191. Spiritus

Spiritus ſapientiæ *ideo dicitur ſimplex, quia non aliud quàm quod habet, eſt.* 4. Illa perfectio vel eſſet ens increatum & independens, vel creatum & dependens. Si ens increatum & independens, eſſet ipſe Deus, & tamen ab eo realiter diſtingueretur; ſi ens creatum & dependens, vtique vel ſubſtantia, vel accidens, vel modus; & ita recurrit argumentum tertium. 5. Illa perfectio qualiſcumque ſit, ita eſſet in Deo ab æterno, vt potuiſſet non eſſe, aut altera eidem oppoſita ineſſe potuiſſet: ergo Deus potuiſſet eſſe alius, & quidem intrinſecè ab eo qui jam eſt, quod ipſius immutabilitatem deſtruit. 6. Sequeretur id quod nihil eſt, & per totam æternitatem nihil erit, potuiſſe eſſe Deum, hoc eſt, cum divina eſſentia identificari potuiſſe. Nam nolitio mundi potuit eſſe in Deo, & proinde potuit eſſe Deus, quia quidquid eſt in Deo, eſt Deus: atqui illa nolitio nihil eſt modò, & per totam æternitatem nihil erit ſecundùm illam rationem intrinſecam nolitionis, quam Deo adderet, ex opinione adverſariorum: ergo quod nihil eſt, potuiſſet eſſe Deus. Nec dicas 1. perfectionem illam eſſe modalem, quæ nihil addat intrinſecum rei modificatæ. 2. Licèt aliquid adderet, non eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Nam 1. oſtendimus in Phyſica vniverſali modos eſſe entitates realiter à rebus diſtinctas. Deinde licèt illa perfectionon eſſet ſimpliciter ſimplex, ſaltem ſequeretur eſſe aliquid Deo intrinſecum per modum perfectionis non ſimplicis, quod non eſſet ſummè neceſſarium, quodque indifferens eſſet, vt nihil eſſet, vel Deus.

III. ASSERTIO. Volitio Dei vt eſt libe-

ra, non addit ſupra actum neceſſarium relationem.

Probatur: illa relatio vel eſſet realis, vel puræ rationis. Non poteſt eſſe realis, quia ſi quæ eſſet realis relatio in Deo, qua diceretur cauſans creaturam, cùm poſſet eſſe non cauſans, & vice verſa, vtique Deo ineſſet tanquam ſubjecto, & haberet pro fundamento infinitatem divinæ volitionis, qua omnibus poſſibilibus volitionibus æquivalet: at hæc relatio realis non poteſt eſſe in Deo, quia eſſet ipſe Deus formaliter, poſſetque Deus definiri, cujus totum eſt ad aliud ſe habere; quod ſummam illius independentiam lædit, vt aliàs oſtendimus tom. 1. Log. part. 3. diſp. 4. art. 4. §. 1. Non poteſt eſſe relatio puræ rationis & fictitia, quia Deus non eſſet liber, niſi cùm à nobis liber conciperetur. Quare cùm Deus infert creaturam, quam poſſet non inferre, relatio inde reſultans eſt in creatura ſubjectivè, in Deo tantùm terminativè, juxta mentem D. Auguſtini lib. 5. de Trin. cap. 16. *Quòd ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifeſtum eſt relativè dici, non tamen ſecundùm accidens Dei, quòd ei aliquid acciderit, ſed planè ſecundùm accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relativè.*

IV. ASSERTIO. Volitio Dei vt libera, non conſtituitur per denominationem purè extrinſecam, hoc eſt, ab effectu creato petitam.

Probatur 1. Volitio libera eſt in Deo ab æterno: denominatio extrinſeca petitur ex productione creaturarum, quæ fiunt in tempore: ergo libertas actus divini non poteſt eſſe denominatio purè extrinſeca petita ab effectu creato. 2.

Id quod eſt poſterius, non poteſt eſſe cauſa formalis prioris: terminus liberæ volitionis eſt quid poſterius libera volitione divina; fit enim ab illa quatenus eſt libera: ergo non poteſt illam formaliter conſtituere. Certè vt omnipotentia divina eſt prior effectu extrinſeco, nec per illum formaliter conſtituitur, ita libertas divinæ volitionis prior eſt effectu, quem producit: ergo nec per ipſum formaliter conſtitui poteſt. Ut autem ſententia noſtra ſtabiliatur, tria diligentiùs obſervanda.

I. Libertas cùm ſit poteſtas agendi, geminam contingentiam requirit, vnam activam, paſſivam alteram; illa ſe tenet ex parte facultatis liberæ, prout eſt domina ſuæ actionis & poteſtas agendi hoc vel illud: paſſiva ſe tenet ex parte actus, qui ita producitur, vt poſſit non produci; ideóque dicitur liber in eſſendo ſeu paſſivè, ſicut facultas dicitur libera activè ſeu in agendo.

II. Duplex radix libertatis, vna in mente, altera in voluntate; prima dicitur judicium practicè practicum, ſive virtuale ſit, ſive formale: altera in voluntate, nempe independentia voluntatis à re volita, quæ cùm ſit domina ſui actus, poteſt ipſum ponere, ſi velit, aut ab eodem abſtinere, aut certè oppoſitum elicere. Hujus doctrinæ veritas patet ex iis quæ diximus in Ethica, vbi libertatis naturam fuſiùs explicuimus.

III. Actus amoris Dei poteſt ſpectari vel in ordine ad perfectiones divinas quas Deus amat, vel in ordine ad creaturas quas infert aut illaturus eſt. Primo reſpectu eſt neceſſarius,

ſecundo verò liber. Quanquam alii diſtinguunt duplicem actum Dei liberum ; vnum immanentem & elicitum , alterum tranſeuntem & imperatum. Immanens eſt actus neceſſarius , quo ſe Deus amat, quatenus connotat actum tranſeuntem , cùm poſſet non connotare : tranſiens eſt mutatio facta in creaturis, quæ potuit non fieri à Deo , vtpote à creaturis independente. His obſervatis, ſit

Ultima Assertio. Actus Dei liber ſeu velle liberum Dei , nihil aliud eſt quàm actus neceſſarius voluntatis divinæ , prout illaturus eſt vel infert in tempore creaturam , quam ob ſummam independentiam poſſet non inferre , aut non illaturus eſt, aut non infert, cùm poſſet inferre.

Probatur 1 ex D. Thoma lib. 1. contra Gentiles, cap. 82. *Voluntas Dei vno & eodem actu vult ſe & alia , ſed habitudo ejus ad ſe eſt neceſſaria & naturalis; habitudo autem ejus ad alia eſt ſecundùm convenientiam quandam , non quidem neceſſariam & naturalem , ſed voluntariam.* Hic probat S. Doctor volitionem Dei liberam non diſtingui ab amore , quo ſe Deus amat niſi per habitudinem liberam ad creaturas, quæ habitudo non eſt niſi cauſalis, vt teſtatur quæſt. 23. de veritate art. 4. ad 1. *Cùm dicitur Deum velle aliquid , non ſignificatur illud aliquid ineſſe Deo, ſed tantummodo importatur ordo Dei ad illius effectionem.*

Probatur, quia hic modus rectè explicat omnia quæ ad divinam libertatem requiruntur tum ex parte intellectus divini , tum ex parte voluntatis , tum ex parte effectus. Ex parte quidem

intellectus, præſupponit practicum divinæ ſapientiæ judicium, prout Deus illaturus eſt ab æterno creaturam; ex parte voluntatis contingentiam activam, & dominium actionis, quæ eſt ratio puræ libertatis; & ex parte effectus contingentiam paſſivam, qua creatura ita producitur à Deo, vt poſſit non produci. Præterea hæc ratio explicandæ divinæ libertatis removet omnem imperfectionem ab actu immanente Dei, & refundit in creaturam, nempe contingentiam paſſivam, eique vnam contingentiam activam relinquit, qua illatura eſt vel infert mutationem in creatura, ſeu qua ſe determinat activè ad productionem creaturæ ex pleniſſimo dominio in eam: determinatio autem activa perfectionem arguit in potentia, quia mutat, non mutatur, vt jam obſervavi in Ethica vniverſali. Hinc actus Dei liber vt immanens, eſt amor neceſſarius, quo ſe Deus amat, non abſolutè ſumptus, ſed quo ſe amat vt finem creaturarum, id eſt, quatenus dicit habitudinem, immediatè quidem ad judicium practicè practicum de facienda creatura, mediante autem judicio ad ipſam creaturam faciendam.

Ut ſolvas argumenta, memineris 1. eundem actum immanentem in Deo ſimul eſſe neceſſarium & liberum; entitativè quidem & in eſſendo neceſſarium eſſe, relativè autem ſeu terminativè acceptum & in agendo eſſe liberum. 2. Nullum fuiſſe inſtans reale, in quo voluntas divina non fuerit determinata ad productionem mundi, ſed ſatis eſſe ad aſtruendam illius indifferentiam; ſi in priori naturæ & rationis nihil concipiatur neceſſariò & antecedenter ipſam

determinans ad productionem mundi ; ſic enim concipitur indeterminata , non privativè quidem , ſed negativè ad creandum mundum.

3. Fundamentum relationis quam dicit actus Dei liber , eſt ipſa actio Dei & paſſio creaturæ. Rurſus actio Dei vel æterna eſt , nempe judicium Dei practicè practicum ; vel temporalis : & ſic idem eſt realiter cum paſſione , quæ recipitur in creatura.

4. Ad rationem perfectæ puræque libertatis non opus eſt, vt habeat potentiam paſſivam, ſeu receptivam. Certè ſi noſtra voluntas cogitaretur producere in alio ſubjecto actum , quem in ſeipſa ob finitudinem virtutis actuoſæ elicit, adhuc intelligeretur eſſe ſui juris ; produceret enim actum illum cum dominio ſeu poteſtate agendi vel non agendi. Non item opus eſt, vt actus dicat contingentiam paſſivam , licèt ipſam connotet in effectu ; actus enim Dei immanens reſpicit contingentiam paſſivam : vnam itaque contingentiam activam includit , quæ eſt dominium actionis. Sed vt hæc clariùs pateant , ſit

§. III. *In quo libertas divina cum creata conveniat , & in quo diſcrepet.*

CONVENIUNT libertas increata & creata in multis : præcipua convenientiæ capita affero.

1. Ut voluntas creata afficitur amore finis, quo movetur ad eligendum : ita voluntas divina afficitur amore ſui neceſſario , quo movet ſe ad actum imperatum.

II. Voluntas creata præſupponit judicium præcticé practicum, ex quo ſe determinat: voluntas divina etiam agit ex judicio ſapientiæ practicè practico, ex quo prælucente jam inde ab ipſa æternitate illatura eſt effectum, quem poſſet non inferre, vt eſt liberum arbitrium.

III. Libertas creata eſt indifferens ad agendum hoc vel aliud, aut ad agendum, vel non agendum, quatenus eſt libera, vtpote domina ſui actus: libertas divina indifferens quoque ad agendum hoc vel aliud, & ad agendum, vel non agendum.

IV. Libertas creata activè ſe determinat per ſe ipſam ad effectus, quos habet in ſua poteſtate abſque vllo intermedio: libertas divina ſe activè quoque per ſe ipſam determinat; hinc contingentia activa convenit libertati tum creatæ, tum increatæ.

V. Dum libertas creata ſe activè determinat, non mutatur, ſed mutat; quia agens vt agens non mutatur: libertas divina dum activè ſe determinat, non mutatur, ſed mutat.

VI. Ut libertas creata eſt radix honeſtatis & laudabilitatis actuum liberorum; ita libertas divina radix eſt honeſtatis & laudabilitatis actuum Dei liberorum.

VII. Sicut opera hominis, quà homo eſt, magis dicuntur eſſe ipſius, quàm rerum aliarum opera, quia dum agit vt liber, determinat ſe ex eminentia dominii: ita & opera Dei libera dicuntur eſſe magis ipſius Dei, quia agit ex ſumma independentia & ex pleniſſimo dominio.

Diſcrepant quoque in multis libertas increata & creata. Nam 1. libertas creata eſt indifferens ad

actus, etiam internos volitionis aut nolitionis ſecundùm ſubſtantiam ſumptos. Cùm enim ſit limitatæ virtutis, non reſpicit objectum ſuum, niſi mediante actu à ſe elicito & realiter diſtincto; hinc multiplex actus in voluntate creata; primus intentio finis dicitur, quæ præit electioni, & quidem realiter diſtincta; ſecundus, electio quæ eſt actus elicitus ex amore finis circa media; denique actus imperatus, qui pendet ab elicito: vnde ratio liberi convenit potentiæ, actui elicito & imperato, ſed diverſa ratione; potentiæ quidem, quatenus ita producit actum electionis, vt poſſit non producere; actui elicito, quatenus ita ſit à voluntate, vt poſſit non fieri; imperato demum, quatenus ſit dependenter ab actu elicito liberè producto. Libertas verò divina, cùm infinita ſit, non eſt indifferens ad actus internos volitionis & nolitionis, nec voluntas realiter diſtinguitur ab actu. *Nam intellectus & voluntas in Deo non ſunt potentiæ vt potentiæ, ſed vt actus*, vt ait D. Thomas. Unde voluntas divina producit immediatè actum imperatum ſeu externum; voluntas autem creata, mediante tantùm actu elicito circa media, qui dicitur electio; hinc nullus actus in Deo liber ſecundùm exiſtentiam, nulla contingentia paſſiva in actu immanente divino, nulla compoſitio ex actu tanquam forma & voluntate tanquam ſubjecto recipiente. Contrà verò, actus elicitus à voluntate creata circa media liber eſt, etiam ſecundùm exiſtentiam, quia ita producitur, vt poſſit non produci, ac proinde admittit contingentiam, paſſivam, & compoſitionem facit cum voluntate tanquam ſubjecto, in quo recipitur. Præterea idem actus ſecundus in Deo, ſi-

mul neceſſarius & liber; neceſſarius quidem, prout terminatur ad objectum quod non poteſt non eſſe id quod eſt; liber verò, prout terminatur ad objectum, quod ita eſt, vt poſſit non eſſe. Denique quidquid vult creatura, vult per actum à voluntate realiter diſtinctum: quidquid vult Deus, vult per actum ſimpliciſſimum realiter, licèt dici poſſit virtualiter multiplex.

II. Voluntas divina determinata fuit ab æterno ad agendum, putà circa productionem mundi, ideóque nunquam fuit indifferens privativè, quia in nullo inſtanti reali habuit indeterminationem; fuit tamen libera, quia determinata fuit conſequenter, non antecedenter. Voluntas creata poteſt eſſe indeterminata in aliquo tempore reali, immo & ſæpe eſt, licèt non neceſſe ſit, vt patet exemplo duorum angelorum, quorum alter ſtatim ab ortu Deum intuitivè videat & neceſſariò amet; alter cognoſcat abſtractivè tantùm, adeóque amet liberè.

III. Judicio practicè practico, quod libertati creatæ prælucet, ſua inſunt ſæpe vitia. Nam 1. vt plurimùm formale & expreſſum eſt judicium; 2. luminibus illius officit incogitantia & prædominans cupiditas, cui intellectus in judicando lenocinatur; vt enim quiſque affectus eſt, ita judicat. 3. Error interdum oboritur. 4. Longior mora in deliberando inſumitur. In Deo non eſt niſi judicium virtuale, quod detractis his omnibus imperfectionibus judicii formalis, omnes habet perfectiones ejuſdem. Deus enim vno momento, quid agendum ſit hîc & nunc, pervidet, nec affectu ducitur, nec labi inter judicandum poteſt.

IV. Libertas creata eſt etiam poteſtas ad peccandum, quia à regula moralis honeſtatis deficere poteſt: divina non poteſt, quia à regula morum nunquam deflectit. Nullus itaque actus divinæ voluntatis poteſt eſſe moraliter malus aut indifferens. *Iuſtus quippe Deus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*, Pſalm. 44. Eſt enim ſanctus per eſſentiam, adeóque ab omni ſcelere immunis. Ratio eſt, quòd omnes affectus & mores divini exactè congruant legi æternæ, nulluſque affectus ſit in Deo, qui non tendat in ipſum tanquam in motivum & objectum formale vltimum: ergo nullus datur actus in Deo liber, qui ſit malus aut indifferens: ergo omnis actus Dei liber eſt honeſtus, quia omnis actus liber eſt bonus, aut malus, aut indifferens.

Inferes 1. decretum eſſe actum voluntatis ex judicio practicè practico, aut judicium practicè practicum cum amore voluntatis connexum. Partitio illius fit in abſolutum & conditionatum; abſolutum eſt, quo Deus ſine vlla conditione quidpiam decernit, tale eſt decretum creandi mundi: conditionatum, quo Deus decernit aliquid ſub aliqua conditione ponendum; ſic Deus decrevit deſtructionem Ninivitarum, ſub ea tamen conditione, niſi converterentur.

Aliud item efficax omnino, aliud efficax quantùm eſt ex ſe, cujuſmodi eſt decretum, quo vult Deus quantùm eſt ex ſe, vt ea gratia vtamur, quam nobis confert, aut quo parat concurſum cauſis liberis, ſalvo jure vtriuſque partis. At

Quæres 1. an multa ſint in Deo decreta. Reſp

1. non eſſe multa realiter, ſed tantùm virtualiter. Reſpond. 2. quoties Deus vult vnum objectum vel plura per modum vnius, toties eſſe vnicum decretum: quia tunc nulla eſt neceſſitas admittendi plura decreta, cùm vnicum eſt objectum, aut plura per modum vnius; velle enim plura per modum vnius, eſt velle vt connexa ſunt inter ſe: ſic velle ſanitatem Petri propter gloriam, eſt vnicum decretum. Quoties autem Deus vult plura objecta vt plura, toties plura virtualiter habet decreta: v g. cùm Deus vult ſanitatem Petri & ejus gloriam.

Quæres 2. an ſit aliquis ordo inter decreta divina. Reſp. inter libera Dei decreta dari aliquem ordinem, ſaltem per rationem: vnde in decretis liberis plura ſigna rationis diſtinguuntur. Ratio eſt, quòd detur ſæpe fundamentum, cur concipiamus vnum decretum prius alio: v.g. cùm vnum decretum præſupponitur ab altero, ſic concipimus Deum priùs velle permittere peccatum, quàm velle illud punire; priùs videre peccatum Judæ, quàm velle ipſum reprobare.

Porrò vt concipiantur plura in Deo decreta, & vnum prius alio, duo opus ſunt: primum, vt ſit diſtinctio & dependentia non mutua in objectis; alterum, quædam æquivalentia ex parte Dei: ſic dum Deus decernit permittere peccatum Judæ, & illud ipſum punire, eſt diſtinctio & dependentia non mutua inter peccatum & pœnam; deinde eſt æquivalentia ex parte Dei, quia actus Dei infinitus æquivalet actibus diſtinctis voluntatis creatæ.

Quæres 3. quandonam vnum decretum ſit

prius altero, & viciſſim. Reſp. cùm vnius decreti objectum, vt eſt volitum, ita cauſat objectum alterius decreti, vt ab eo non cauſetur: v.g. vult Deus mundum propter hominem, vtique Deus priùs vult hominem quàm mundum: tunc autem vnum decretum poſterius eſt altero, cùm vnius objectum, quatenus volitum, cauſatur ab objecto alterius decreti, à quo viciſſim non cauſatur. Denique tunc nullus eſt ordo prioris & poſterioris inter decreta, cùm objectum vnius decreti non cauſat objectum alterius decreti, nec ab eo cauſatur, vt eſt volitum.

Quæres 4. an ſint actus averſativi in Deo, cujuſmodi ſunt odium, fuga, timor & triſtitia.

Reſp. 1. nec timorem, nec triſtitiam in Deo admitti. Non timorem quidem, quia nullum eſt malum arduum & difficile reſpectu Dei; timor autem eſt actus averſativus mali futuri & ardui, cui reſiſti non poſſit. Non triſtitiam, quia nullum malum eſt præſens, à quo malè affici poſſit; ne peccatum quidem, per quod læditur gloria Dei extrinſeca, qua ad ſuam beatitatem Deus non indiget. Nam *ſi peccaveris, quid ei nocebis? & ſi multiplicata fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Job 35. Sed cur peccata, quæ contra Dei voluntatem eveniunt, ipſum non affligunt? Quia ipſa impedire poſſet, ſi vellet, nec vnquam fiunt, niſi ipſius permiſſu conceſſuque, & quidem ex intentione majoris boni: contra verò quæ fiunt contra hominum voluntatem, triſtitiâ ipſos afficiunt, quia eveniunt ipſis nolentibus, nec valentibus impedire, etiamſi maximè velint.

Reſp. 2. Deo ineſſe odium abominationis pro-

priè dictum circa peccatorem. Probatur 1. ratione triplici. Prima ex definitione odii ſic petitur; odium enim ſimplex, ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 29. art. 1. eſt diſſonantia appetitus ad id quod apprehenditur vt repugnans & nocivum: at peccatum repugnat gloriæ Dei externæ, immo & ipſam deſtruit: ergo debet ineſſe divinæ voluntati diſſonantia ad peccatum. Secunda ex amore, quo ſuam Deus bonitatem amat. Quiſquis amat ſummè bonum aliquod, non poteſt non odiſſe ſummè malum ipſi repugnans: Deus ſuam bonitatem ſummè diligit, & honeſtatem virtutis amat: ergo & odit ſummè peccatum, quod vtrique repugnat. Tertia ab effectis; Deus impedit peccatum, & ab eodem hominem abſterret tum propoſitis pœnis, tum gratiis auxiliatricibus, quibus illud vitet, & non pœnitentem æternis addicit ſuppliciis: ergo Deus averſatur peccatum; *Cui enim proprium eſt peccata repellere, ipſi & proprium eſt peccata odiſſe*, inquit Bernardus ſerm. 3. in Pentecoſt.

Reſp. 3. licèt peccatum Deus odio abominationis oderit, non tamen odio inimicitiæ propriè dicto odiſſe. Ita D. Thomas lib. 1. contra Gentes, cap. 96. vbi probat Deum peccatorem odiſſe ſimilitudinariè tantùm & metaphoricè.

Probatur: Deus non odit peccatorem odio inimicitiæ ſtrictæ, ſive in via, ſive in termino ſit: ergo non odit peccatorem odio inimicitiæ ſtrictæ. Non odit peccatorem, quandiu eſt in via; aut enim prædeſtinatus eſt, aut reprobus. Si prædeſtinatus, ei vtique ſummum bonum vult, & ſi quam ei temporalem pœnam infligit, ex amore, non ex odio infligit. Agit enim

cum eo vt medicus, ex Auguſt. tract. 8. in Epiſt. Joan. *Deus amavit peccatores*, *ait enim*: *Non eſt opus valentibus medico*, *ſed malè habentibus. Numquid amavit peccatores*, *vt peccatores remanerent? Quaſi lignum de ſilva vidit nos faber*, *& cogitavit ædificium*, *quod inde facturus eſt*, *non ſilvam*, *quod erat.* Agit etiam vt pater, ex cap. 12. ad Hebræos: at odium inimicitiæ procul abeſt à medico, cùm venam incidit, aut putridam carnem reſecat, & *quem diligit Dominus caſtigat*; *flagellat autem omnem filium quem recipit*, Proverb. 3. Si reprobus eſt, ipſi etiam, quandiu eſt in via, vult ex animo ſalutem, & primaria voluntate converſionem illius pœnarum inflictione procurat juxta votum Dei ipſius. Pſalm. 103. *Deficiant peccatores à terra & iniqui*, *ita vt non ſint*; id eſt, *ita vt non ſint iniqui*, inquit Auguſtinus in commentario. Et verò cuilibet reprobo Deus varia gratiæ auxilia tribuit, quibus adjutus pœnitentiam agat & reſipiſcat.

Non odit etiam peccatorem reprobum odio inimicitiæ ſtrictæ, cùm eſt in termino: quia odiſſe odio ſtrictæ inimicitiæ, eſt velle malum alicui perſonæ, quoniam ipſi perſonæ malum eſt: Deus æternam pœnam ipſis damnatis non vult, quia ipſis eſt mala, ſed potiùs quia eſt bona ipſis. Bonum eſt enim ipſis damnatis, vt reducantur in ordinem juſtitiæ eo modo, quo reduci poſſunt in illo ſtatu infeliciſſimo; hinc dum movetur Deus ad decernendam pœnam æternam, à duplici quaſi bono creato movetur, nempe à bono vniverſali ordinis & à bono privato cujuſque damnati, cui bonum eſt, commiſſo ſemel peccato, Deo ſubjici, pœnas ſolve-

re, licèt invitum ac reluctantem, & ad ordinem redigi. Certè gubernatrix Dei juſtitia poſtulat, vt vnicuique réddatur quod debetur. Itaque voluntas qua Deus decernit pœnas damnato, non eſt odium inimicitiæ, quia perſonam damnati non averſatur aut deteſtatur, cùm potiùs eam eſſe velit, ſed potiùs amor illius perſonæ aut amor boni communis.

Ad actum fugæ quod ſpectat; qui in Deo verum affectum deſiderii circa bonum, quod ab hominibus fieri poteſt, admittunt, proprium quoque actum fugæ circa peccata quæ committere poſſunt, agnoſcunt; ſecus autem, qui verum affectum deſiderii à Deo removent.

Reſp. 4. non eſſe propriè dictam iram in Deo. Ratio eſt, quòd ira ſupponat in eo qui iraſcitur, dolorem, aut triſtitiam quam vlciſcatur. Ira enim, ex Ariſtotele lib. 1. de anima cap. 13. eſt appetitio doloris viciſſim adverſario referendi: at Deus non poteſt dolore aut moleſtia à quoquam affici; honore enim externo, qui peccato læditur, non eget ad ſui felicitatem. Et verò ex D. Proſpero ſentent. 12. *Deus non concupiſcit pœnam reorum, tanquam ſaturari deſiderans vltione: ſed quod juſtum eſt, cum tranquillitate decernit, & recta voluntate diſponit.* Ira itaque de Deo dicitur impropriè & metaphoricè.

DISPUTATIO VII.

De attributis quæ ſequuntur voluntatem.

QUEMAMODUM ſua ſunt intellectui divino attributa annexa, ſic & ſua voluntati, vt bonitas, ſeu ſanctitas, omnipotentia, providentia, juſtitia, miſericordia, dominium, & ratio finis vltimi: ſuæ item & annexæ virtutes, de quibus breviter agendum.

ARTICULUS I.

De bonitate morali, ſeu de ſanctitate Dei.

INTER attributa & virtutes quæ pertinent ad voluntatem divinam, principem locum tenet ſanctitas ſeu bonitas moralis. *Nihil* quippe *pretioſius invenimus, quo Deum prædicare poſſimus, niſi vt ſanctum appellemus*, inquit Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 18. Quinque autem de ſanctitate Dei quæremus; primum, quid ſit; ſecundum, an Deo inſit, tertium, quanta ſit; quartum, quomodo creaturis communicetur; quintum, quæ illius conſectaria.

§. I. *Quid ſit Dei ſanctitas.*

I. OBSERVATIO. SANCTITAS non vno nomine inſignitur. Dicitur bonitas moralis, quia eſt perfectio quædam morum in actu vel habitu. Puritas animi, quia eſt mundities quædam, eaque immaculata. Morum indefectibilitas & juſtitia: vnde ſanctum eſſe & juſtum eſſe idem ſonant in Scriptura; ſed tunc juſtitia ſumitur pro complexione virtutum.

II. OBSERVATIO. Sanctitas ſumitur tum negativè, tum poſitivè. Item per ordinem ad legem æternam, quæ illius regula; vel ad virtutes, ex quibus conflatur; vel ad peccatum, cui opponitur. Hinc

UNICA ASSERTIO. Sanctitas negativè ſpectata, eſt ex omni parte immaculata puritas: poſitivè ſumpta eſt vnio cum Deo, ſeu aſſimilatio deiformis, ſeu acceſſus per ſimilitudinem ad Deum, ſeu venuſtas, nitor & quaſi fulgor tum eſſentiæ, tum actionum, amorem juxtà & admirationem excitans; nihil enim aliud eſt in in Deo, quàm pars eſſentiæ propria, qua perfectus eſt; vel propria actionis, qua perfectè agit Deus, id eſt, optimo fine optimoque modo. Per ordinem ad regulam quæ eſt lex æterna, adæquatio ſeu commenſuratio perfecta voluntatis in actu & habitu cum lege æterna. Et quoniam legi æternæ per amorem adæquamur, definitur amor Dei. Per ordinem ad virtutes, complexio & cumulus virtutum omnium: quo ſenſu à D. Dionyſio deſcribitur, integra & perfecta poſſeſſio omnium rerum pulcrarum & honeſtarum,

quæ ſe effundit in angelos & homines, vt deos efficiat. Per oppoſitionem cum peccato, ab omni ſcelere libera & omnino perfecta atque illibata puritas. Ita Dionyſius de divin. nom. cap. 12. patet definitionum bonitas ex eo, quòd naturam ſanctitatis explicent. Porrò non omnis bonitas moralis, aut puritas à labe peccati, eſt propriè ſanctitas, de qua hîc agitur, quia hæc immunitas à peccato in ſtatu naturæ puræ reperiri poſſet; ſed ea tantùm, quæ ſequitur ad virtutes ſupernaturales, v. g. ad caritatem, quæ proinde eſt ordinis ſupernaturalis.

Sanctitas ſic definita duplex; altera per eſſentiam, altera per participationem; ſanctitas per eſſentiam eſt ſuppoſiti independentis puritas perfecta, vi ſolius eſſentiæ, quæ vni Deo competit, vtpote enti independenti, perfectiſſimo & actui puro: ſanctitas per participationem: eſt puritas eſſentiæ ſuperaddita, & à Deo accepta, quæ creaturæ intelligenti adventitia eſt. Hinc

Patet, quid ſit ſanctificare, nempe ab omni labe repurgare, & vnire Deo: vbi labes non tantùm pro culpæ macula, ſed etiam pro omni principio culpæ ſumitur, cujuſmodi eſt affectus inordinatus & concupiſcentia in peccatum inclinans.

§. II. *An Deus ſit ſanctus, & quomodo.*

I. ASSERTIO. DEus eſt verè & propriè ſanctus. Probatur 1. Iſaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus.* Levit. 2. *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus.*

Probatur 2. ratione: ſanctitatis definitio Deo perfectè convenit; nam ſanctitas vt eſt immunitas à peccato, Deo congruit, quia nec errare poteſt mente, cùm ſit prima veritas, nec perverſè amare, quia voluntas ejus legi æternæ planè conſentit. Deinde, ſanctitas vt eſt pulcritudo & nitor tum eſſentiæ, tum actionis, Deo competit, quia omnia in eo ſunt perfectè commenſa, ſive naturam ſpectes, ſive affectum, ſive actionem.

II. ASSERTIO. Deus eſt ſanctus per eſſentiam. Probatur 1. ille eſt eſſentialiter ſanctus, cujus voluntas, mores & effectus non accidentariò, ſed eſſentialiter ab intrinſeco legi æternæ commenſurantur: voluntas Dei, mores & affectus non accidentariò, ſed eſſentialiter & ab intrinſeco legi æternæ commenſurantur: ergo Deus eſt ſanctus per eſſentiam. Probatur minor: voluntas Dei & mores identificantur legi æternæ, quæ eſt origo primaria omnis perfectionis moralis & omnis rectitudinis affectus & moris. Hoc argumentum nititur his principiis. 1. Lex æterna eſt regula & menſura omnis perfectionis moralis & ſanctitatis. 2. Quò quiſque legi

æternæ conjunctior per affectum, eò ſanctior. 3. Deus eſt legi æternæ per affectum conjunctiſſimus; immo idem cum ipſa, ſicut lex æterna eſt idem cum natura divina: ergo Deus eſt ſanctus per eſſentiam.

Ex hac affectus divini perfecta identitate cum lege æterna ſequitur Dei impeccabilitas ſumma & indefectibilitas voluntatis ejus. Sicut enim regula errare non poteſt, quia ſeipſa recta eſt, nec poteſt excidere à ſeipſa: ita nec quod eſt cum regula prorſus idem, errare & ab ea deflectere poteſt: at voluntas divina eſt regulæ ſuæ, hoc eſt, legi æternæ conjunctiſſima, immo ipſa per eſſentiam regula ſua Deus eſt. Certè ſi manus fabri lignarii eſſet ipſa artis regula, aut manus architecti libella ipſa foret; nec faber lignarius in ſecando ligno aberraret vnquam, nec architectus in deſcribenda domo. Sed quoniam ambo regulam extra ſeipſos habent, ideo errare poſſunt, errantque interdum; ille quidem in ſecando ligno; hic autem in domo ad perpendiculum exigenda. Sic creatura cùm non ſit legi æternæ identificata, nec ſibi ſit regula, poteſt ab ea deflectere & directioni extrinſecæ non commenſurari: ergo peccare poteſt.

Probatur 2. ſanctum per eſſentiam eſt ſuppoſitum habens à ſe vi ſolius eſſentiæ perfectam puritatem ſpiritualem, ſeu omnimodam munditiam à peccato, etiam minimo: talis eſt Deus, tum quia eſt actus puriſſimus: tum quia eſt ens ſimpliciſſimum, & ab omni contagione ac labe peccati remotiſſimum; hinc ſanctitas divina dicitur ſeparans ac retrahens, quia Deum ab omni re impura ſegregat & colligit in ſe ſe, ne

contagione rerum creatarum ſordeſcat. Finge ſpeculum, cujus glacies, nec granis interpuncta, nec pulvere inſperſa, nec lutulentis aquis fœdata, nec eorum qui propiùs abſunt, halitu vel leviter infecta ſit, Dei ſanctitatem vtcumque expreſſiſti, quam nulla immunditiès fœdat, nulla inficit labes, nulla macula deformat. Hinc patet cur ſanctus dicatur à Græcis ἅγιος, id eſt, ſuperioris ordinis ad omnia terrena, ſeu potiùs ad omnem ſubſtantiam creatam. Sicut enim aurum dicitur puriſſimum, quod nec argento, nec alteri metallo inferiori admiſtum eſt, à quo adulteretur: ita ſanctitas Dei puriſſima dicitur, quòd vel à minima labecula longiſſimè abſit.

III. Assertio. Deo ineſt ſanctitas ſimpliciter infinita, id eſt, habens ſine numero & menſura omnem excellentiam poſſibilem ſanctitatis. Probatur: ad rationem ſanctitatis vſquequaque infinitam ſex requiruntur; 1. ſanctitas illa debet excludere à ſeipſa formaliter omnem reatum cujuſcumque culpæ, ita vt impoſſibile ſit vel momento cum reatu illo ipſam manere. 2. Omnem omnino peccandi potentiam tum proximam, tum remotam à ſuppoſito cui ineſt, removere, itáque dare omnimodam impeccabilitatem, ſeu libertatem à ſcelere. 3. Ita determinare ad agendum honeſtè, vt agere non poſſit, quin honeſtè & laudabiliter agat. 4. Eſſe principium agendi honeſtè in omni materia; ita vt nulla ſit actionis honeſtæ ſpecies ſtatui ſubjecti proportionata, quam non poſſit exercere. 5. Habere perfectiſſimum nitorem & efficaciſſimum principium ſanctitatis in alios omnes pro cu-

juſque captu diffundendæ. 6. Ita identificari ſubjecto, vt vi ſuæ ipſius entitatis ſubjectum ſit puriſſimum, & ab omni reatu immune, determinatum ad honeſtatem, & diſpoſitum ad omnem honeſtatis ſpeciem, etiam aliorum ſanctificativam: atqui Deo ineſt infinitus nitor, quia entitas Dei continet omnem excellentiam cujuſlibet nitoris incluſi in infinitis ſanctitatibus creatis perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, ſi darentur. 2. Non modò reatum à Deo formaliter excludit, ſed etiam omnem potentiam contrahendi vllum. Quod enim ex eſſentia ſua habet identificatam ſibi formam alicui effectui formali repugnantem, nihil poteſt vel facere, vel recipere, vnde oriatur in ipſo talis effectus formalis repugnans: Deus habet ſibi identificatum illum nitorem, qui omnem reatum excludat: ergo nihil facere vel recipere poteſt, vnde contrahat talem reatum. 3. Dat Deo infinitam determinationem ad honeſtatem; ſic enim Deus vi ſuæ nudæ entitatis afficitur erga honeſtatem, vt cùm agit, non poſſit non agere honeſtè, atque adeo *ſanctus eſt in omnibus operibus ſuis*. Denique eſt Deo fons & origo virtutis & ſummæ in alios ſanctitatis derivandæ. Omnis enim ſanctitas, quæ eſt in creatura, aut eſſe poteſt, à Deo eſt vt cauſa efficiente: nec vlla eſt actio virtutis quæ ſtatum Dei deceat, quam non poſſit exercere: ergo Deus habet omnem excellentiam poſſibilem ſanctitatis ſine modo & menſura.

Probatur 2. Deus eſt ſanctus omni modo poſſibili, quo poteſt eſſe: ergo eſt ſanctus ſine modo & menſura, hoc eſt, infinitè; eſt enim ſan-

ctus radicaliter : quia ex natura divina quaſi ex radice tum lex æterna , tum amor infinitus veluti manare ac profluere à nobis concipiuntur. Objectivè & exemplariter , quia eſt ratio objectiva , menſura & regula totius ſanctitatis creatæ. Formaliter , quia cùm ſanctitas ſit formaliter puritas affectus , puritas autem affectus ſit amor Dei , vtpotè adhæſio ad id quod eſt puriſſimum ; & aliunde Deus ſit amor ſui & quidem infinitus , vtique eſt ſua formaliter ſanctitas, ſicut eſt ſui amor formaliter Eminenter & cauſaliter , quia eſt cauſa efficiens omnis ſanctitatis creatæ. Finaliter , quia omnis ſanctitas creata dirigitur in Deum tanquam in finem , cui per amorem inhæreat. Denique ſanctitatem tum intenſivam , tum extenſivam omnem poſſibilem continet , quia eſſentiam ſuam tantùm amat, quantùm amabilis eſt , & quàm perfectè illam concipit. Deinde extendit ſe illius amor ad omnia quæ cernit in eſſentia ſua , & extra ipſam , & quidem propter ſeipſum & ſuam gloriam amando : vnde illud conſequens eſt ſanctitatem Dei eſſe intenſivè & extenſivè infinitam.

Ex dictis ſex colliguntur. 1. Deus meritò dicitur *ſolus ſanctus*, apud Iſaiam cap. 6. & vnus bonus , Matth. 19. *Quid me interrogas de bono ? vnus eſt bonus Deus.* & 1. Reg. cap. 2. *Non eſt ſanctus vt eſt Dominus.* Cùm enim eſſentialiter & infinitè ſanctus ſit , creatura autem adjectivè tantùm ac finitè , nihil eſt quod ſanctum ſit vt ipſe ſanctus eſt. Et ſicut dicitur ſolus bonus , quia per eſſentiam & à ſeipſo bonus eſt ; ita ſolus ſanctus dici debet , quia per eſſentiam & à ſeipſo ſanctus eſt.

II. Dicitur magnificus in ſanctitate, Exodi 15. quia continet omnem poſſibilem ſanctitatem, quæ etiam ſplendidiùs effulget in ſingulis ejuſdem actionibus, quàm reliquæ perfectiones.

III. Dicitur ter ſanctus, 1. quia numerus ternarius eſt ſignum perfectionis. 2. quia triplicem ſanctitatem in ſummo continet, nempe perfectionem eſſentiæ, impeccabilitatem, venuſtatem & nitorem actionis. 3. quia ſanctus eſt ſanctitate originis; ſtatim enim ſanctus eſt, atque eſt: & quia eſt ab æterno, ſanctus eſt ab æterno; ſanctitate operationis, quia ſeipſum neceſſariò amat, & quidem quantùm amabilis eſt. 3. ſanctitate influente tum ad intra, tum ad extra; ad intra quidem, quia ſanctitas divina ſuo, vt ita dicam, balſamo omnia attributa, & perſonas vngit ac perfundit; ad extra autem, quia ſuam ſanctitatem naturis intelligentibus communicat. Sic beatiſſima Virgo ter ſancta dici poteſt, nempe ſanctitate originali, quia immunis fuit à labe originali ſtatim ab ortu; ſanctitate operationis, quia ab ipſo conceptûs ſui momento, per amorem in Deum tendere cœpit, & toto conatu incumbere; ſanctitate influxûs, quam parentibus juxtà & Eccleſiæ communicavit.

IV. Tanta eſt Deum inter & peccatum repugnantia, quanta maxima eſſe poteſt. Deus enim ſe toto peccato opponitur, hoc eſt, naturâ, attributis & perſonis. Naturâ, quia Deus eſt primum omnium entium, matrix eſſentiarum, plenitudo entis; per ſeipſum ſubſiſtit, quia caret principio; in ſeipſo ſubſiſtit, quia natura Dei eſt ipſius eſſe; propter ſeipſum ſubſiſtit, quia finem non habet. Peccati vero ſi cauſam efficientem

quæris,

quæris, eſt voluntas deficiens; ſi formalem, privatio juſtitiæ ſeu rectitudinis debitæ; ſi materialem, ſuperfluitas concupiſcentiæ; ſi finalem, privatio bonorum gratiæ & gloriæ. Age porrò, quid magis oppoſitum quàm plenitudo entis & non ens, &c. Attributis; Deus eſt miſericordia infinita, peccatum crudelitate pleniſſimum, quas ſtrages non edit in animo? omnia vaſtat, omnia tollit, omnia diripit: quid Deo pulcrius? quid peccato fœdius? Juſtiſſimus Deus, quia ipſa æquitas; injuſtiſſimus peccator, qui Deo dæmonem & cupiditatem ſuam præponat: hinc in Scripturis peccatum dicitur iniquitas & injuſtitia, &c. Perſonis; quid enim potentiæ Patris magis repugnat, quàm ipſum non eſſe peccati; Filii ſapientiæ, quàm tenebræ, quas mentibus noſtris offundit; Spiritus ſancti bonitati, quàm malitia: ergo Deus ſe toto opponitur peccato.

v. Et quoniam fundamentum odii eſt diſproportio, contrarietas ac repugnantia, nihilque eſt quod Deo magis contrarium ſit & repugnans, quàm peccatum; nihil eſt quod Deus acerbiùs oderit, quàm peccatum. Odit quippe odio neceſſario, infinito, æterno, efficaciſſimo; neceſſario, quia cùm rectitudinem legis æternæ ſuamque bonitatem neceſſariò Deus amet, neceſſariò quoque peccatum quod ipſi maximè adverſatur, oderit neceſſe eſt: infinito, quia amori reſpondet odium; Deus ſe amat amore infinito: igitur & peccatum mortiferum odio infinito proſequitur: æterno, vt enim Deus eſt ab æterno, & in æternum erit, & amor quo ſe amat, æternus eſt; ita odium, quo ardet in peccatum, æternum eſt: efficaciſſimo, id patet ex eo quòd ſanctiſſi-

mus quiſque ſemel peccato letifero infectus, omnibus omnino meritis excidat. 2. Ex odio, quod iis qui ad meliorem frugem ſe recipiunt contra peccatum, Deus ingenerat, & conſequenter in ſeipſos concipiunt. 3. Ex pœnis acerrimis, quas peccatoribus infligit, cujuſmodi eſt privatio poſſeſſionis ſummi boni, pœna æterna poſitiva damnatorum, morbi, bella, aliæque id genus calamitates, quas peccata in mundum invexere. At quo odio Deus peccatum odit?

VI. Odio abominationis: *Nam abominatio Domini eſt omnis arrogans.* Execrationis: *Omne execramentum erroris odit Dominus*, Eccleſ. 15. Deteſtationis: *Arrogantem & ſuperbum & viam pravam, & os bilingue deteſtor*, Proverb. 8. Hinc

VII. Meritò dicitur de Deo, quòd ad iniquitatem reſpicere non poſſit, quaſi eam approbando aut diſſimulando. Quomodo enim id quod eſt à dictamine ſuæ ſapientiæ prorſus alienum, approbaret? *Meritò quippe odit*, inquit Auguſtinus, *& velut à regula ſua alienum improbat vitium.* Palpamus nos ſæpe vitia, & eorum quos tenerrimè diligimus, peccata diſſimulamus; quin etiam interdum peccantibus adblandimur: non ſic Deus. *Mundi quippe ſunt oculi ejus, ne videat malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteſt.* Etiam in angelo, in quo reperit pravitatem, acerbiùs inſectatur, nec inultum ſinit abire. Addo & illud ampliùs, ſi per impoſſibile vna perſona Trinitatis in peccatum prolaberetur, nulla dignitatis illius infinitæ, meriti & majeſtatis ratione habita, vindicem Dei juſtitiam pœnas exacturam; tantum ineſt Deo in pecca-

torem odium. *Perdes omnes, qui operantur iniquitatem.* Pſalm. 5. & 27.

§. III. *De ſanctitate participata.*

I. Observatio. Non vna eſt ſancti acceptio. 1. Sanctum dicitur id omne quod eſt conſecratum & religioſo cultu ad Dei cultum applicatum. Ita ſumitur Luc. 2. *Omne adaperiens vulvam, ſanctum erit Domino.* 2. ſumitur pro eo quod ſeparatum, & ad aliquod ſpeciale officium deſtinatum; quo ſenſu David ſe ſanctum appellat Pſalm. 85. *Cuſtodi animam meam, quia electus ſum in regem populi tui.* 3. Idem ſonat ac ſpeciali charactere inſignitum: ſic ſancti dicuntur qui Baptiſmi & Confirmationis ſacramentum ſuſcepere. 4. Idem ſignificat ac purum à labe peccati; quo modo ſumitur ſanctitas Hebræor. 9. *Si ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram?* 5. Pro eo, qui caritatem habet firmiter & conſtanter ſibi inhærentem; & ita beati dicuntur Sancti, & vita beata appellatur ſancta. Porrò ſanctitas tot modis dicitur, quot ipſa vox ſancti.

II. Observatio. Sanctitas item alia legalis, alia phyſica, moralis alia. Legalis eſt conſecratio, ſeu mancipatio in divinum obſequium: phyſica eſt forma inhærens animæ, per quam natura intelligens creata fit deiformis: moralis eſt conformitas actus liberi cum lege. His adde modum agendi excellentem ſecun-

dùm virtutem, quo quis inter bonos eminet, & ſpeciali amore à Deo diligitur.

I. ASSERTIO. Quoties Deus agit ad extra vt ſanctus, toties ſe communicat in ordine ſupernaturali, & vt auctor eſt ſanctitatis ſupernaturalis. Probatur, quia ſanctitas propriè dicta eſt ordinis ſupernaturalis, ſequiturque ad virtutes ſupernaturales, nempe ad caritatem; hinc ſemper cum amore Dei & caritate connexa eſt. Hæc quippe ſanctitatis divinæ prærogativa planè ſingularis ſupra alia attributa, quæ Deus ſæpe communicat creaturis vt auctor naturæ, putà ſapientiam, omnipotentiam, &c. Hinc ſanctitatem ſolis amicis largitur, ſapientiam & potentiam etiam inimicis. Ipſis etiam dæmonibus ineſt quædam participatio divinæ intelligentiæ juxtà & potentiæ, nulla autem ſanctitatis portio.

II. ASSERTIO. Quæcunque naturæ intelligentes ſanctæ ſunt partipatione ſanctitatis divinæ, non ſunt formaliter ſanctæ per ſanctitatem divinam, tanquam per formam ſibi ipſis inhærentem, ſed per intrinſecam formam ſanctificantem à Deo, tanquam à cauſa efficiente productam. Patet, quia Deus non poteſt habere rationem formæ inhærentis & intrinſecè afficientis ſubjectum. Nam ratio partis enti infinitè perfecto non convenit; hinc cùm dicitur Chriſtus juſtitia noſtra, dicitur tantùm meritoriè, non qua ſimus formaliter juſti.

III. ASSERTIO. Sanctitas phyſica ſeu forma ſanctificans, formaliter eſt gratia ſanctificans in ipſa ſubſtantia animæ recepta, per quam homo elevatur ad eſſe divinum, fit Deo gratus, amabilis, juſtus, ſanctus, filius Dei adoptivus,

aptuſque, qui cùm Deo agat per viam intellectus & voluntatis, & cum quo Deus viciſſim agat per eaſdem vias intellectus & voluntatis; dignus deniqùe, qui amet, viciſſimque ametur à Deo.

Dixi 1. per gratiam ſanctificantem elevari hominem aut angelum ad eſſe divinum, quia ſicut non poſſunt exerceri operationes humanæ, niſi ſupponatur eſſe humanum à quo eliciantur: ita homo non poteſt operari divina, niſi conſtituatur in eſſe divino; conſtituitur autem per gratiam ſanctificantem in anima permanenter inhærentem. Cùm enim ſit participatio naturæ divinæ, non quidem particula illius, ejuſdem cum ipſo ſubſtantiæ, ſed qualitas ſupernaturalis à natura divina producta, habens proinde ſingularem cum illa ſimilitudinem quam tribuit animæ, dum ipſam informat, & ita dat ei eſſe divinum.

Dixi 2. hominem Deo fieri gratum, quia gratia tanquam qualitas perfecta denominat ſubjectum ſuum ſimpliciter quale, id eſt, gratum & gratioſum: amabilem, quia ſimilitudo amabilem reddit: juſtum, quia eſt forma juſtificans, ex Trid ſeſſ. 6. can. 9. qua formaliter conſtituitur juſtus, completè autem per virtutes theologicas & morales infuſas, ac dona; hæc enim omnia conſtituunt vnam completam formam juſtificationis; gratia quidem dando eſſe divinum, virtutes autem ordinando ac diſponendo potentias ad operationes divinas: ſanctum; quid enim magis ſanctum, quàm quod eſt divinum? filium Dei adoptivum, quia per gratiam Spiritus ſanctus in nobis inhabitát, ſimuſque conſortes divinæ naturæ: ergo per gratiam ſimus

filii Dei, non quidem naturales, vt Chriſtus, ſed adoptivi; filius autem adoptivus eſt extraneus, in filium heredemque Dei gratuitò aſſumptus; extraneus, id eſt, non generatione productus, ſed origine ſua carens titulo filiationis: in filium heredemque Dei gratuitò aſſumptus, nam *ſi filius & heres, per Deum*, Galat. 4. hinc qui eſt filius Dei adoptivus, eſt priùs naturâ, quàm ſit filius. Item priùs eſt extraneus, quàm ſit Dei filius, quod Chriſto vt homini non competit; multò minùs vt Verbo: aptus, qui cum Deo agat, &c. Ratio eſt, quia cùm gratia ponat hominem in eo ſtatu vitæ ſupernaturalis, in quo exigit concurſum Dei ad actus ſupernaturales ipſi debitos, vtique reddit aptum, vt agat cum Deo, viciſſimque Deus cum eo agat; Deum amet, viciſſimque ametur à Deo. Porrò licèt Deus creando hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, filium aliquatenus conſtituat, cùm hæc ſimilitudo imperfecta ſit, vtpote naturæ terminis definita, filiatio indidem orta imperfecta eſt. At cùm gratia ad perfectiorem divinæ naturæ participationem, itáque ad perfectiorem ſimilitudinem cum Deo nos evehat; quippe qui Dei amici fiamus, & digni qui cum eo agamus, & quibuſcum agat: haud dubiè longè perfectiori modo per gratiam Dei filii ſimus, quàm per naturam. Sed quoniam gratia ſanctificans ſeu gratum faciens, duplex eſt, altera actualis, habitualis altera, ſit

IV. ASSERTIO. Gratia ſanctificans actualis eſt donum divinum ſupernaturale internum, creaturæ intellectuali gratuitò datum ad reddendam illam efficienter ſanctam, Deóque gra-

tam, Dixi efficienter, quia gratia actualis reddit animam ſanctam; 1. diſponendo ad ſanctitatem, 2. conſervando ſanctitatem, 3. dirigendo ad opera ſanctitatis. Gratia verò habitualis ſanctificans eſt donum divinum, ſeu qualitas ſupernaturalis interna, creaturæ intellectuali gratuitò collata permanenter, reddens eam divinæ naturæ conſortem, formaliter ſanctam, Deo gratam & ad vitam æternam habilem. Dicitur ſupernaturalis, id eſt, ſuperans vires naturæ: interna, infuſa animæ, ipſique inhærens: creaturæ intellectuali, angelo nempe & animæ rationali: gratuitò, abſque debito & ex propriis meritis Chriſti: permanenter, quia eſt qualitas fixa & ſtabilis, in quo ab actuali gratia diſtinguitur: collata per infuſionem: reddens divinæ naturæ conſortem, juxta illud Petri 1. *Pretioſa promiſſa nobis donavit, vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Ut enim caritas eſt ſpecialis participatio divinæ voluntatis & amoris, ita gratia ſanctificans habitualis eſt ſpecialis participatio divinæ naturæ: formaliter reddens ſanctam & gratam, quia tanquam forma inhærens, animam reddit ab omni peccato mortali mundam & Deo gratioſam: ad vitam æternam habilem, quia gratiæ ſanctificanti tanquam principio radicali & connaturali debetur clara Dei viſio & amor beatificus: vnde dicitur pignus & ſemen gloriæ, ſeu gloria inchoata, Joan. 4. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Sed vt gratiæ habitualis natura magis innoteſcat, ſit

V. ASSERTIO. Gratiæ habitualis cauſa efficiens princeps eſt Deus; inſtrumentalis ſacramentum; meritoria, Chriſtus; finalis, gloria

Dei; formalis, nulla, cùm ſit forma ſimplex; materialis in qua, eſt animæ eſſentia, dum à Deo infunditur: materialis ex qua componitur aut naturaliter educatur, nulla, quia gratia ſuperat vires animæ: materialis ex qua obedientialis, eſt ipſa entitas naturalis animæ, vt formaliter dicit ſubjectionem ad Deum, à qua in fieri, eſſe & conſervari aliquatenus dependet. Effectus præter recenſitos ſunt 1. juſtificatio vel prima, vel ſecunda; illa eſt infuſio primæ gratiæ in ſubjectum eà carens per meram negationem, vel privationem: hæc eſt gratiæ jam infuſæ intenſio. Utraque mutatio cùm ſit, habet duos terminos; vnum à quo, quem homo deſerit; & alterum ad quem, quem acquirit. Terminus à quo, eſt vel juſtitiæ privatio, dum peccator ex injuſto fit juſtus: vel mera ejus ſimplex negatio, talis fuit juſtificatio Angeli & Adami: vel negatio juſtitiæ intenſioris, talis eſt juſtificatio ſecunda. Terminus ad quem eſt juſtificatio vel prima vel ſecunda. 2.° Homo juſtificatus fit nova creatura, ſeu novus homo, juxta illud Eph. 4. *Induamus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate.* Ubi homo dicitur creari ex D. Thoma 1. 2. q. 10. art. 1. ad 3. quatenus conſtituitur in novo eſſe ex nihilo, id eſt, ex nullis meritis; vt enim ſubjectum ſubſtantiale creatur, quod accipit eſſe ſubſtantiale ex nullo præſuppoſito naturæ: ita etiam de novo creatur, quando accipit novum eſſe gratiæ ex nullo merito præſuppoſito. 3.° Dignitas ad meritum; origo quippe meriti provenit ex gratia habituali & actuali: vt enim anima eſt radicale principium operationis vitalis mediantibus po-

tentiis, ita gratia habitualis eſt operationis meritoriæ principium radicale, caritate, aliiſque virtutibus mediantibus tanquam principiis immediatis. 4 Pulcritudo & decor animæ; candor quippe animæ ſanctificatæ excedit omnem pulcritudinem creatam. 5 Deificatio animæ, ſeu ſimilitudo animæ cum Deo: *Induentes novum hominem ſecundùm imaginem eius.* Sed de hoc effectu jam diximus.

VI. ASSERTIO. Eccleſia Catholica eſt ſancta qualibet ſanctitatis ſpecie, de qua 1. obſervatione. Nam 1. eſt ſancta, quatenus ſanctum idem ſonat ac conſecratum Deo ritu externo, 1. quia templa ipſa ritu ſolenni conſecrantur ab Epiſcopis, & Deo dicantur: 2. quia ipſa hominum ſocietas quæ templis continetur, conjungitur per ſigna ſenſibilia ſuæ fidei & religionis in Deum. 2. Sancta eſt, prout ſanctum idem ſignificat ac deſtinatum à Deo ad aliquod officium; eſt enim deſtinata à Deo, tam ad patranda miracula, tum ad pugnandum cum diabolo: vnde dicitur terribilis ſicut caſtrorum acies ordinata. 3. Sancta eſt, quatenus ſanctum idem eſt ac charactere inſignitum, quia habet characterem Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis. 4. Sancta eſt ſanctitate, quæ eſt immunitas à labe, quia ex intenſione Dei, non habet maculam aut rugam; eſt enim cœtus hominum vocatorum à Deo ad veram pietatem, quæ ſi perfecta ſit, omnem culpam excludit. Dixi, ex intentione Dei, quia per accidens eſt & præter intentionem Dei, quòd ex partium defectu non ſit ab omni culpa immunis. 5. Sancta eſt effectivè, tum quia tradit præcepta & conſilia veræ pietatis, *lex* quippe

Domini irreprehenſilis , *convertens animas* , nempe ab impietate ad pietatem , à vitiis ad virtutem , quod nulli alteri legi convenit : tum quia media & adjumenta ad præceptorum & conſiliorum impletionem maximè opportuna ſufficit: tum quia ſanctitas præſertim conſiſtit in puritate doctrinæ quoad mentem , in puritate intentionis quoad voluntatem , & in puritate operationis quoad ſpeciem externam : at Eccleſia confert ad puritatem doctrinæ in ſubditis prædicatione verbi divini & legibus ; ad puritatem intentionis per gratiam occultam Spiritus ſancti , à quo regitur & quaſi animatur ; ad puritatem operationis æternæ per diſciplinæ vigorem , ita vt omnem virtutem approbet , omne vitium damnet, nullum peccatum impunitum relinquat. Deniquè caput ipſius Chriſtus Sanctus Sanctorum eſt : vnde patet eos qui in Eccleſia Catholica continentur , teneri ad ſanctitatem , quia vocantur ad ſanctitatem ; & qui inter tot præſidia & adjumenta ſanctitatem negligunt , eſſe prorſus inexcuſabiles.

§. IV. *Conſectaria ex ſanctitate Dei & creaturæ.*

1. NON vnum diſcrimen eſt inter ſanctitatem Dei & ſanctitatem creaturæ. 1. Deus eſt ſanctus per eſſentiam , ſeu per ſeipſum , & quidem ſanctitate infinita , tum radicali , quæ eſt illa eſſendi ſublimitas , puritas eſſentiæ & majeſtas omni veneratione poſſibili digna ; tum formali , quæ eſt amor infinitus , quo ſe amat : creatura verò eſt ſancta per formam ſibi additam &

à Deo infuſam; hinc Deus ſanctus ſubſtantialiter, creatura per accidens, hoc eſt, per qualitates & actus à ſubſtantia diſtinctos. 2. Sanctitas Dei infinita, tum intenſivè, tum extenſivè, ac proinde nec creſcere, nec minui poteſt: ſanctitas creaturæ vtroque modo finita; quis enim Deum pro dignitate æſtimat & diligit? quis omnia & ſingula diſtinctè ad gloriam illius refert? Hinc vt minui vſque ad nihilum, ita creſcere ſine termino poteſt ſanctitas creata.

I I. Rectè Danielis 9. Deus dicitur Sanctus Sanctorum: 1. quia ſanctitas illius ſanctitatem omnium hominum & angelorum infinitè ſuperat: 2. quia puritas angelorum & hominum ab infinita Dei puritate vt rivulus à fonte derivatur.

I I I. Deus eſt menſura totius ſanctitatis creatæ. Cùm enim Deus ſit eſſentialiter & infinitè ſanctus, vtique eſt in ſummo apice ſanctitatis: at quod ſummum eſt in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum. Ad hanc itaque menſuram exigitur omnis ſanctitas creata, quæ quò propiùs ad divinam accedit, eo major cenſenda; hinc Chriſtus poſt Deum ſanctiſſimus, cujus ſanctitatatis adeo excellens exuberanſque copia fuit, vt major eſſe non poſſit. *Habitans* quippe *in ſolo Chriſto*, inquit Novatianus lib. de Trinit. cap. 29. *plenus & totus, nec in aliqua menſura aut portione mutilatus, ſed cum tota ſua redundantia cumulatè diſtributus & miſſus; vt ex illo delibationem quandam gratiarum cæteri conſequi poſſint, totius ſancti Spiritus in Chriſto fonte remanente, vt ex illo donorum atque operum vena ducerentur, Spiritu ſancto in Chriſto affluenter habitante.* Chriſto

ſuppar beata Virgo, quia inter puras creaturas nulla propiùs ad Deum acceſſit.

IV. Non tantùm menſura, ſed etiam idea & exemplar ſanctitatis creatæ, in quod intueri, qui ſanctitati ſtudent impenſiùs, ſua dicta factaque exigere debent vniverſa, juxta illud Levit. 1. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Ad hanc ſanctitatis eminentem ideam artem manumque direxere, quotquot viri fuere ſanctimoniæ laude inſignes, vt lineamenta illius ductuſque in mores ſuos pro varia indole traducerent. Amorem expreſſit Auguſtinus, Bruno contemplationem, Ignatius Loyola gloriam divini nominis, caritatem Franciſcus à Paula; hic manſuetudinem, miſericordiam ille, zelumque animarum dictis factiſque expreſſit. Qui ſe virtuti primùm dedunt, ſequuntur à longè: qui proficiunt, propiùs accedunt: qui paulò longiùs provecti, perfectiùs imitantur; ſed quantumcumque creſcant, infinito diſtant à Dei ſanctitate intervallo. Deus quippe ſol ſanctitatis, illi radii: ille mare vel potiùs oceanus, illi guttulæ: ille exemplar abſolutiſſimum, hi radis delineatio & levis adumbratio.

V. Sanctitas Dei non otioſa & deſes, ſed maximè actuoſa & ſemper operans, tum ad intra, tum ad extra. Ad intra, cognitio, qua generat Filium, ſanctiſſima; in ſplendoribus quippe ſanctorum gignit: dilectio, qua jugiter diligit ſe & ſpirat, ſancta; Spiritus ſanctus felix illius partus, qui Patris & Filii amor mutuus & vinculum. Ad extra, ex quo mundum condidit, operari non deſinit, & quæcunque operatur, ſancta, quia legi æternæ conſentiunt. *Iuſtus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*

Denique quidquid agit ad extra, vtique ex amore ſuæ gloriæ agit: in quo amore conſiſtit ſanctitas actualis.

VI. Solius eſt Dei vt cauſæ principalis, ſanctificare hominis animam, quia ejus ſolius eſt per modum cauſæ principalis ſanctificare, cujus eſt amorem divinum & caritatem animæ impertiri, ipſam intrinſecus immutare, & à rerum creatarum cupiditate ad amorem virtutis efficaciter movere, bonum denique ſummum & beatitudinem ipſam pro mercede proponere: Deus ſolus hæc omnia præſtare poteſt, quia ſolus caritatem animis noſtris infundit, rationem immediatè illuſtrat, in voluntatem illabitur, infuſis habitibus virtutum, aut immiſſis inſpiratiſque affectibus immutat, cùm lubet ac pro ſuo nutu flèctit, & beatitudinem pro mercede proponit. Hinc S. Paulinus in epiſt. 27. ad Aprum ait: *Opus enim Dei eſt mutare hominem, qui ſolus poteſt inſtaurare quem fecit. Quod toto jam orbe terrarum ſapientia Dei Chriſtus operatur: vbique ſe gentium verbo, voluntate circumferens, & per electas animas ſemet immittens, vt ſicut per Prophetam dixit, in omni genere primatum teneat.*

VII. Ut quidlibet ſanctiſſimum, ita maximè venerandum, & ſumma puritate colendum; hinc ſanctitas Dei infinita ſummam in nobis cùm animi, tum corporis puritatem exigit, quia ſummæ puritati nihil placere poteſt, niſi quod purum ſincerumque ſit. 2. Reverentiam tanquam cultum ſibi debitum; vbi enim ſanctitas eſt, ibi Deùs præſens adeſt. Deinde Deo quatenus ſanctus eſt, competit viſio ſui comprehenſiva, amor ſupra omnia, & quidem indeficiens, in

omni volitione & in mente infinitè perfecta conformitas cum lege æterna: quo quid ſublimius? 3. Attentionem in cultu exhibendo ſummæ Dei ſanctitati. *Terra in qua ſtas, terra ſancta eſt; ſolve calceamenta de pedibus tuis*, Exod. cap. 2. hinc Chriſtus ſumma veneratione dignus, quia in eo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat. Templa, quia Deo dicata, cum reverentia adiri debent; & quia anima noſtra templi ad inſtar habet, ſibique Deus in ea domicilium fixit, intrò ſubire debemus, vt eum ibi ſingulari cultu veneremur: perpurganda ab omni labe, & exuendi affectus impuri, ſi Deum in ea habitare & deliciari velimus; non enim in malevolam animam introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubjecto peccatis.

VII. Magna gratiæ ſanctificantis dignitas. Ut enim Deus non poteſt ſe in eſſe ſubſtantiali perfectiùs communicare creaturæ, quàm per vnionem hypoſtaticam; ita nec in eſſe accidentali, quàm per gratiam ſanctificantem: ſicut nulla operatio perfectior communicari poteſt creaturæ, quàm Dei viſio & amor beatificus; ita nec poteſt vlla qualitas habitualis eſſe, quæ perfectiùs participet eſſe divinum, quàm gratia ſanctificans. Deinde ipſius animæ vita ſupernaturalis ſaltem in actu primo. 3. Per eam fit ſpecialiter præſens Spiritus ſanctus, qui in juſtis tanquam in templis conſecratis habitat, fitque illis in Deum, in Patrem, in Dominum, in amicum & ſponſum, &c.

Articulus II.

De omnipotentia Dei.

NULLUM eſt Dei attributum quod ſe magis prodat, tum in ordine naturali, tum in ordine ſupernaturali, quàm omnipotentia Dei. Hæc quippe indoles eſt potentiæ cujuſlibet rei, vt ſe primùm exerat. Nam res quælibet eſt propter finem; finis autem illius perfectio, perfectio rei in actione potiſſimùm conſiſtit, & potentia ad agendum requiritur. Quare de Dei omnipotentia accuratiùs diſputandum, examinandumque 1. an ſit in Deo omnipotentia, 2. quid ſit, 3. quodnam illius objectum, 4. qualis ſit, & quis modus illius operandi.

§. I. *An Deus ſit omnipotens.*

I. ASSERTIO. DATUR in Deo potentia activa: Probatur tum à priori, tum à poſteriori; à priori quidem ſic: poſſe agere eſt perfectio quædam, quæ nihil imperfectionis habet admixtum: ergo Deo tribuenda. A poſteriori autem, nullum ens productum eſt in rerum natura, quod non ſit à Deo tanquam à primario principio, vt confecimus in Phyſica vniverſali: ergo datur in Deo potentia activa.

II. ASSERTIO. Datur omnipotentia in Deo, ſeu Deus eſt omnipotens: Probatur 1. auctoritate Scripturæ & ſanctorum Patrum. Scripturæ, Matth. 19. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Marci

14. *Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Lucæ 1. *Non eſt poſſibile apud Deum omne verbum.* SS. Patrum, Tertull. qui lib. 1. contra Marcionem, etiam idolorum cultores verum ac Moſaicum Deum noſſe inde probat, *quòd eum noverint, quem omnia poſſe teſtantur.* Auguſtini ſerm. 139. de tempore: *Non dico, Da mihi Chriſtianum, da mihi Iudæum, ſed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum ſervum, qui non dicat Deum omnipotentem. Negare Chriſtum poteſt, negare Deum omnipotentem non poteſt.*

Probatur 2. ratione ſanctorum Patrum: Ille eſt verè omnipotens, qui omnibus dominatur, & in omnia poteſtatem habet; omnia continet in ſe, conſervat & fovet vi ſua, & omnia poteſt: Deus omnibus dominatur, & in omnia poteſtatem habet; omnia continet in ſe, conſervat & fovet vi ſua, denique omnia poteſt: ergo eſt verè omnipotens. Majoris prima pars eſt Cyrilli Hieroſolymitani catecheſi 8. *παντοκράτωρ ille dicitur, qui omnibus dominatur, & in omnia poteſtatem habet.* Secunda Gregorii Nyſſeni lib. 1. contra Eunom. *Omnipotentis vocabulum ſi quis accuratiùs expendat, invenietur nihil aliud ſignificare in divina virtute, quàm habitudinem quamdam ad aliud efficientiæ illius, quâ res creatæ continentur.* Tertia Auguſtini lib. 4. de Trin. cap. 7. *Quis eſt autem omnipotens, niſi qui omnia poteſt?* Ubi per vocem, *omnia*, non ea tantùm quæ actu extant, ſed omnia abſolutè quæ non repugnat fieri, intelligit. Finge itaque Deum pictoris inſtar, qui vnam formam non mente tantùm informet, & affabrè pingat, ſed quamlibet animo complecti poſſit & pingere: architectum, qui non vnius tantùm palatii

ideam animo concipiat, & manu pari facilitate exequatur, ſed innumeras alias etiam concipere poſſit, & proferre ex ſeſe; divinæ omnipotentiæ imaginem adumbraſti.

Accedit ratio Richardi Victorini lib. 1. de Trinit. cap. 21. quam ſic informo: Deo nihil majus cogitari poteſt: niſi Deus eſſet omnipotens, majus aliquid Deo cogitari poſſet: ergo Deus eſt omnipotens. *Alioqui*, ait, niſi Deus eſſet omnipotens, *majus aliquid Deo jam poſſet cogitari:* majus namque eſt *omnipotentiam habere, quàm qualemcumque potentiam, cui aliquid deſit de omnipotentiâ plenitudine.*

Denique probatur tum ex parte termini, tum ex parte modi actionis, quo Deus operatur. Ille eſt omnipotens, qui omnia ex nihilo, & quidem facillimè, ſine vllo inſtrumento operatur: Deus omnia ex nihilo, facillimè & ſine vllo inſtrumento operatur; ex nihilo quidem, ipſe enim mandavit, & creata ſunt; en productionem rerum ex nihilo: facillimè, quid facilius quàm verbo efficere omnia? ſine inſtrumento, quia potentia Dei cùm ſit idem cum ipſius ſubſtantia, attingit immediatè omnia opera immediatione ſuppoſiti. Major itaque probatur, quia nihilum infinitè diſtat ab ente ex parte ſui: ergo opus eſt potentia maxima, quæ illam diſtantiam infinitam ſuperet, & res ex puro nihilo extrahat ſolo imperiali verbo. Da mihi architectum, qui domos poſſit extruere ſine materia, aut materiam vel verbo nutuque ſuo valeat primitus excitare; vtique potentiæ illius nullus erit terminus. Hoc argumentum SS. Patres ex creatione petitum ſæpius vrgent. Fulgentius lib. 30. de fide ad Petr.

In eo enim ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam viſibilem atque inviſibilem, id eſt, corporalem atque ſpiritualem de nihilo fecit. Tertull. lib. 2. contra Marc. cap. 5. *Opera creatoris vtcunque teſtantur & bonitatem ejus, qua bona, & potentiam, qua tanta, & quidem ex nihilo.* Hinc potentiæ divinæ infinitatem ex modo creandi collegimus in Phyſica vniverſali. Utrumque, hoc eſt, productionem rerum ex nihilo, & facilitatem citra materiæ concurſum, rectè expreſſit Euſebius Emiſſenus Hom. 1. de Symb. *Meritò itaque omnipotens creditur, qui cùm ſolem de luce, ſplendorem de ſplendore protulerit, ſic ea omnia ex nihilo in præcipiti celeritate perfecit. Cuncta enim, quæ antè non erant, tanquam ſubitò aliunde producta, ante nutum ejus velociter aſtiterunt, nulla apparente materia. Origo fuit rerum efficax Creatoris imperium.* Denique talis eſt potentia, qualis eſt eſſentia: eſſentia Dei eſt actu quidquid eſſe poteſt, adeóque omnem τοῦ ὄντος & eſſentiæ amplitudinem exhaurit: ergo Deus eſt omnipotens, immo & ſolus omnipotens, quia ſolus continet omnem rationem entis.

§. II. *Quid ſit omnipotentia Dei & quotuplex.*

TRIPLEX celebrior ſententia de natura omnipotentiæ divinæ. Prima Fonſecæ, qui 5. Metaph. cap. 15. quæſt. 8. ſect. 4. docet potentiam exequentem non diſtingui ab intellectu & voluntate divina. Secunda pugnat omnipotentiam Dei eſſe ipſammet Dei eſſentiam, quate-

nus per intellectum dirigitur, & per voluntatem ad operandum applicatur. Tertia diſtinguit potentiam exequentem, tum à natura divina, tum à voluntate & ſcientia practica ſeu ideis divinis. Ut quæſtioni fiat ſatis, ſit,

I. Assertio. Deus non immediatè per naturam ſuam & independenter ab ideis & decretis ſuæ voluntatis producit creaturas.

Probatur 1. Si Deus ageret ad extra per naturam, non per intellectum & voluntatem, illius operationes ad extra deberent dirigi à ſuperiori agente in finem ſuum: quia omne agens agit propter finem cognitum & volitum à ſe, vel ab alio ſuperiori agente, ſicut ſagitta dirigitur à ſagittario ad ſcopum: abſurdum eſt, immò & impoſſibile Deum dirigi ab alio agente in finem ſuum: ergo, &c. 2. Deus ageret neceſſariò ad extra, adeòque ageret quantum poſſet, produceretque omnia, ſicut ſol producit quantum poteſt, quia ejus effectis nec ratio, nec voluntas menſuram modumque præſcribunt: Deus non producit ad extra quantùm poteſt: ergo, &c. Hoc argumentum eſt Juſtini in quæſt. 3. Chryſtian. ad Gentiles, prope medium. *Si Deus*, inquit, *facit, quia eſt, coactè facit, quæ fecit; ſi autem facit, quia vult, ſponte facit quantum vult, & quale vult, & quando vult.*

II. Assertio. Intellectus Dei practicus ſeu ſapientia eſt cauſa rerum.

Probatur 1. Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Sapient. cap. 8. *Sapientia attingit à fine vſque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter.* Probatur ratione: Deus dum agit ad extra, agit vt artifex: ergo ex idea, quæ eſt cognitio practica rei fa-

ciendæ. Modus quippe operandi per intellectum exigit, vt artifex non tantùm quid, quomodo & quando fieri poſſit, ſed etiam quid faciendum, vel non faciendum, & quomodo & quando faciendum, ſciat,

Hinc patet, cur Filius ſeu Verbum, dicatur à Patribus Verbum efficax & virtus creaturæ totius effectrix; per Filium Pater dicatur ab Origene omnipotens, & potentatum gerere per Verbum; denique cur dicatur Filius *brachium*, *dextera*, *manus Patris & δύναμις ἐνεργητική*. Verbum enim eſt ſcientia practica, & ars Patris æterni; nec quidquam agit ad extra Pater, quin Filium intendat vt ideam, & exprimat in opere. *Chriſtus*, inquit Baſilius lib. 5. contra Eunom. *eſt Dei virtus & ſapientia, quæ & manus creatrix tropicè nuncupatur.* Methodius Filium *omnipotentem & validam manum* Patris vocat, non quòd Verbum miniſtri inſtar aſſumat Pater, vt ſomniabant Ariani, ſed quòd ſit ipſa ſapientia & virtus genitoris, quæ communi vtrique & eadem poteſtate operetur ad extra; Deus enim per Verbum, vt eſt idea creaturarum practica & ars Patris, ſuam exerit ſcientiam. Item Verbum dicitur Patris imperium, quo Pater vniverſa molitur; imperium enim eſt actio mentis & intelligentiæ.

III. Assertio. Voluntas Dei eſt etiam cauſa rerum. Probatur 1. Sap. 12. *Subeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.* 2. Ex Tertull. contra Prax. cap. 10. Hac ratione erit aliquid difficile Deo, id ſcilicet quodcunque non fecerit, non quia non potuerit, ſed quia noluerit; Dei enim poſſe velle eſt, & non poſſe, nolle. Ex D. Athanaſio orat. 3. contra Arian. Patris voluntas efficax eſt &

architectatrix , eaque per ſe ſufficit ad res procreandas. Ex S. Cyrillo lib. 3. contra Julianum : *Verumtamen tanquam ſola voluntate perfector videtur operum , & compingit quod Verbum approbat.* Ex S. Clemente Alexandrino in Protreptico : *Sola Deus voluntate molitur , & ſolum ejus velle factum eſſe conſequitur.* Ex quibus locis nonnulli Theologi docent potentiam exequentem in Deo non diſtingui à divina voluntate & intellectu. Certè ex Patre Molina 1. part. quæſt. 25. art. 1. diſp. 2. potentia Dei exequens, eſt divina voluntas, ſpectata per modum actus ſecundi immanentis.

Patet ex hac aſſertione , cur Spiritus ſanctus dicatur à Patribus δύναμις ἐνεργητικὴ Patris , ἐνέργεια Patris & Filii, *virtus ſanctificatrix , digitus Dei, ſpiraculum omnipotentis , effector rerum omnium, auctor donorum cæleſtium.* Nam Spiritus ſanctus procedit per voluntatem , quæ eſt rerum omnium effectrix. Dicitur ὁρμὴ, *impulſio* , quia voluntatis eſt movere & impellere ad agendum : vnde Joannes Baptiſta dicitur in ſpiritu & virtute Eliæ venturus ante Chriſtum.

IV. Assertio. Potentia Dei exequens licèt dicat intellectum vt dirigentem , voluntatem vt applicantem ; tamen ab vtraque potentia probabiliùs vt exequens , virtualiter diſtinguitur.

Probatur 1. ex Sap. 12. *Subeſt enim tibi, cùm volueris , poſſe.* Ex quo loco ſic arguo : id quod ſubjicitur volitioni , ratione ſaltem ratiocinata ab illa diſtinguitur : poſſe Dei ſubjicitur volitioni in Deo : ergo diſtinguitur ab illa. Scripturæ conſentit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacr part. 2. cap. 6. *Voluntas movet , ſcientia diſponit , poteſtas operatur.* Conſentit & Nyſſenus initio He-

xameri: *Illud nobis poſitum conſtitutumque ſit, in natura divina cum voluntate ita concurrere poteſtatem, vt Dei poteſtatis menſura ſit ipſa voluntas.* Ratio eſt, quia Deus quatenus omnipotens eſt, eſt principium tranſeunter operativum: eſt autem tranſeunter operativum, quatenus eminenter continet quæ ad extra producenda ſunt; continet autem eminenter quæ producenda ſunt ad extra, non ratione intellectus & voluntatis, formaliter & præcisè, ſed ob vim ſuam infinitam. Nec valet hæc propoſitio in ſenſu formali: ideo poteſt Deus omnia facere, quia ſcit omnia, vel poteſt velle omnia; ſed quia habet vim infinitam; & quia ſubeſt illi, cùm voluerit, poſſe. Præit tamen potentiæ exequenti ſcientia rerum faciendarum, qua dirigitur, & voluntas vt applicans per imperium potentiam exequentem.

Objicies: ſi ad opus faciendum Dei ſcientia & volitio concurrunt, vel concurrunt immediatè ambæ, vel vna immediatè, & altera mediatè, vel ambæ mediatè.

Reſp. vtramque concurrere immediatè; ſcientiam quidem, vt habet rationem artis in ratione dirigentis, voluntatem verò in ratione applicantis. Quanquam dixerim potiùs, cùm actus imperii ſit actus intellectus practici præſupponens voluntatis actum, ſcientiam practicam effectum propiùs attingere, quia eſt veluti ſigillum imprimens impetum; voluntas verò mediatè, quia eſt veluti manus movens & imprimens impetum ſigillo. Quid plura? Scientia de poſſibilitate & convenientia rei faciendæ præit in priori rationis volitioni, qua Deus dicitur velle quidpiam fieri; volitio-

nem autem ſubſequitur in poſteriori rationis imperium intellectus practici, quo Deus denuntiat potentiæ exequenti aliquid faciendum. Porrò ſcientia quæ prælucet voluntati divinæ, eamque inducit vt efficere quidpiam velit, habet rationem prudentiæ, ex Suare Granat. & remotè concurrit; vt autem movet potentiam exequentem immediatè, habet rationem artis: ſic ars ad pingendum non concurrit movendo immediatè voluntatem pictoris, ſed manum. Ita ille. Sed vt clariùs pateat ex objecto, quid ſit omnipotentia, ſit

§. III. *De objecto omnipotentiæ divinæ.*

I. OBSERVATIO. POSSIBILE duplex. Aliud poſſibile poſitivè ſeu poſſibilitate extrinſeca, ſeu propinqua: aliud negativè ſeu poſſibilitate intrinſeca & quaſi remota. Poſſibile poſitivè eſt id omne quod continetur in omnipotentia Dei. Dicitur poſſibile poſſibilitate extrinſeca, quia non concipitur à nobis, vt quid rebus ipſis intrinſecum, ſed vt denominatio extrinſeca petita à potentia divina. Dicitur poſſibilitas propinqua à Leſſio, quia poſitâ potentiâ, res poteſt ſtatim fieri, nec quidquam ad illius productionem requiritur, quàm voluntas producentis. Poſſibile negativè eſt id quod ſecundùm ſe concipitur ab intellectu, res vt ſunt, perfectè concipiente, vt non repugnans ad exiſtendum. Dicitur poſſibile intrinſecè, quia convenit rei ſecundùm ſe, quatenus rem conſideranti atten-

tiùs ſecundùm prædicata intrinſeca, nullam repugnantiam videtur includere; hinc poſſibilitas intrinſeca eſt aptitudo rei vt exiſtat, ſeu non repugnantia ad exiſtendum. Dicitur poſſibilitas remota, quia ab ipſa res dicitur poſſibilis, licèt non conſideretur vlla potentia, à qua proximè produci poſſit. Sicut color eſt in ſe viſibilis, licèt nullus actu exiſtat oculus, qui ipſum videre poſſit.

II. Observatio. Illud dicitur non repugnans ſecundùm ſe ad exiſtendum, quod nullam ſecundùm ſe contradictionem implicat. Porrò implicare contradictionem, eſt includere duo contradictoria vel immediatè, vel mediatè. Contra verò repugnans ſecundùm ſe eſt id quod contradictionem implicat; hinc poſſibile negativè eſt non repugnans ad exiſtendum; impoſſibile negativè, quod ſecundùm ſe repugnat exiſtere. Repugnat autem ſecundùm ſe exiſtere, quodcumque contradictionem implicat.

III. Observatio. Rurſus poſſibile aliud abſolutum, quod ex natura ſua tale eſt, vt ſecundùm ſe fieri poſſit, cui opponitur impoſſibile abſolutum, quod natura ſua tale eſt, vt fieri non poſſit: aliud reſpectivum, quod fieri poteſt ab hac vel illa potentia, reſpectu cujus dicitur poſſibile, cui opponitur impoſſibile reſpectivum, quod ab hac vel illa potentia fieri non po- reſpectu cujus dicitur impoſſibile.

Unica Assertio. Omnipotentia Dei habet pro objecto ſuo omne poſſibile negativè, hoc eſt, id omne quod nullam contradictionem involvit. Ita Suares Granat. in Metaphyſ.

Probatur

Probatur: quia omne poſſibile negativè complectitur objectum omnipotentiæ divinæ adæquatum, nec opus eſt petere principium, vt explicetur objectum omnipotentiæ divinæ: quia poſſibile ſecundùm ſe non explicatur per ordinem ad omnipotentiam divinam, ſed potiùs vis & capacitas omnipotentiæ divinæ per ordinem ad omne poſſibile, quod hoc ipſo quòd non eſt repugnans rationi entis, non excluditur à ratione entis, ex vi ſuæ intrinſecæ rationis; adeóque ex ſe eſt poſſibile. Si autem eſt impoſſibile, vtique ex defectu extrinſecæ potentiæ eſt impoſſibile, quod eſt contra infinitatem omnipotentiæ divinæ. Contrà verò ſi omne poſſibile ſumeretur per ordinem ad omnipotentiam divinam, idem probaretur per idem: quia poſſibile per ordinem ad omnipotentiam, eſt poſſibile activè, non paſſivè: ergo dicere omnipotentiam habere pro objecto omne poſſibile, eſt dicere omnipotentiam habere pro objecto omnipotentiam, quod eſt committere circulum, & eòdem revolvi. Hinc

Omnipotentia Dei definitur, omnium poſſibilium potentia productrix; hinc non dicitur omnipotentia, quòd ſit omnis potentia. Nec enim eſt objectiva, ſubjectiva & paſſiva potentia, ſed quòd ſit omnium poſſibilium, id eſt, eorum, quæ naturâ ſuâ talia ſunt, vt fieri poſſint, potentia. Ut enim ſcientia non eſt niſi ſcibilium, ita potentia non eſt niſi poſſibilium.

Præterea circa τὸ omne poſſibile tria obſervabis. Primum, per τὸ *omne*, non ſolùm deſignari quæ ſunt in rerum natura, aut ea quæ fient in poſterum, aut jam facta ſunt; ſed omnia

abſolutè quæ non repugnat exiſtere: quare quæcumque divina ſapientia concipere poteſt vt operabilia, poteſt omnipotentia exequi; ſapientia quippe divina & ars practica Dei eſt regula & quaſi menſura divinæ omnipotentiæ, cujus vis tam latè patet, quàm ſcientia Dei practica, juxta illud Lucæ 2. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, id eſt, nulla res, quæ mente concipi poſſit vt factibilis & non repugnans. Alterum, omne poſſibile non ſumitur in ſenſu collectivo, ſed tantùm diſtributivo, ita vt idem ſonet ac quodlibet poſſibile: quia collectio poſſibilium eſt quid fictitium, vt oſtendi tom. 2. Phyſic. vniverſ. diſp. de infinito. Patetque ex verbis Lucæ mox citatis, vbi τὸ *verbum* ſignificat id quod mente concipi poteſt vt operabile & non repugnans. Tertium, extra omnipotentiam divinam eſt, quidquid habet repugnantiam ad exiſtendum, ſeu involvit contradictionem. Putà quòd homo ſit equus, quia maximè opponitur enti; omnium enim oppoſitionum prima & maxima eſt contradictoria, quæ ideo in aliis ſpeciebus oppoſitionum includitur, vt obſervavi in Logica. Hinc

1. Cùm Syneſius ait, Deo omnia poſſibilia ſunt, etiam impoſſibilia, epiſt. 11. & D. Auguſtinus ſerm. 147. de Tempore, Deus qui poteſt & quod impoſſibile eſt; impoſſibile in iis locis non ſumitur abſolutè pro eo quod involvit contradictionem, ſed tantùm reſpectivè ad vires naturales hominum & angelorum.

2. Multa ſolvuntur argumenta, quibus plura Deo negantur eſſe poſſibilia, putà quòd Deus non poſſit mentiri, mori, vel facere vt præterita

non ſint præterita, vel ſuſcitare virginem poſt ruinam. *Audenter loquar*, inquit Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. *ſuſcitare non poteſt virginem poſt ruinam.* Nam ſi Deus poſſet peccare, mentiri, mori, aut pati quidpiam, eſſet prima veritas, prima regula honeſtatis, æternus, immortalis, ens perfectiſſimum, ſeu actus puriſſimus; & aliunde non eſſet prima veritas, quia mendax; nec prima regula honeſtatis, quia ab ea deficere; nec immortalis, quia mori; nec actus puriſſimus, quia recipere & pati poſſet. Deinde ex hypotheſi quòd res præterita ſit, non poteſt non eſſe præterita. Ut enim Deus facere non poteſt, vt rēs dum eſt, non ſit; ita nec præſtare poteſt, vt res ſemel præterita, non ſit præterita, ſecus eſſet præterita, & non eſſet. Meritò itaque pronuntiat D. Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum Manichæum cap. 5. *Quiſquis dicit: Si omnipotens eſt Deus, faciat vt quæ facta ſunt, facta non fuerint; non videt hoc ſe dicere: Si omnipotens eſt, faciat vt ea quæ vera ſunt, eo ipſo quò vera ſunt, falſa ſint.* Deinde poſſe peccare, mentiri, mori aut pati, impotentia quædam eſt & infirmitas juxta D. Ambroſium. *Impoſſibile eſt ei*, Deo nempe, *mentiri. Impoſſibile iſtud non infirmitatis eſt, ſed virtutis & majeſtatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.* Juxta D. Auguſtinum lib. 5. de Civit. cap. 10. *Omnipotens eſt Deus, faciendo quidquid vult, non patiendo quod non vult.* Juxta Petrum Damianum opuſc. 36. de omnip. Dei cap. 10. *Quod malum eſt, potiùs nihil debet dici, quàm aliquid; atque adeo nihil præjudicat, ſi dicamus Deum omnia poſſe, licèt mala*

non poſſit, cùm mala non intra omnia, ſed potiùs extra omnia debeant ſupputari. Sed omnium optimè Hugo Victor. de Sacram. fid part. 1. cap. 22. *Summè potens eſt, qui poteſt omne quod poſsibile eſt: nec ideo minùs poteſt, quia impoſsibilia non poteſt: quia impoſsibilia poſſe, non eſſet poſſe; itaque omnia poteſt Deus, quæ poſſe potentia eſt; & ideo verè omnipotens eſt, quia impotens eſſe non poteſt.* Hinc Plinii ſecundi error non tolerandus, qui negat Deum eſſe omnipotentem, quòd nequeat ſibi ipſi mortem conciſcere, vt loquitur lib. 2. hiſt. natural. cap. 7. cùm enim Deus ſit ipſa vita, per quam vivunt omnia, & mors ipſi vitæ opponatur, impoſſibile eſt Deum ſibi mortem afferre.

Potentia Dei quamvis realiter vnica ſit & ſimpliciſſima, tamen poteſt dividi in varios conceptus inadæquatos per rationem, & quidem cum fundamento in re. Cùm enim habeat pro objecto omne ens participabile vt ſic, prout hîc & nunc ſe exerit ad extra, vel producendo ex nihilo ſubjecti, vel ex præjacente materia, juxta vires naturæ, aut ſupra vires naturæ; varias rationes objectivas habet, juxta quas

Dividitur 1. in creativam & generativam ſeu effectivam ad extra. Creatrix potentia eſt, quæ ex nihilo tum ſui, tum ſubjecti rem producit: generativa ad extra, quæ ex præjacente materia formam educit. 2. In naturalem & ſupernaturalem; illa agit ad exigentiam naturæ, hæc ſupra vires naturæ. 3. In abſolutam & ordinariam. Ordinaria eſt vis agendi operans ſecundùm communem rerum ordinem à voluntate divina conſtitutum: abſoluta eſt vis agendi divina, in ſe

conſiderata, & ſoluta ab ordine præſcripto à voluntate divina, ſeu à generali decreto eam ad aliquid determinante. Porrò rarò in actum exit: talis fuit illa potentia, quæ ſolem ad vocem Joſue ſtitit, & in medio curſu remorata eſt, nec Deus etiam facit omnia quæ poteſt potentiâ ordinariâ, vt obſervat Theodoretus ſerm. 4. contra Gentiles. *Voluit autem*, inquit, *non quanta poterat, ſed quanta ſufficere judicavit. Nam ipſi facilè quidem erat decem, aut viginti millia creare mundorum, quandoquidem velle effectionum omnium faciliimum eſt. Siquidem etiam nobis omnium eſt velle facillimum, ſed voluntatem noſtram vis & facultas non ſequitur. At vniverſorum Deo poſsibilia ſunt quæcumque vult, quippe cum voluntate conjuncta eſt poteſtas. Nihilominus non potentia menſus eſt creaturam, ſed quæcumque voluit fecit.* Rurſus effectiva dividitur in activam per modum cauſæ particularis, & per modum cauſæ vniverſalis, &c.

Omnipotentiæ divinæ reſpondet potentia obedientialis, quàm alii aliter definiunt. Alii enim aiunt eſſe nudam non reſiſtentiam creaturæ, à quibus definitur, non repugnantia creaturæ quæ poteſt elevari à Deo ad quidlibet agendum, vel recipiendum. Alii volunt eſſe ipſammet creaturæ naturam, quatenus ſubeſt obeditque Deo in omnibus, à quibus deſcribitur, creaturæ entitas, dicens formaliter ſubjectionem ad Deum, vt illi poſſit & debeat parere in omnibus. Alii pugnant eſſe qualitatem phyſicam entitati creaturæ ſuperadditam, & ita definiunt facultatem divinitus creaturæ inditam ad agendum, vel patiendum ſupra vires naturæ ordinarias. A-

lii contendunt eſſe motum à Deo creaturis tanquam inſtrumentis vtente, impreſſum: quo mediante concurrunt phyſicè ad productionem, vel receptionem effectuum ſupernaturalium, à quibus definitur, motio à Deo impreſſa creaturæ, vt illi cooperari poſſit ad omnem actionem & paſſionem, quæ non implicat contradictionem. Nos naturam hujus potentiæ explicuimus tom. 1. Phyſ. vniverſ. part. 2. appendice ad diſput. 8. locum conſule.

§. IV. *Affectiones divinæ omnipotentiæ.*

NON vna eſt divinæ omnipotentiæ affectio; quæ majoris momenti ſunt, paucis explico.

Prima ſit. Omnipotentia Dei eſt ſimpliciter infinita, tum intenſivè, tum extenſivè. Probatur 1. à priori. Talis eſt potentia, qualis eſt eſſentia, à qua fluere & manare concipitur, hoc pronuntiatum eſt D. Thomæ 1. part. quæſt. 42. art. 6. Potentia agendi, inquit, conſequitur perfectionem naturæ. Ut enim actio potentiæ, ita potentia naturæ reſpondet. Patetque inductione per omnia entia, quibus ineſt vis agendi: ignis natura præſtat naturæ aliorum elementorum, ideo cæteris actuoſior: natura intelligens creata corporatis anteſtat, ideo ipſis dominatur, &c. Atqui eſſentia Dei eſt infinita ſimpliciter in genere entis: ergo & potentia Dei eſt ſimpliciter infinita in ratione potentiæ.

Probatur 2. à poſteriori. Illa potentia eſt ſimpliciter infinita, quæ poteſt plures & plures in infinitum effectus, ſeſe in eſſentiali perfectione

ſuperantes producere, vt cauſa principalis per creationem: talis eſt potentia divina: ergo eſt infinita ſimpliciter. Confirmatur: Deo non deeſt exemplar quod imitetur, nec bonitas qua inpellatur ad agendum, nec ſapientia qua dirigatur, nec virtus quæ exequatur: exemplar quippe in quod Deus intuetur, infinitum; bonitas à qua movetur ad agendum; infinita: ſapientia à qua dirigitur, infinita: quid non ergo exequatur?

Jam quòd ſit infinita intenſivè & extenſivè, probatu perfacile. Intenſivè duobus modis; 1. Intrinſecè, ratione eſſentiæ, quæ infinita; 2. ratione actionis productivæ, quâ poteſt perfectiùs res producere. Extenſivè, ratione objecti; poteſt enim efficere quodlibet poſſibile. Tam latè patet omnipotentia in agendo, quàm ſapientia divina in dirigendo: quidquid cogitare illa poteſt, poteſt hæc nullo negotio exequi; hinc Deus non minùs ea tenet & poſſidet, quæ nondum exiſtunt, quàm quæ jam procreata ſunt. Latent enim in theſauris ſapientiæ divinæ ac omnipotentiæ, poſſuntque ad nutum divinum foras proſilire. Porrò vtramque infinitatem bene explicat Chryſoſtomus in illud Pſalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Deus, fecit, & in terra, & in mari, & in omnibus abyſsis. Vidiſti*, inquit, *potentiam, cui nihil deeſt, vidiſti fontem vitæ, vidiſti vires inexpugnabiles, vidiſti excellentiam omnino incomparabilem, vidiſti poteſtatem, quæ nullo modo prohibetur, vidiſti omnia ei expedita & facilia? Dic vbinam? in cælo & in terra; non hîc ſolùm, ſed etiam in cælo; non in cælo ſolùm, ſed etiam in terra, ſed etiam in mari & in omnibus abyſsis.* Patet ex hac affectione divinæ omnipotentiæ, quam rectè dixerit Ter-

tullianus lib. 4. contra Marc. cap. 26. *Minimum virtutis Dei validiſsimum eſſe.*

Secunda: ſumma in agendo independentia. Vim quippe agendi à ſe ipſa habet: modum faciendi nemo oſtendit, aut ideam exhibet: nemo ſuadet vt operetur, aut finem proponit: nemo juvat aut cooperatur, ſed omnia à ſeipſo habet & per ſe præſtat; ipſe à ſe omnem artem & ſapientiam, ideamque operis, conſilium & inclinationem ad operis molitionem habet, ipſemet finis totius operis. Non ſubſternitur illi materia, è cujus ſinu formas educat, non inſtrumentis opus eſt illi ad agendum: ipſo vocante & jubente, quidquid eſt in rerum natura, cœpit eſſe, cùm non eſſet, non temporis longiore mora eget, momento mundum condidit, ex mente Auguſtini, aut certè condere potuit; hinc pronuntiatum: *Numinis divini potentia nec eſt de nihilo, nec eſt ſub aliquo.* Ab ea tam dependent ſingula in ſui productione & conſervatione. Ex Auguſtino lib. 4. de Geneſ. ad lit. cap. 12. *Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt, regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret.*

Tertia: libertas in agendo maxima, quoties agit ad extra: quia agit ex decreto libero. Deinde ſi Deus eſſet agens neceſſarium, nihil poſſet agere ad extra; agendo enim totum id quod poſſet, ſimul oppoſita produceret, ſui invicem deſtructiva; hinc patet blaſphemia Calvini, dum pronuntiat lib 3. Inſtit. cap. 3. §. 2. & lib. 2. c. 7. §. 5. *abſolutam in Deo potentiam ponere, non aliud eſſe quàm profanum commentum & execrandam blaſphe-*

miam. Cùm enim Dei potentia ex plena libertate agat, non ita ab eo ſingula quæ fiunt, aut jam facta ſunt, procedunt, vt aliter fieri non potuerint, aut alia etiam efficere non poſſit.
Quarta: ſumma in agendo facilitas. *Nec verbum*, inquit Bernardus, *diſtat ab intentione, nec factum à verbo, nec modus à facto.* Non eget artificioſa molitione, aut alieno miniſterio, vt mortalium Principes, qui infirmi per ſe cùm ſint, operarum decurias & numeroſas manus adhibent. Illud divinitati maximè conſentaneum, vt formas rerum omnium citra difficultatem ſimplicique motu abſolvat, inquit auctor libri de mundo ad Alexandrum cap. 7. placitum Dei neceſſitas ſequitur; voluntatem comitatur effectus. Huic ſol aliquando ſtetit, ſine gelu duratæ ſunt aquæ, virtutis ſuæ oblitus eſt ignis, flumina ſubſiderunt. *Quid ei difficile, cujus voluntas, etiam ſilens artifex eſt*, inquit Cyrillus? Meritò itaque Auguſtinus in has voces erumpit ſerm. 72. de Temp. cap. 6. *Quid difficile facit, qui verbo facit? Qua facilitate creat angelos vltra cælos, ea facilitate luminaria in cælis, ea facilitate piſces in mari, ea facilitate arbores & animalia in terra, ea facilitate magna, quâ parva.*
Quinta: à potentia divina omnis potentia quæ in creaturis elucet, derivatur, ipſique ſubeſt: Ut ſic tàmen & quatenus infinita, nulli creaturæ communicabilis, quia nihil infinitum & illimitatum creaturæ communicari poteſt. Deinde vt aliqua creatura ſit omnipotens, debet poſſe efficere quæcumque Deus per omnipotentiam præſtare poteſt: & ita creatura poſſet eſſe ſui creatrix, quod fieri non poteſt.

Sexta: actuoſiſſima; Deus quippe tribus digitis appendit molem terræ, conſervat, gubernat: quia ſapientia diſponit, bonitas vult, potentia exequitur; ſapientiæ fidem debes, potentiæ ſpem, bonitati amorem.

§. V. *Conſectaria ex omnipotentia divina.*

I. QUÆLIBET potentia creata cum divina ſemel collata, impotentia quædam eſt: quia finiti ad infinitum nulla proportio; hinc ex Guillelmo Pariſienſi, potentiæ creatæ infinities multiplicatæ ſe habent ad potentiam Dei infinitam, vt gutta ad mare. Regum poteſtas, quàm anguſta, quàm limitata! ſecreta ſubditorum animi ſenſa ſcire vellent, ignorant; ſerenitatem aëris poſtulant ſæpius, non obtinent; ſupremam affectant poteſtatem, vicini reſtringunt. Dei potentiæ nihil non praſtò eſt. Panduntur ei arcani omnium ſenſus, ſerenitatem aëris, aut ſanitatem affectas, ſtatim dabit, &c.

II. Deus omnia per ſeipſum facere poteſt & quidem modò perfectiori, quàm per cauſas ſecundas, quia continet in ſe eminenter omnem vim & efficientiam, quæ ineſt cauſis ſecundis. Excipe modos rebus creatis ex natura ſua affixos, & actus vitales, qui ex ratione ſua ſpecifica pendent à potentia vitali, vitaliter operante: poteſt item mundos majores & perfectiores eſſentialiter efficere, ſervata proportione partium; angelos item perfectiores; non tamen omnes creaturas poſſibiles collectivè, ſed non tot, quin

plures; hinc non poteſt Deus exhaurire omnipotentiam ſuam, quia quocumque producto, poteſt alia & alia ſemper producere, nec producere creaturam perfectiſſimam, quia nulla eſt, ſub ſingulis ſpeciebus plura in infinitum individua replicare ſine termino, ex vno v. g. homine componere exercitum, corporibus tribuere modum exiſtendi incorporeum & inviſibilem, ſicut dedit Chriſto in Euchariſtia, totum, quantus eſt, mundum ſub grano milii abſque vlla partium confuſione ponere, de qualibet creatura pro nutu ſuo ad effectus extraordinarios diſponere, ex theſauris ſapientiæ & omnipotentiæ creaturarum myriades proferre. Ille reges & ſapientes, ille fortes & felices ad libitum creat, arbiter vtriuſque ſortis, fortunâ major & fato.

III. Habet ab omnipotentia ſua Deus, quòd ſit creator, conſervator omnium rerum, adjutor noſter, fortitudo noſtra, ſpes noſtra, ſalus, refugium, ſuſceptor & protector. Item quòd per infirma quæque fortia ſubigat, ac domet.

IV. Summam in ſe fiduciam à nobis quodam ſuo jure exigit Deus. Quid enim ab eo ſperare non audeam, ſi amicus ſim, à quo fides tantum habet quantum credit, cupitque. Fac te ab omnibus deſertum, prætérquam à Deo, ejus omnipotentia tibi ſcutum erit. Fac te omnium præſidio communitum præterquàm Dei, jam periiſti. Tibi infenſos volo dæmones, vel potiùs mundi Dynaſtas & tyrannos, quis invadet, Deo protegente? Volo faventes ac propitios, & Deum iratum, quis eripiet, Deo vendicante? & tamen quàm multi confidunt hominibus,

diffidunt Deo. *Protegitur mortalis à mortali, & ſecuritas eſt: protegitur mortalis ab immortali, & trepidatio eſt,* inquit Auguſtinus.

v. Timorem etiam exigit; quis enim potentiam illam non timeat, quæ homines & angelos ex nihilo conditos, manu omnipotenti ſuſpenſos tenet, ne in nihilum relabantur, poteſtque ſubtracto ſubſtantifico influxu, quo conſervantur, ad nihilum redigere? in nihilum redactos ad eſſe revocare: quæ non corpus tantùm, ſed etiam animum pœnis afficiat, & ſupplicium æternum, vel ob vnum peccatum lethiferum irrogare poſſit? Meritò itaque aulicis ſuis inculcabat olim Clotarius Francorum Rex, cùm lenta morte Compendii conficeretur: *Quàm potens eſt rex ille cæleſtis, qui terrenos reges lenta morte de ſolio deturbat!*

vi. Summam reverentiam & ſubmiſſionem ſuo jure poſtulat; humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis, Epiſt. 1. Petri cap. 5. Infinita quippe Dei poteſtas, cùm de nobis ad nutum diſponere poſſit, maximum timorem, reverentiam & ſubmiſſionem ipſi vendicat.

vii. Perfectam quoque conformitatem petit; cùm enim omnipotentia Dei ſit ipſius voluntas, quiſquis ſe ad Dei voluntatem totum fingit & accommodat, eſt omnipotens.

Quæres an omnipotentia Dei magis in benefaciendo, quàm in affligendo eluceat. Reſp. affirmativè. Probatur ex cap. 11. Sapient. *Miſereris omnium, quia omnia potes.* Et ex Senec. lib. 1. de Clement. *Hæc divina potentia eſt gregatim ac publicè ſervare; multos autem occidere & indiſcre-*

tos, incendii ac ruinæ potentia eſt, ne alioqui factas ſibi remiſerit injurias, præterquam quòd Deum non ſit imitaturus, de ſe potiùs quàm de ſubditis ſumat ſupplicium. Hinc ſi quæ ſit in nobis potentia, non tantùm ad noſtram, ſed etiam ad omnium ſalutem valere potiſſimùm debet: nec diu ſtabit, qui potentiâ ſuâ ad aliorum ruinam abutitur, juxta illud Sapient. 5. *Malignitas evertet ſedes potentum.*

ARTICULUS III.

De providentia Dei.

HÆc quæſtio de providentia Dei ita affinis eſt quæſtioni de Deo & agnata, vt qui vnam probat, neceſſariò probet alteram. Qui enim Dei providentiam negant, ideo negant, vel quia nullum eſſe Deum fingunt; vel quia detractâ Deo futurorum contingentium cognitione, ſecuriùs ſuis libidinibus fruuntur; vel quia indignum putant ipſius majeſtate & beatitudine, quòd ad curam rerum humanarum abjiciat ſeſe. Quod eſt Deo tum ſcientiam rerum omnium, tum amorem in homines adimere, itáque ipſum deſtruere. Tanta quippe eſt interDei exiſtentiam atque providentiam connexio, vt qui Deum confitetur, eumdem ſimul & providum concedere debeat; & qui providentiam tollat, Deum tollere neceſſe ſit. Quia tamen quædam ſunt argumenta ſelectiora, quibus ratio divinæ providentiæ aſtruitur, valetque plurimùm ad omnem vitæ opportunitatem ac ſecuritatem certa de Dei

providentia opinio : hæc quò breviùs, eò contortiùs, validiuſque tractabimus, quæremuſque 1. an ſit in Deo providentia, 2. quid ſit, 3. quorum & circa quæ ſit, 4. quotuplex ſit, 5. quæ illius conſectaria.

§. I. *An ſit in Deo providentia.*

I. OBSERVATIO. PROVIDENTIÆ nomine intelligitur cura diſponendi creaturas, ſicut oportet ac decet Dei ſapientiam & bonitatem, ſingularum rerum naturis & vniverſitatis bono congrua, ſeu actus tum intellectus, tum voluntatis divinæ, quo Deus ordinat ac dirigit res creatas in ſuos fines peculiares, ac præſertim in finem vltimum.

II. OBSERVATIO. Duplex cùm ſit ejuſmodi providentia; altera naturalis quæ ſpectat naturalem rerum ordinem; altera ſupernaturalis, quæ ad rerum ordinem ſupernaturalem pertinet: hîc de naturali providentia potiſſimùm agimus, ſupernaturalem identidem dumtaxat delibaturi.

I. ASSERTIO. Datur naturalis in Deo rerum humanarum providentia.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ, Sap. 6. *Æqualiter eſt illi cura de omnibus.* & cap. 14. *Tu autem Pater, providentiâ ab initio cuncta gubernas.* Eccleſiaſt. 1. *Ipſe creavit illam* (nempe ſapientiam) *in Spiritu ſancto; & vidit, & dinumeravit & menſus eſt, & effudit illam ſuper omnia opera ſua; & ſuper omnem carnem, & præbuit illam diligentibus ſe.* Quatuor in hoc Scripturæ loco maximè notanda. Primum, Dei ſapientiam numerare &

metiri opera ſua; cùm enim infinita ſit, non eſt capax numeri & menſuræ in ſe, ſed quatenus ad extra ſeſe effundit, rebus ſingulis providendo pro cujuſque indole & exigentia. Secundum providentiam generalem indicat, quâ ſe in omnia opera effundit. Tertium providentiam particularem quæ homini invigilat, continet, & quam his verbis, *ſuper vniverſam carnem*, indicat. Quartum providentiam ſupernaturalem, quâ ſe diligentibus ſtudet imprimis & allaborat, explicat.

Concinit Scripturæ Ariſtoteles, qui lib. de mundo ad Alexandrum, ait Deum eſſe in mundo, id quod eſt in navi gubernator, in curru agitator, in choro præcentor, rex in civitate, dux in exercitu. Lib. 7. ad Eudemum cap. 14. docet Deum perinde ſe habere ad orbis vniverſi regimen, vt mens ſe habet ad corporis ductum; & cap. 17. & 18. probat Deum eſſe bonam fortunam & ptincipium motus in anima, quatenus cogitationem & impetum voluntatis indeliberatum immittit: vnde cenſet Philoſophus Deum in radice hujus primæ cogitationis, & indeliberati impetus, mediatè ſaltem liberas hominum cogitationes & volitiones ſibi ſubjicere. Utrum autem cenſuerit Deum immediatè res humanas curare, valde dubium eſt, tum quia ex mente Clementis Alexandrini lib. 5. Stromat. venit ei in mentem vſque ad lunam deducere providentiam: tum quia lib. 2. magn. Moral. c. 8. eventus proſperos & adverſos divinæ providentiæ videtur ſubtrahere, aſſeritque Deum malorum hominum curam habere fas non eſſe. Conceſſit tamen divinæ providentiæ quidpiam circa bonas

operationes hominum jam factas lib. 10. Eth. cap. 8. *Qui mente*, inquit, *operatur, & eam colit, diſponitur optimè, is & amiciſſimus diis immortalibus eſt. Nam ſi dii curam rerum humanarum, vt exiſtimantur, aliquam habent, rationi ſanè conſentaneum fuerit ipſos eo gaudere, quod eſt optimum, maximéque ſibi cognatum; hoc autem fuerit ipſa mens; & in eos qui maximè hoc amant & honorant, beneficia viciſſim conferre, tanquam curam iis quæ ſibi ſunt cara, ac diligentiam adhibentes.*

Ariſtotele multò clariùs SS. Patres Dei providentiam agnovere. D. Cyprianus lib. de idolor. vanitate: *Mundi vnius eſt rector, qui vniverſa quæcumque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat.* Tertull. in Apolog. cap. 26. *Videte ne ille regna diſpenſet, cujus eſt orbis, qui regnatur, & ille qui regnat; ne ille vices dominationum ipſis temporibus, in ſæculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & ſæculum corpus temporum fecit: ne ille civitates tollat aut deprimat, ſub quo fuit aliquando ſine civitatibus genus humanum, &c.*

Probatur argumentis, quorum primum ex Deo petitur; ſecundum ex rerum productione, vtrumque velut à priori; tertium ex natura divinæ providentiæ; quartum ab effectis, ſeu à poſteriori.

1. Ex parte Dei ſic. Illud in Deo admittendum, quo ſublato ruit ipſa divinitas & religio, quo aſtructo aſtruitur exiſtentia Dei & ejuſdem religio: ſublata Dei providentia de rebus humanis, tollitur Deus & religio; eadem aſtructa, Deus & ejus religio aſtruitur: ergo datur in

Deo providentia. Duæ ſunt partes minoris.

Probatur prima pars à Tertulliano adverſus Marcion.lib. 2. *Nemo te ſuſtinebit improvidentiam adſcribentem Deo, ei quem Deum non negans, confiteris & providum. Hæc enim illi propria divinitas conſtat.* A Lactantio contra Epicurum: *Si eſt Deus, vtique providus vt Deus: nec aliter ei poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cùm igitur providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe. Cùm autem Deum eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul conceſſit; alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt.*

Confirmatur. Tunc tollitur Deus, cùm tollitur ſapientia & bonitas illius: ſublatâ divinâ providentiâ, tollitur Dei ſapientia & bonitas: ergo, &c. Minor eſt D. Damaſceni lib. 2. de fide cap. 29. *Etenim ſolus Deus naturâ bonus eſt & ſapiens. Igitur quatenus bonus eſt, providet; qui enim non providet, non eſt bonus. Nam & homines & beſtiæ fœtuum providentiam habent naturali quodam inſtinctu; & qui non providet, vituperari ſolet. Quatenus autem ſapiens eſt, optimè rebus proſpicit.* Et verò bonitas divina ex Boëtio 3. de Conſol. proſa 12. *Clavus eſt atque gubernaculum, quo mundana machina ſtabilis atque incorrupta ſervatur.* Accedit Cyrilli Alexandrini auctoritas, qui in ſecundo contra Julianum ita ratiocinatur: *Dicere nolle Deum rebus noſtris providere, prorſus alienum eſt à Deo. Etenim invidiæ cujuſdam eſt & malignæ cujuſdam naturæ, meliora cùm poſſit, non facere. Quoniam autem vtrumque horum eſt alienum, neque ambo penes ipſum erunt; nec horum alterutrum. Supereſt igitur vt & poſſit & velit Deus*

rebus noſtris proſpicere. Quòd ſi vult poteſtque, perſpicuum eſt iis illum providere.

Probatur ſecunda pars. Tunc interit religio, cùm perit cultus erga Deum: ſublatâ Dei providentiâ, perit cultus erga Deum; quis enim Deum colat, à quo nihil beneficii acceperit, nec accepturus ſit, nulloque ab eo incommodo affici timeat? Nec dicas, quamvis Deus ob beneficia in nos collata colendus non eſſet, adhuc tamen ob naturæ eminentiam colendum eſſe. Nam ſi Deum facis improvidum, facis vtique inſcium, aut injuſtum, quippe qui nec videat actiones mercede aut ſupplicio dignas, nec juſtam eis mercedem rependat: ſi injuſtus aut ignarus, quid in eo eminentiæ? Quid quòd, vix vllum reperias qui Deum colendum ex eo tantùm putet, quòd excellens per ſe ſit, niſi ſimul ſit & beneficus? Hoc argumentum vrget Lactantius lib. de ira, cap. 8. *Si Deus nihil vnquam boni tribuit, ſi colentis obſequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam ſtultum, quàm templa ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, vt nihil aſſequamur? At enim naturam excellentem honorari oportet; quis honor deberi poteſt nihil curanti & ingrato? An aliqua ratione obſtricti eſſe poſſumus ei, qui nihil habeat commune nobiſcum? Deus*, inquit Cicero, *ſi talis eſt, vt nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat.* Deinde ſubjicit: *Hæc dum ſentit Epicurus, religionem funditus delet, qua ſublata, confuſio ac perturbatio vitæ ſequitur.*

Ad hæc: ſi nulla ſit providentia, nullæ quoque ſunt leges à Deo conſtitutæ, quæ ſceleratorum licentiam coerceant, improbitatem ſup-

pliciis & virtutem præmiis afficiant : ergo plena erit ſcelerum impunitas. Nam ex Ariſtotele lib. 10. Ethic. cap. 9. & 1. Polit. *Homo eſt optimum animal, ſi ſecundùm leges vivat ; peſſimum autem, ſi nullis legibus teneatur : quia ratione inſtructum eſt, quæ in omnem partem plurimùm valet.* Ubi porrò eſt ſcelerum impunitas, ibi societas hominum nulla, quæ vnis legibus ſtat potiſſimùm & continetur, niſi ferina ſit & barbara. Hoc fuſè proſequitur Nemeſius lib de homine, cap. 42.

Obſervat Pater Martinon, cùm ex negatà divina providentia Deum non eſſe colligitur, illationem non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ſed moraliter infallibilem : quia phyſicè & abſolutè poſſibile eſt Deum rebus quas creavit & conſervat, non providere ; libera quippe voluntas providendi rebus creatis, ſicut libera fuit voluntas creandi ; docet tamen moraliter infallibilem eſſe ob Dei infinitam bonitatem.

Ex rerum productione : mundum ex nihilo condidit Deus vt artifex ſapientiſſimus : ergo huic mundo Deus providet. Probatur conſequentia : ejuſdem eſt artificis providere operi ſuo, cujus eſt ex nihilo condere : Deus mundum ex nihilo condidit : ergo eidem providet. Major probatur : quò artifex quilibet præſtantior eſt & excellentioris effector operis, eò eſt ejus elaborandi, conſervandi ac perpoliendi ſtudioſior. Hinc Philo parentes *ſocios & adjutores à nemine doctos* vocat: vnde libro de ebriet. ſic loquitur : *Curam habet naturali quodam inſtinctu, naturà ſuadente, quidquid aliquid effecit operis ſui, & vt incolume ſit ac perpetuo maneat, providet.* Ambroſius 1. Offic. cap. 13. idem inculcat :

Quis operator negligat operis ſui curam? cùm aliquid non fuiſſe, nulla injuria ſit; non curare autem quod feceris, ſumma inclementia. Quin etiam Nemeſius lib. de homine cap. 43. ita curam rerum cum earumdem procreatione conjungit, vt alteram ab altera ſeparari poſſe non putet. *Neceſſe eſt*, inquit, *eundem eſſe qui res efficiat, & effectis provideat. Neque enim rectum eſt, nec decet alium efficere, alium ea quæ effecta ſunt, procurare. Nam hoc quidem certè imbecillitatis eſt.* Confirmat exemplo animalium. Multa ſunt etiam in animalibus ſimulacra, & imagines eorum quæ diximus. Quidquid enim genuit, cibum quoque fœtui procurat, & homo etiam de cæteris omnibus, quæ ad vitam degendam ſpectant, quoad fieri poteſt, proſpicit; quæ verò non provident, ob imbecillitatem non provident. Unde concludit: *quare oſtenſum eſt Deum eſſe qui provideat.* Nec refert, quòd interdum quidam opifices efficiant tantùm vt pictores, quidam procurent & provideant vt paſtores. Nam reſp. 1. ſive effector operis proviſor idem ſit, ſive non, ſemper providentiam ex effectione operis rectè inferri; licèt alteri cura demandetur. Reſp. 2. etiamſi in aliis effectis id valeret, in effectis quæ à Deo pendent, non valere: quia res omnes ex jugi perennique ipſius influxu neceſſariò pendent. *Creatoris namque potentia ac omnipotentis atque omnitenentis virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ*, inquit Auguſtinus; *quæ virtus ab iis quæ creata ſunt, regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret. Neque enim ſicut ſtructuram ædium cùm fabricaverit quis, abſcedit, atque illo ceſſante, atque abſcedente, ſtat*

opus ejus : ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. Et vt ait lib. 4. Confeſſ. cap. 10. *Non fecit, atque abiit, ſed ex illo in illo ſunt.* Hinc providentiæ phyſicæ pars eſt conſervatio rerum ; providentia quippe eſt cura rerum productarum : at pars curæ functioque præcipua in eo ſita eſt, vt eſſe perſeveret id quod procuratur : ideóque providentia dicitur à Gregorio Naz. orat. de pauperum amore, *hanc vniverſitatem continere & colligare.*

Hoc argumentum ſi quid valet, probat Deum rebus etiam imprimis providere, quia res minimas non minùs producit quàm magnas, nec minùs pendent ab eo quàm maximæ, immo magis pendent ob nativam imbecillitatem & mutationem continuam, quibus obnoxiæ ſunt ; vnde Seneca infert inferiora mundi opera divinæ providentiæ potiſſimùm ſubeſſe. *Manent*, inquit epiſt. 58. *cuncta hæc inferiora, non quia æterna ſinit, ſed quia defenduntur cura regentis. Immortalia tutore non egent ; hæc conſervat artifex, fragilitatem materiæ vi ſua vincens.* Et verò ſicut inter homines majori cura indigent, qui tenerioris quàm qui provectioris ſunt ætatis, ideóque ipſis pædagogus præficitur ; ita res ſublunares curæ divinæ indigentiores videntur, quàm quæ conſtantiam habent, & inter res ſublunares minimæ quàm majores.

Tertium ex natura providentiæ. Providentia eſt ratio ordinis rerum in finem, ex D. Thoma : in Deo eſt ratio ordinis rerum in finem : ergo datur in Deo providentia. Minor probatur : cujuſlibet effectus à Deo producendi præexiſtit in Deo ratio per intellectionem & volitionem diri-

gens, determinans & imperans, quando, vbi & quomodo talis effectus producendus ſit: illa ratio eſt ordo rerum omnium in finem: ergo datur in Deo ratio ordinis omnium rerum in finem. Major patet ex ſumma ſapientia Dei vt artificis; perfectiſſimus enim artifex debet ex perfectiſſima cognitione opus ſuum & animo deſtinare, & facto ipſo exequi: ergo ſic Deus & deſtinavit ab æterno, & molitus eſt in tempore, vt & deſtinationem & volitionem peregerit ex perfecta illius motionis earumque rerum omnium quas condidit, viciſſitudinum comprehenſione: igitur cùm deſtinavit ab æterno mundum producere in tempore, ſimul etiam ſtatuit ita producere, vt per totam æternitatem, cujus omnes dies prævidebat, per illas motiones omneſque viciſſitudines, quibus reipſa perſeverat, conſervaretur: ergo fiunt perennes illæ motiones & continuæ viciſſitudines eo ordine, ea menſura & ſpecie ex illa æterna deſtinatione; quid autem aliud eſt ejuſmodi deſtinatio quàm providentia?

Quartum ex effectis: quæcumque enim fiunt in cælo aut in terra, Dei providentiam prædicant. Primò quidem in cælo certi motus & rati aſtrorum ordines, viciſſitudines anniverſariæ, quibus ſumma ſalus & conſervatio rerum omnium continetur ac viget, ſummam aliquam rationem præeſſe oſtendunt, quæ his converſionibus gubernandis intenta ſit. Certè ex vnius ſolis & diurna & annua converſione; quæ ad fruges quibus alimur, educandas & maturandas varias anni tempeſtates efficit; dum per tranſverſum ſigniferi circulum repit, Dei providentiam

veteres collegere. Sic Alexander Peripareticus ex rerum perpetuitate & conſtantia, divinæ providentiæ qua conſtitutæ ſunt, ac deinceps conſervantur, extantiam concludit, dum lib. de providentia ita loquitur. *Nam eorum quæ hîc fiunt, conſervationem & gubernationem, & in ſpecie ſua permanſionem non abſque divina conſtare providentia, auctor eſt Ariſtoteles.* Quippe vis illa quæ à ſole ac cæteris ſociis illius ſtellis emanat, ejuſdem ſententia, cauſa eſt omnibus, quæ conſtant natura, ortus & incolumitatis. Himerius cælum, terram & elementorum naturas ſimulacra providentiæ nuncupat.

Secundò, nihilo minus in terra & rebus cælo ſubjectis providentia Dei elucet 1. ex jugi conſtantia rerum, quæ contrariæ invicem ac mutabiles per ſeſe, ſuapte natura in interitum ruerent, niſi Deus tanquam mundani hujus chori magiſter, ex tam diſſimilibus & pugnantibus naturis tanquam ex acutis & gravibus vocibus, tot jam ſæcula temperaret. 2. Ex vi ſeminibus inſita; quis enim crederet, niſi rerum experimentis doceretur, in ſimilari & molli ſemine tot & tantas vires eſſe repoſitas, aut quæ iſtinc ſurgit & compingitur, tantam mollium ac magnitudinum diverſitatem latere, oſſium, nervorum, muſclorum, & carnium, & viſcerum, &c. niſi ſumma mens huic ſemini præſideret? quis pictor vel vno colore pingat lucem & vmbram, naſum, capillos & oculos, niſi divinus planè ſit? at natura ex vno & ſimilari ſemine multò majora quotidie efficit, & quidem aſſiduè ac facilè: igitur huic naturæ præſit ſapientia infinita neceſſe eſt. 3. Ex ſtirpium & animantium rata &

perpetua propagatione : aliæ quippe res ex aliarum interitu non tantùm naſcuntur, ſed etiam multa ex proprio ſatu, non alieno, oriuntur. Hinc Nemeſius argumentum ita depromit: *Quomodo ex homine homo, ex bove bos ſemper gignitur, & ſingula proprio ſatu naſcuntur, non alieno, ſi non eſt providentia?* Nec dicas hæc naturali ac neceſſaria quadam ſerie progredi; nam quæro, cur hæc naturali ac neceſſaria quadam ſerie, & quidem adeo conſtanter progrediantur; cùm præſertim hæc opera perfectiora, ordinatiora, pulcriora ac mirabiliora videantur, quàm quæ ab homine agente ex arte prodeunt? Nimirum hæc naturæ opera dirigit, fovet & diſponit Dei ſapientia, quæ rebus ſingulis infuſa, eaſdem moderatur ac regit; ita porrò in ortu præeſt ſingulis, vt in progreſſu & accretione non deſerat: vnde illud conſequens eſt Deum eumdem & factorem eſſe & rebus omnibus providere, inquit Nemeſius; quia providentia eſt rerum quæ ſunt, poſtquam conditæ ſunt, recta gubernatio.
4. Ex ſolertia & induſtria brutarum animantium in vita conſervanda, in parando pabulo, in quærendis ac fabricandis latibulis & nidis, in declinandis periculis, quæ omnia ſupremum aliquem clamant eſſe moderatorem, cujus ad ſingula quæque gubernanda ac dirigenda vis & providentia pertineat: ſic ex brutorum indole & inſtinctu providentiam Dei maximè commendat Ambroſius 6. Hexamer. cap. 4. *Cuique animanti cognitum eſt, quemadmodum ſuam tueatur ſalutem: ſi virtus ſuppetit, reſiſtendo; ſi velocitas fugiendo; ſi aſtutia præcavendo. Quis eas vſum medendi, herbarumque docuit habere notitiam.*
Homines

Homines ſumus, & ſæpe ſpecie herbarum fallimur, & plerumque quas ſalubres putamus, noxias reperimus, &c. Feræ ſolo norunt odore noxia & profutura diſcernere: nullo prævio, nullo prægustatore carpitur herba, nec lædit. Melior enim magiſtra veritatis natura eſt. Hæc ſine vllo magiſterio ſuavitatem ſanitatis noſtris infudit ſenſibus. 4. Ex ſtructura corporis humani, proportione partium illius, & varietate mirabili vultuum humanorum in eum finem facta, vt ſe homines ex certis lineamentis ac diverſitate formarum dignoſcerent ſecernerentque, quâ ſublatâ, magna in convictu quotidiano & humana ſocietate perturbatio ſequeretur, vt copioſiùs probant idem Nemeſius & Julius Firmicus lib. 1. Aſtronôm. cap. 4. 5. Ex ſtupendis gratiæ operibus & exquiſitis ſanctorum hominum virtutibus, quorum in moribus ita apta, connexa & ad regulam honeſtatis exacta ſunt omnia, vt ſpecialem Dei in eos providentiam nemo non agnoſcat ac prædicet. Plura ſcire ſi voles, conſule Granatenſem 1. part. Catechiſmi, Leſſium tract. de provid. numinis, Theophilum Raynaudum in Theolog. naturali diſtinct. 8. quæſt. 3. qui amplitudinem divinæ providentiæ oſtendunt tum ex mundi fabrica, ejuſque partium conſtitutione, tum ex corporis humani ſtructura, tum ex inſtinctu & dotibus ſingulorum animalium, in quibus fuſiùs explicandis non immoror, ſed hoc dumtaxat ratiocinium contexo. Dantur multa opera naturæ, quæ non poſſunt fieri, niſi intelligentia eiſdem præſit & ordinet, juxta placitum D. Thomæ, opera naturæ ſunt opera intelligentiæ, talis eſt mellificatio apum, formicarum providen-

tia, induſtria avium in conſtruendis nidis, aliaque id genus opera: ergo vel Deus vel homo, nam angelus nihil agit ad extra, niſi per motum: non homo, tum quia in iis rebus, in quibus ſeipſum dirigit, ſæpius errat, & interdum graviùs, quàm reliquæ naturæ, vt patet experientiâ: tum quia naturam dumtaxat per artem imitatur, virtutes ex naturæ ordine & legibus addiſcit, civitates & regna conſtituit natura duce & magiſtra, vt docet Ariſtoteles in Polit. ergo vnus Deus. Major quippe ſapientia in natura, ejus effectis eorumque ordine, quàm in hominibus elucet; non naturæ ipſius, quæ intelligentia caret: ergo vnius Dei, naturam dirigentis, ordinantis & diſponentis per providentiam ſuam.

Confirmatur aſſertio. Vel datur in Deo providentia mundi gubernatrix, vel fati neceſſitate omnia aguntur, aut caſu & fortuitò: non fati neceſſitate omnia, aut caſu & fortuitò aguntur: ergo datur in Deo providentia mundi gubernatrix. Probatur prima pars: nam ſi fati neceſſitate ineluctabili omnia aguntur, nulla actio libera in homine, nullum meritum; hinc Auguſtinus à fato ſtellarum hominem vtpote ſui juris ac poteſtatis, eximit, lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. *Nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis humanæ, quo vel bene vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Deinde ſi fati neceſſitate omnia aguntur, Deus quoque fati legibus ſubjicitur implicaturque, quo nihil magis impium. Denique ſi fatum ſumitur vt à Boëtio definitur, lib. 4. de Conſol. proſ. 6. inhærens rebus mo-

bilibus immobilis diſpoſitio, per quam divina providentia ſuis quæque nectit ordinibus, tunc fatum eſt divinæ providentiæ effectus, quam proinde præſupponit, vt oſtendimus tom. I. Phyſ. vniverſ. part. 2. diſp. 14. art. 1. §. 4. vbi de fato plura diximus.

Probatur ſecunda: quia quod caſu & fortuitò gubernatur, peſſimè gubernatur: mundus non peſſimè gubernatur: ergo nec caſu & fortuitò gubernatur. Major patet: nam navis caſui & fortunæ commiſſa, naufragio proxima: familia quam fortuna, non ratio gubernat, propiùs abeſt à ruina. Denique vbi fortuna caſuſque dominantur, ibi inconſtantia, levitas & confuſio. Probatur itaque minor: quia ſi peſſimè mundus gubernaretur, jampridem elementa mutuo ſe conflictu conſumpſiſſent, perturbatus fuiſſet totus orbis, cælorum motus mutati; & tamen idem nunc elementorum ſitus, qui fuit antè, idem ſemper ſuique ſimilis totius mundi tenor, rati & conſtantes cælorum motus, & ex tot rerum ſpeciebus quæ ab initio mundi creatæ ſunt, ne vna quidem defecit: ergo mundus non peſſimè gubernatur. Quæ hîc objici poſſunt, poſtea ſolvemus.

§. II. *Quid ſit providentia, & quotuplex.*

I. ASSERTIO. PROVIDENTIA, definitione quid nominis, eſt antegreſſa notio, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit. πρὸ quippe apud Græcos *antè*

ſonat, vnde providere eſt antè videre. Quidam à voce procul deducunt, quo ſenſu providere eſt procul videre ea, quæ diſtant ſive loco, ſive tempore; frequentiùs ad anteceſſionem temporis refertur. Ita medicus morbum ingraveſcentem ratione providet, inſidias imperator, tempeſtates gubernator: & quoniam quæ priùs ventura ſcimus, ſi mala ſunt, cavemus, vel adhibitis remediis procuramus vt proſint; hinc providere idem ſonat ac curam adhibere, vt res aptè & convenienter diſponantur.

II. Assertio. Providentia definitione quid rei, eſt ratio practicè practica ordinis rerum in finem, in Deo exiſtens. Dicitur ratio, quia eſt actus rationis includens actum voluntatis, ſeu decretum exequendi, quod mente conceptum eſt. Practicè practica, quia triplex judicium ad providentiam requiritur; primum de poſſibilitate ordinationis rerum ad finem; ſecundum dictat omnia media poſſibilia & congrua, quibus res illæ ad ſuum finem ordinentur; tertium dictat hîc & nunc res ita ordinandas, quod eſt judicium practicè practicum, & aliorum duorum complementum. Ordinis rerum, id eſt, diſpoſitionis, quia divina providentia perfectiſſima cùm ſit & latiſſimè patens, res omnes in ſuos fines, vſus functioneſque deſtinat congruenter ad cujuſque naturam. In finem ſuum, hoc eſt, in finem, tum particularem cujuſque rei, tum generalem omnium rerum, quæ eſt gloriæ divinæ manifeſtatio. In mente divina exiſtens, quia eſt notio Dei, ſeu præconceptio in mente Dei ab æterno exiſtens, in quo diſtinguitur à gubernatione, quæ eſt executio providentiæ divinæ in tempore.

Duos itaque actus providentia includit ; vnum in obliquo & præſuppoſitivè, nempe actum voluntatis, alterum in recto, qui eſt judicium determinatè dictans, quid ſit actualiter & liberè faciendum. *Providentia*, inquit D. Thomas art. 1. ad 3. eſt in intellectu, *ſed præſupponit voluntatem finis ; nullus enim præcipit de agendis propter finem, niſi velit finem.* immo plures actus includit providentia. Nam quiſquis providet rei alicui, 1. præconcipit finem rei faciendæ, 2. diſponit ordinem ejuſdem rei ad illum finem, 3. intendit dare media ad finem vtilia, 4. quæ propoſuit exequitur ; ſic Deus præcognoſcit finem, propter quem creaturas produxit : 2. diſponit & ordinat creaturas, tum ad invicem, tum ad Deum : 3. ſtatuit dare cuilibet creaturæ adjumenta quibus finem aſſequeretur, putà angelo intellectum, cælo ſtellas, homini ſenſum & rationem : 4. quæ ſic diſpoſuit, largitur vnicuique, neceſſaria dando, qui actus dicitur adminiſtratio, ſeu gubernatio. Providentia differt à ſcientia & arte ; à ſcientia tum ſpeculativa quæ attingit omnia cognoſcibilia, tum practica quæ ars dicitur, eſtque de omnibus quæ fieri poſſunt ; providentia autem eſt de faciendis à Deo, vel à vero arbitrio : vnde à ſcientia & arte diſtinguitur vt includens ab incluſis. Porrò providentia vt eſt in mente Dei, concurrit 1. in genere cauſæ exemplaris, quia ex Boëtio eſt ſimplex & immobilis diſpoſitio rerum gerendarum, ſeu forma in mente Dei exiſtens, qua ſingulariter ſtabiliterque facienda diſponit. 2. In genere cauſæ efficientis, quia eſt notio practicè practica, quæ eſt cauſa effectrix, & quà

pertinet ad voluntatem, includit decretum. At volitio Dei eſt effectrix rerum cauſa. Porrò non tantùm ratione voluntatis, ſed etiam ratione intellectus, ſortitur rationem cauſæ efficientis, quantùm ad ſcientiam & imperium. Ratio formalis cauſæ finalis, non affertur in quidditate divinæ providentiæ, licèt ex ea neceſſariò conſequatur, inquit Didacus Ruiz; proprium quippe illius eſt omnia media ſapienter diſponere propter finem: ergo propter finem, qui eſt ſummum bonum.

III. Assertio. Aſſecutio finis particularis, non eſt de ratione divinæ providentiæ. Ita D. Thomas de verit. quæſt. 6. art. 1. Suares lib. 1. de eſſentia prædeſt. cap. 18.

Probatur de agentibus tum neceſſariis, tum liberis. Nam agentia neceſſaria, dum à Deo ad ſuos fines diriguntur, ſæpe ab eorum conſecutione aliarum cauſarum concurſu impediuntur, vnde monſtra & effectus caſuales: ergo in agentibus neceſſariis divina providentia ſæpe finem particularem non aſſequitur, quem antecedenter & inefficaciter per vnam cauſam intendit, quamvis fines aſſequatur, quos intendit in tota collectione cauſarum.

Agentia verò libera cùm ſint ſuæ ſpontis, media exigunt, quibus poſſint non cooperari, ſi velint: ergo providentia media adhibere debet quæ ſint libertati accommodata, quibus proinde interdum non vtuntur; nec tamen ideo deficit divina providentia, ſicut non deficit providentia medici, qui omnia adhibet remedia quæ morbo ſanando oportuna judicat, licèt infirmus ſanitatem non conſequatur. Idem eſto

judicium de providentia ſupernaturali. Nam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quorum tamen plerique ne quidem ad fidem perveniunt. Multi quoque ſunt in gratia, quos Deus non fictè, ſed verè diligit vt amicos, quibus Deus providet tanquam pater filiis, quamdiu illius mandatis obtemperant; & tamen ſæpius excidunt à gratia; nec perſeverantiam conſequuntur, quam tamen Deus illis, quantum eſt ex ſe, procurat: ergo, &c.

Dixi aſſecutionem finis particularis, non generalis, nam generalem providentia divina eique ſubjectæ res ſemper aſſequuntur, quia hunc Deus vult efficaciter: hinc nemo fruſtratur Dei providentiam, nihilque fit, quod ei abſolutè repugnet, tum quia finem vniverſaliſſimum & adæquatum ſemper obtinet per varios fines vagè & quaſi ſub disjunctione intentos & colligendos ex quolibet homine in ſingulari, & ex quolibet ſingulari medio ſalutis quod ei divina providentia conceſſit: ſic major Dei gloria ex omnibus rerum eventibus, ſive quos facit Deus, ſive quos permittit, ſemper reſultat: tum quia nihil fit niſi Deo volente niſi malum ſit, aut ſi malum ſit, ſemper Deo permittente vt fiat, & quidquid non fit, Deus vult vt non fiat, ſi poteſt ſine culpa non fieri: tum quia finem etiam particularem obtinet non in omnibus quidem hominibus, ſed in aliquibus vagè: ſic agricola licèt inter ſeminandum plurima amittat grana, fructus ſemper aliquos colligit. Hinc

Conſecutio actualis finis alicujus eſt de ratione divinæ providentiæ, vt probat D. Thomas multis in locis, ſed præſertim de verit. quæſt. 6.

art. 3. vbi ait ordinem providentiæ dupliciter certum inveniri in rebus ; in particulari, quatenus quædam res ordinatæ ad finem particularem, eum ſemper aſſequuntur, vt videre eſt in motibus cæleſtibus ; deinde in vniverſali, vt cernere eſt in generabilibus, quorum virtutes cùm deficiunt à propriis effectibus, eorumdem defectus ad aliquem finem ordinantur ; & alibi probat id quod recedit à divina voluntate ſecundùm vnum ordinem, relabi in ipſam ſecundùm alium : ſic peccator dum recedit ab ordine benefacientis voluntatis peccando, incidit in ordinem voluntatis punientis. Sed de natura providentiæ ſatis, jam de partitione illius.

Prima partitio fit in naturalem & ſupernaturalem. Per illam Deus res à ſe conditas ad fines ſibi debitos per media iis obtinendis paria perducit : per hanc naturas intelligentes ad finem ſupernaturalem per media opportuna dirigit, deducitque. Prima nomen providentiæ retinet, ſecunda prædeſtinatio dicitur.

Secunda partitio, vel potiùs providentiæ naturalis ſubdiviſio fit in phyſicam & moralem. Per phyſicam Deus eſſe rerum naturale conſervat, & quæcumque homine inferiora ſunt, dirigit : per moralem naturas intelligentes ad fines ipſis debitos vt cauſa moralis dirigit, nempe hortando, conſulendo, præcipiendo, comminando, &c.

Moralis ſub ſe monaſticam, œconomicam & politicam complectitur pro diverſa partitione Ethicæ. Triplicem Damaſcenus lib. de fide orthod. providentiam diſtinguit. Prima eſt acceptationis ſeu approbationis, qua Deus providet bonis per bonos, & elicit bonum ex bono. Se-

cunda conceſſionis, vel permiſſionis, qua Deus bonum ex malo elicit, putà ex malo pœnæ quod immittit alicui ad propriam vtilitatem, vel communitatis, vel ad ſuam gloriam; vel ex malo culpæ quam permittit. Tertia, derelictionis ſeu deſperationis, cùm Deus media ad ſalutem idonea ſufficit quibus homo ex voluntate depravata non vtitur, & in peccato ad mortem vſque perſeverat, & æternis pœnis addicitur. cujus finis eſt oſtenſio juſtitiæ divinæ.

Objicies: Providentiæ eſt non tantùm res diſponere ad ſuos fines, ſed etiam permittere vt excidant à ſuo fine, & eos qui excidunt, punire: ergo malè definitur providentia ratio ordinis rerum in finem.

Reſp. dato ant. nego conſeq quia non opus eſt vt quælibet actio proviſoris res ſubjectas dirigat ad finem ipſi debitum conſequendum; ſed ſufficit ſi tendat ad finem à proviſore intentum: at finis quem intendit Deus ex permiſſione peccati, eſt libertatis vſus & meritum, ſicut punitionis finis eſt oſtenſio divinæ juſtitiæ, quod ſufficit.

Patet ex dictis veritas duplicis hujus pronuntiati: 1. *Ars dicitur reſpectu productionis, rerum diſpoſitio reſpectu rerum inter ſe, providentia reſpectu ordinis rerum in finem.* 2. *Providentia non eſt in ſpeculativis, ſed in practicis.*

§. III. *Quæ ſint functiones divinæ providentiæ.*

I. Assertio. Divinæ providentiæ duæ ſunt generatim functiones; nempe creatio & gubernatio. De creatione patet, tum quia mundus à Deo non caſu & fortuitò, ſed ex certo conſilio conditus eſt: tum quia nulla eſt in mundo pars, quæ non habeat finem peculiarem ac proprium, ac deinde communem; creata quippe à Deo eſt propter propriam operationem & Dei ipſius gloriam: tum quia res vnaquæque in ortu ſuo vires & facultates, quibus finem conſequeretur, à Deo accepit, quod eſt ordinari ad ſuum finem: igitur creatio eſt opus providentiæ. De gubernatione conſtat, ex Sapient. cap. 14. *Tua autem, Pater, gubernat providentia.* Deinde gubernatio, vt hîc ſumitur, eſt actualis rerum creatarum directio in finem per media congrua: Deus dirigit res creatas in finem per media congrua, & inferiores per ſuperiores ita regit, vt immediatè ſingulis provideat: ergo eas verè gubernat. Deinde juſtis mercedem rependit ob laudabiles actiones, & ſupplicium impiis ob ſcelera, qui ſunt actus gubernationis.

II. Assertio. Gubernatio multos actus includit, & quà phyſica & quà moralis. Quà phyſica, includit conſervationem, cooperationem, imò & creationem, juxta Leſſium: quà moralis, includit præcepta, conſilia, promiſſiones, comminationes, præmia & permiſſionem, malorum im-

peditionem, ſupplicia, illuminationem naturæ rationalis, &c. Ita Leſſius.

Conſervatio quidem eſt actus gubernationis præcipuus, quia ſapientis gubernatoris eſt quæ gubernanda ſuſcepit, ſervare, ne pereant. Cooperatio ſecundus, quia niſi Deus coagat cum creatura, non poteſt operari: ergo nec tendere in finem ſuum, multò minùs aſſequi. Sed quoniam de conſervatione & concurſu Dei ſimultaneo, jam egimus tom. 1. Phyſicæ vniverſalis, ad reliquos actus divinæ providentiæ tranſeo. Tertius actus eſt decretum, quod eſt actus internus & liber divinæ voluntatis, non quatenus illaturus eſt creaturas extra Deum per creationem, quia ſic non pertinet ad gubernationem, ſed quatenus pertinet ad ea quæ circa res creatas, vel à rebus creatis agenda ſunt; de hoc decreto fusè Theologi.

Quartus eſt permiſſio: permittere autem eſt non impedire, licèt facultas impediendi non deſit. Quinque porrò permiſſio exigit: 1. vt id quod permittitur, permittenti vel diſpliceat, vel certè ſit indifferens; 2. vt ſit eventurum, niſi cauſa impediatur; 3. vt qui permittit, ſciat eventurum, niſi impediat; 4. vt adſit facultas impediendi; 5. vt nolis, vel certè te non opponas, ſed ſinas rem fluere ſuis motibus. Ita Leſſius.

Porrò circa permiſſionem hæc obſervabis. 1. omnis permiſſio fit in tempore. 2. non minùs cadit ſub æternum Dei decretum, quàm operatio Dei poſitiva; nihil quippe permittit Deus in tempore, quod ab æterno permittere non ſtatuerit. 3. quælibet permiſſio Dei eſt bona & lau-

dabilis, licèt quæ permittit, peſſima ſint. Ratio eſt, quòd juſtiſſimis de cauſis malum permittat. Præcipuas accipe. 1. quia Deus ex malò multa bona elicit, vt teſtatur Auguſtinus lib. 11. de Civit. Dei, cap. 18. *Neque enim Deus vllum non dico angelorum, ſed ne vel hominem crearet, quem malum futurum eſſe præſciiſſet, niſi pariter noſſet quibus bonorum vſibus commendaret, atque ita ordinem ſæculorum tanquam pulcherrimam carmen etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret.* Clariùs in Enchiridio cap. 11. *Neque Deus omnipotens, cui rerum eſt ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo fineret mali aliquid eſſe in opere ſuo, niſi vſque adeo eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Nam 1. juſtitiæ ſeveritas apparet in caſtigatione peccatorum, dum plectit nocentes pœnis temporalibus aut æternis, 2. miſericordia elucet in remiſſione peccatorum, 3. peccatis impiorum ſæpe ad prædeſtinatorum progreſſum vtitur; ſic illuſtravit conſtantiam martyrum crudelitas tyrannorum: 4 etiam ad aliorum caſtigationem, improborum malitia vtitur Deus, non incitando quidem eos, ſed permittendo vt diabolus incitet: 5. ad vindictam vnius peccati, alterum peccatum permittit Deus, quod dicitur pœna peccati, non quòd ipſum propriè ſit pœna, cùm à Deo puniente non intendatur, ſed quòd permiſſio illius pœna ſit, ex qua per accidens aliud peccatum ſequitur; permiſſio enim peccati nihil aliud eſt quàm ſubtractio divinæ gratiæ, impeditivæ peccati. 6. ad teporem excitandum, aut emendandam ſuperbiam. Porrò cave ne putes bonum, quod divina providentia ex peccato

elicit, eſſe cauſam finalem permiſſionis peccati, eſt enim tantùm cauſa ſine qua non, quia hæc bona Deus non vult voluntate antecedente, quâ vult tantùm ea, quæ per ſe bona ſunt, ſed voluntate dumtaxat conſequente, quæ ex nobis occaſionem accipit, appetitque tantùm illa bona ex ſuppoſitione peccati.

Quintus actus eſt multorum malorum impeditio. Nam ad divinam providentiam pertinet multa peccata, quæ ex peccato ſemel commiſſo orirentur, impedire. Etverò quot & quanta mala impedit, quæ quiſque ſibi peccator inferret, occaſiones malorum avertendo, gratiâ præveniendo, protegendo, &c. aut dæmonis poteſtatem coërcendo, nè noceat. Porrò Deus impedit dæmones ne noceant, vel miniſterio angelorum, vel ſubſtractione concurſus divini, vel conſtricta vi illorum motrice, vel comminando, vel cogitationem aliò avertendo, &c.

Sextus actus eſt cælorum motus, quo ſtat & viget tota natura, velocitas quippe incredibilis, æquabilitas maxima, varietas mira innumerique effectus ſublunares, divinam providentiam maximè commendant, vt oſtendimus in libris de cælo. Nam motu cæleſti mundum hunc inferiorem regit Deus, ortus & interitus viciſſitudines efficit, rerum ſpecies perpetuat, viventium omnium ætates moderatur, diſtinguit, definit, &c. alios effectus cujuſmodi ſunt illuminatio naturæ rationalis, redemptio hominum, juſtificatio, remuneratio & punitio, conſultò prætereo, quia pertinent ad providentiam ſupernaturalem.

§. IV. *De objecto divinæ providentiæ.*

STATUS quæſtionis eſt, quodnam ſit objectum materiale divinæ providentiæ. Quidam res minimas Deum curare nolunt, quod indignum putent ipſius majeſtate ad rerum viliſſimarum curam deſcendere, plures res ſublunares, plurimi malum, tum naturæ, tum moris ejuſdem providentiæ ſubducunt. Porrò licèt argumenta, quæ hactenus attulimus ad aſtruendam Dei providentiam, eandem per omnia ac ſingula fuſam eſſe perſuadeant, nec ſumma tantùm & præſtantiſſima quæque, ſed etiam infima curare; tamen ſit

I. ASSERTIO. Deus non rebus tantùm præſtantiſſimis, ſed etiam viliſſimis quibuſque providet. Probatur 1. Res quælibet etiam viliſſima eſt participatio quædam divinæ naturæ: ergo à Deo curari debet; nec enim fas eſt Deum curam illius rei dedignari, quam creare & conſervare non eſt dedignatus; & quàm latè patet vis cauſæ in efficiendo, tam latè patet ordinatio effectuum in finem: quia nulla cauſa temerè agit: vis Dei effectrix pertinet ad quælibet entia etiam abjectiſſima, eorumque differentias tum ſpecificas, tum individuas: ergo & ordinatio rerum in finem pertinet etiam ad differentias eorum tum ſpecificas, tum individuas; nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, Rom. 13. Hoc argumentum vrget Ambroſius lib. 1. de Officiis: *Si non eſt injuria & probrum Dei minutiſsimas*

quaſque res feciſſe; multò minùs probrum illius eſt eas factas regere. 2. Deus rebus præſtantiſſimis providet: ergo etiam ignobiliſſimis. Univerſum enim vſquequaque perfectum eſſe non poteſt tum ad vtilitatem, tum ad pulcritudinem ſine rebus minimis; ad vtilitatem quidem, quia res viliores præſtantioribus cedunt in cibum alioſque vſus hominum; ad pulcritudinem verò, quia ſicut ex acutis & gravibus inter ſe temperatis ſuavior concentus exiſtit, ita ex rebus perfectioribus & vilioribus major perfectio vniverſi inter ſe ordine decenti diſpoſitis exiſtit. Ad hæc, ſapientia & bonitas Dei elucet etiam minimis in rebus. *Ita* quippe *eſt artifex magnus in magnis, vt minor non ſit in parvis; quæ parva non ſua granditate, quâ nulla eſt, ſed artificis ſapientiâ metienda ſunt*, inquit Auguſtinus lib. 11. de Civit. cap. 22.

3. Si Deus neglectis minoribus rebus, ſolis majoribus invigilat; ideo fit, vel quia omnibus adminiſtrandis par eſſe illius mens & poteſtas nequit: vel quia non vult, tametſi poteſt. Neutrum dici poteſt; non primum: quia ſi non poteſt, fit hoc duarum cauſarum ex altera. Aut enim non omnia novit vt ſingulis conſulat: aut ſi ſciat, non tamen infinitis rebus eodem momento gubernandis vim parem habet: at in Deo eſt infinita ſcientia & poteſtas ſcientiæ non diſpar, vt jam confecimus. Novit enim apprime tum ſpecies, tum individua omnia, deinde quæ iiſdem neceſſaria, quæque neceſſitati cuilibet ad occurrendum vtilia. 3. Præſtò illi eſt potentia ad omnia pro nutu ſine faſtidio vllo aut cujuſquam reſiſtentia præſtanda. 4. Adeſt quoque pruden-

multiplici, in procurandis iis omnibus quæ homini alendo, fovendo, oblectando inſerviunt; hinc conſtituta virtuti præmia, criminibus ſupplicia, vt meritò Theodoretus exclamet, ſerm. 1. de provid *O amorem erga homines ineffabilem! ô ſapientiam mirabilem! quis divinæ providentiæ bonitatem, potentiam, in dubiis copiam, in difficilibus facilitatem, operum magnitudinem, divitias pro dignitate admiretur?* Theodoreto concinit Meletius lib. de homine. *Erga ſolum hominem rerum opifex præter alia animalia, præcipua providentia vtitur, eumque exactiſſima cura dignum cenſet.*

III. Assertio. Providentia Dei ita hominibus conſulit, vt iis qui ſanctiùs vivunt, maximè conſulat. Probatur 1. ex Scriptura, quæ ſingularem Dei in juſtos providentiam vbique prædicat. Modò enim vigilantiſſimo paſtori comparat, qui vnius ovis defenſioni totus incumbit: modò gallinæ, quæ milvi ad aſpectum pullos obit & ſub alas congregat: modò matris affectui tenerrimo, quæ infantem pectori apprimit ſuo, in ſinu, in oculis fert: modò leænæ ardori, quæ rugitu aërem implet, dum leonculos à ſe per vim videt abripi. Senſit hanc ſibi familiarem Dei providentiam Auguſtinus, cùm in Soliloquiis cap. 14. ita loquitur: *Speculator perpetuus veluti ſi totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus, me ſolum conſideres, & nihil ſit cura de aliis: neque enim creſcit lux immutabilis viſionis tuæ, ſi tantùm vnum aſpicias: neque minuitur, ſi innumera videas & diverſa, quia ſicut vno totum perfectè conſideras, ſic ſingula qualibet, licèt diverſa perfectè ſimul totaque intus conſpicit*

viſus tuus. Senſit & D. Bernardus ſerm. 68. in Cant. dum ita loquitur explicans illa verba, *Dilectus meus mihi.* cant. 2. *Itane huic intenta illa majeſtas, cui gubernatio pariter & adminiſtratio vniverſitatis incumbit? ita planè. Ipſa eſt enim Eccleſia electorum, de quibus Apoſtolus, Omnia propter electos.* & ibidem: *Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus, licèt ſponſa vendicat ſibi.* Ipſa quin etiam peccata Sanctis in bonum vertuntur, ſi Auguſtinum audimus lib. de corrept. & grat. cap. 1. *Omnia cooperantur in bonum, etiam peccata: nam prædeſtinati ex caſu, humiliores, cautiores & ferventiores reſurgunt.*

IV. ASSERTIO. Quodlibet peccatum etiam formaliſſimè ſumptum cadit ſub divinam providentiam. Ita D. Thomas. diſt. 39. quæſt. 2. art. 2. vbi concludit malum ſubjacere divinæ providentiæ tanquam præſcriptum & ordinatum.

Probatur 1. ex variis Scripturæ locis, vbi hominum peccata ad divinum conſilium, impulſum & motionem referuntur, quibus verbis tum permiſſio Dei, tum ordinatio peccatorum ad majora bona innuitur: at permiſſio peccatorum & ordinatio ad majora bona probant ipſa peccata, etiam formaliter ſumpta, divinæ providentiæ ſubeſſe, cui etiam mala perfectiſſimè ſubjiciuntur, ne fiant, cùm Deus diſponit non fieri, & cùm permittit, vt fiant. Certè patet ex Actor. cap. 2. Deo peccata ſubjici. *Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum per manus inimicorum affligentes interemiſtis.* Ubi per conſilium divinam providentiam & certam rationem agendorum divus Thomas intelligit. Scripturæ Patres ſuffragantur, Cyrillus Hieroſolym. ca-

tech. 8. *O ſapientiſſimam providentiam, quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem convertit!* Baſilius homil. 19. quòd Deus non ſit auctor malorum. *Providiſſimus rerum humanarum diſpenſator Deus utitur ad noſtram exercitationem malignitate dæmonis, quemadmodum medicus vipera veneno.* Origenes Homil. 3. in Geneſ. *Multa ſine Dei voluntate geruntur, nihil ſine Dei providentia.* Auguſtinus lib. de agone Chriſtiano, cap. 7. *Omnes divinæ providentiæ ſerviunt; ſed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea quod bonum eſt: alii verò ligantur tanquam ſervi, & fit de illis quod juſtum eſt.*

2. Hanc Dei providentiam circa peccata probant exempla de quibus SS. Patres tractant. Putà quòd Deus produxerit homines, quos damnandos præſciebat; quòd libertatem iis conceſſerit, cujus abuſum prævidebat; cur Saülem in regem, & Judam in Apoſtolum elegerit.

Probatur ratione duplici. Prima ſit: Illud ſubjicitur divinæ providentiæ, quod ſine divina permiſſione & concurſu fieri nequit: ſine divina permiſſione & concurſu peccatum fieri nequit; permiſſio enim eſt actus divinæ providentiæ, ſupponens decretum permittendi, & præſcientiam conditionalem, quâ prævidet Deus futura, ſi permittantur. Item concurſus eſt actus divinæ providentiæ, ſupponens decretum & præſcientiam.

Secunda: ex peccato formaliter ſumpto multa bona colligit Deus, & mundi pulcritudo effloreſcit: ergo peccatum formaliter ſumptum ſubeſt divinæ providentiæ. Prima pars patet.

Nam ex peccato pœnitentia, diſplicentia, humilitas, præſertim in prædeſtinatis, ferventior compunctio, gratitudo, aliæq; id genus virtutes colligūtur.

Patet ſecunda ; ex malis nempe major mundi perfectio, juxta illud Eccleſiaſtici cap. 33. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita.* Et verò ſicut in cantando, inquit Auguſtinus lib. de Geneſ. ad lit. cap. 5. interpoſitiones ſilentiorum certis moderatiſque intervallis, quamvis vocum privationes ſint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare ſciunt, & ſuavitati vniverſæ cantilenæ aliquid conferunt: & vmbræ picturis eminentiora quæque diſtinguunt; ac non ſpecie, ſed ordine placent. Aut ſicut ex antithetis quod nobis in oratione jucundum eſt, id eſt, ex contrariis, omnium ſimul rerum pulcritudo figuratur, vt ait idem auctor lib. 1. de ordine cap. 7. ita mundi elegantia ex bonis maliſque inter ſe temperatis, vel potiùs juxta ſe invicem poſitis exiſtit. Denique ſicut ſpeculum ſtanno temperatum & opacatum perfectius eſt in ratione ſpeculi, quàm ſi auro obductum foret: ſic mundus hic, qui eſt quaſi ſpeculum divinarum perfectionum, perfectiùs eas reddit, cùm vmbra peccatorum terminatur, quàm ſi puris virtutibus reluceret. Porrò quæ bona ex permiſſione peccati providentia Dei eliciat, jam explicuimus ſuperiori §. Id vnum adjungo ſuaviùs multò regi à Deo hominis libertatem permiſſo peccato, quàm non permiſſo: quia ſic homo relinquitur in manu conſilii.

V. Assertio. Rebus ſingulis Deus providet immediatè quoad diſpoſitionem, quoad executionem mediatè. Patet prima pars: habet enim

Deus in ſuo intellectu rationem omnium, etiam minimorum. Patet ſecunda: Deus enim regit omnia inferiora per ſuperiora, non ex defectu virtutis, ſed ex quadam ſuæ bonitatis abundantia. Porrò inter miniſtros divinæ providentiæ præcipui ſunt angeli, tum boni, tum mali, vt inſinuavimus part. 2. Metaph. vbi de Angelis egimus. Deinde ipſi homines boni vel mali. Ut autem ſcias quomodo actus divinæ providentiæ circa peccatum verſentur, hos canones accipe.

I. Scientia Dei ſpeculativa perinde circa malitiam peccati verſatur, ac circa alias privationes, quæ non ſunt peccata.

II. Scientia Dei practica non tam perfectè verſatur circa malitiam peccatorum, quàm circa entia poſitiva: quia non dictat quomodo Deus peccatum patrare poſſit; ſed tantùm quomodo poſſit illud impedire, vel permittere, vel ab hominibus commiſſum, aut committendum ordinare ad pœnam alioſque bonos effectus.

III. Poſitiva volitio permittendi peccata continetur intra limites providentiæ.

IV. Poſitiva volitio ordinandi peccata, munus etiam eſt divinæ providentiæ. Porrò ordinatio peccati non eſt peccato intrinſeca, quod intrinſecè ſemper inordinatum eſt; ſed dumtaxat extrinſeca, quatenus deſtinatur à Deo, vt ſit medium aut diſpoſitio ad bonos effectus: ordinatur autem per pœnitentiam, quâ deſtruitur, aut per ſupplicium, quo redditur illi debitum.

V. Peccatorum odium directè pertinet ad providentiam, ſicut amor virtutum: quia ejuſdem potentiæ & virtutis, & neceſſariò connexum cum eodem objecto formali peccatorum odium & virtutum amor.

VI. Non poteſt Dei providentia velle peccatum, nec velle vt ſit aut fiat à natura intelligente creata, nec ad ipſum excitare, quia cenſeretur cauſa illius, quod repugnat ſanctitati illius infinitæ. Hinc

VII. Multùm differunt hæc quatuor propoſitiones. *Peccata ſunt opera divina providentiæ: peccata vi divina providentia fiunt peccata non fiunt abſque divina providentia: peccata divina providentia ſubjiciuntur.* Nam duæ primæ propoſitiones falſæ ſunt & hæreticæ, vt patet ex 7. canone: Deus enim nec vult peccatum, nec vult vt fiat ab homine. Duæ autem poſtremæ veriſſimæ.

VIII. Latiùs patet ambitus divinæ providentiæ, quàm divinæ cauſalitatis: quia peccatum formaliter ſumptum ſubjicitur providentiæ divinæ, cujus tamen Deus non eſt cauſa. Par tamen erit vtriuſque ambitus, ſi intra cauſalitates quas Deus exercet, eam includis quam Deus habet impediendo, aut permittendo, aut ordinando peccata.

IX. Deo convenientius permittere peccatum ex intentione bonorum, quàm quia non tenetur impedire: quia ſic ejus ſapientia, bonitas & potentia magis elucent. Deinde permiſſio peccati eſt ſæpe prædeſtinationis effectus: adeóque procedit ex intentione conſequendi finem prædeſtinationis.

X. Materialis actio peccati non eſt per ſe volita, aut intenta per divinam providentiam, nec vult Deus, vt fiat ab homine, immò antecedenti voluntate vult & intendit vt non fiat; hinc cùm Deus vult concurrere ad actionem materialem peccati, non vult ſpecificam differen-

tiam actionis, quæ legi contraria.

XI. Subeſt tamen divinæ providentiæ actio materialis peccati, etiam in particulari; quatenus nempe permittit actionem ejuſmodi ab homine fieri, eamque ordinat ad majus bonum, ex hypotheſi quòd à voluntate creata eliciatur. Hinc

XII. Aliter Deus bonis operibus, aliter malis providet: nam ad bona opera excitat, præeſtque illis vt fiant, mala autem permittit, vt obſervat Auguſtinus lib. 8. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 24. *Deus bipartito ſua providentia opere, præeſt vniverſa creatura, naturis vt fiant; voluntatibus autem, vt ſine ſuo juſſu vel permiſſu nihil faciant.*

Colliges ex dictis, 1. nullam rem omnino eſſe, quæ divinæ providentiæ non ſubdatur, & ipſa etiam non entia, cujuſmodi eſt peccatum, ad eam aliquatenus pertinere. *Nihil enim*, inquit Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. *fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inviſibili atque intelligibili aula ſummi imperatoris aut jubeatur, aut permittatur, ſecundùm ineffabilem juſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſsima quadam immenſaque republica.* Ubi per aulam intelligibilem ſummi imperatoris, providentiam Dei tum jubentem, tum permittentem intelligit Auguſtinus. Quidquid ergo agat peccator, vt ſe divinæ providentiæ ſubducat ac ſuffuretur, ſemper illius ambitu concludetur, quia dum ſe benignitati miſericordiæ ſubtrahet, in ſeveritatem juſtitiæ incurret.

Colliges 2. nullum eſſe effectum caſualem reſpectu Dei, 1. quia nullus effectus effugit ordinem & intentionem cauſæ vniverſaliſſimæ.

2. quia nulla eſt cauſa, quæ Deum impediat in operando. 3. quia ſi eſſent effectus caſuales reſpectu Dei, Deus eſſet cauſa per accidens: Deus non poteſt eſſe cauſa per accidens: cauſa enim per accidens reduci debet ad cauſam ſuperiorem per ſe; at prima cauſa non poteſt reduci ad cauſam ſuperiorem.

Colliges 3. nullum effectum creatum eſſe monſtrum reſpectu Dei, quia adæquatur ideæ illius propriæ & volitioni divinæ, tantúmque confert ad bonum vniverſi, quantum vult Deus conferre.

§. V. *Affectiones divinæ providentiæ.*

I. UNIVERSALISSIMA eſt ratione objecti: quia nihil eſt ſive magnum, ſive minimum ſit, ſive bonum, ſive malum, quod ejus gubernationi non ſubjaceat; nihil quod rectum in finem non ordinet; nullum denique medium quod non decernat aut permittat. Hæc affectio bellè colligitur ex iis quæ diximus §. 4. & à D. Bernardo tract. de grat. & lib. arbit. his verbis rectè explicatur: *Attingit à ſummo cælo vſque ad inferiores partes terræ, à maximo angelo vſque ad minimum vermiculum: vel ab ortu creaturæ vſque ad finem deſtinatum à Creatore, ſive in quem vrget natura, ſive quem concedit gratia, & hoc fortiter, dum nihil eorum evenit, quod non prout vult, potenti præordinet ſapientia.*

II. Æterna eſt: cùm enim ſit actus internus Dei omnino immanens, quo Deus vidit, diſpoſuit, digeſſit omnia, reſque ſibi ſubjectas ſuos deducit

deducit in fines; omnis autem actus internus ſit idem cum Deo, vtique æterna eſſe debet.

111. Perſpicaciſſima, &, vt ſic dicam, oculatiſſima. Nam actus ſcientiæ ſimplicis, prout eſt ſcientia practica, & actionem voluntatis dirigit, prælucet voluntati divinæ; item actus ſcientiæ conditionatæ, qua Deus cognoſcit, quid factura ſint media, ex hypotheſi quòd dentur; hinc nunquam in ſua diſpoſitione fallitur: novit enim, antequam aliquid ſtatuat, quid ex quavis diſpoſitione & hypotheſi ſit eventurum, vnde nunquam ſuo fruſtratur effectu. *Oculi* quippe *Domini* decies millies *ſole lucidiores, inſpicientes omnes vias hominum & conſiderantes in abſconditis partibus*. Eccleſiaſtici 23. Et verò ſcientiæ illius vis infinita, vt ad ſumma, ita ad viliſſima quæque pertinet, vt jam oſtendimus. *Attendat caritas veſtra*, inquit Auguſtinus, *quis diſpoſuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem ſuum, habeant vitam ſuam, habeant motum ſuum? Vnam beſtiolam brevem minutiſſimam conſidera quam volueris. Si conſideres membrorum ipſius & animationem vita qua movetur, vt pro ſe fugiat mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat moleſtias, exerit ſenſus diverſos ſibi. Quis dedit aculeum culici, quo ſanguinem ſugat? quàm tenuis fiſtula, qua ſorbet? Quis diſpoſuit iſta? quis fecit iſta? Expaveſcis in minimis, lauda magnum. Qui fecit in cælo Angelum, ipſe fecit in terra vermiculum.* Itaque ſcientia Dei ad omnes pertinet. *Deus in omnia ſufficit, & diſſimulator & prævaricator perſpicaciæ ſuæ non eſt*, Tertull. lib. de Pœnit. c. 5.

IV. Exactiſſima: tum quia ſeſe porrigit ad omnia, ac ſuis quæque locis aptè & concinnè diſ-

poſuit : tum quia immediatè rebus omnibus ſublinioribus conſulit : tum quia non modò proſpicit quod fini per ſe congruens eſt, ſed etiam id quod fini ſecundùm circumſtantias congruit, circumſpicit.

v. Sapientiſſima : 1. quia res omnes per cauſas altiſſimas attingit : 2. quia media finibus comparandis maximè opportuna adhibet, quibus optimo modo fines convenientiſſimos aſſequatur : 3. quia cùm ſit ſuprema Dei ipſius ratio, nihil agit & molitur, quod non ſit rationi maximè conſonum. Hinc

vi. Secretiſſima : quia per vias occultiſſimas & ſæpe contrarias ac repugnantes aſſequitur fines intentos. Quàm multa fiunt quotidie in mundo, quorum cauſæ nos latent? Nihil tamen fit ſenſibiliter, quod non de interiore, invіſibili atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur.

vii. Sanctiſſima : quia ſuprema illius ratio, cùm ſit regula omnis rectitudinis, nec ignorantiâ fallitur, nec errore decipitur, nec cupiditate abripitur. 2. Nullum finem præſcribit, nullum medium eligit, quod honeſtiſſimum non ſit. 3. Voluntas ipſius firmiùs bono adhæret, quàm bonum ſibi, à qua quidquid decernitur, ſanctiſſimum idem & ad finem æquiſſimum refertur. Sanctus itaque Deus in omnibus operibus ſuis, diſponit orbem terrarum in æquitate & juſtitia.

viii. Certa & infallibilis : quia nunquam deficit, nec deficere poteſt à ſuo effectu, nec à modo effectus quem prævidit. Modus quippe contingentiæ & neceſſitatis cadit ſub prævіſionem

Dei. Ratio hujus certitudinis eſt, quia per ſcientiam mediam videt media omnia, quæ effectum habitura ſunt, eaque tribuit; hinc pronuntiatum: In hoc eſt immobilitas & certus divinæ providentiæ ordo, quod ea quæ ab ipſo providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipſe providet, ſive neceſſariò, ſive contingenter.

IX. Efficaciſſima: quia rerum omnium præſcientiam Deus habet & omnipotentiam, qua quæcumque definierit, quo libuerit modo efficiat; à fine quippe ad finem omnia fortiter attingit, 1. quia non tantùm de cauſis neceſſariis, ſed etiam de liberis ad nutum diſponit, & vt ait Auguſtinus, de ipſis hominibus quod vult, cùm vult, facit. 2. Quod ſemel ſtatuit apud ſe, ſtatim, ſi lubet, exequitur. 3. Ut res feliciùs ſuccedant, voluntates hominum præparat ad nutum & propenſiones animi immutat. 4. Ipſos hoſtium conatus & conſilia in bonum ſuum ac ſuorum vertit, quod patet in exemplo Joſephi. Denique efficax eſt quantùm ad finem particularem in aliquibus v.g. obtinendum, & quantùm ad finem vniverſaliſſimum & adæquatum ſemper obtinendum per varios fines vagè & quaſi ſub diſjunctione intentos.

X. Suaviſſima: quia rerum naturis ſe accommodat, neceſſarias neceſſariò, liberas liberè gubernando, ſuavitate illas ad ſe ſe pertrahendo, &c.

XI. Tranquilliſſima: quia negotia quæque maxima ſine contentione perficit. Non rerum multitudine obruitur, non varietate turbatur; ſed immota in ſeſe, omnia motibus ciere non ceſſat: quanta in maximis, tanta in minimis; ſe-

quæ toti ita generatim impertit, vt privatim in quolibet tota habitet: vniverſa demum ac ſingula ita complectitur, ut nihil confundat.

XII. Fideliſſima; quia quiſquis infidelis eſt, ideo infidelis eſt, aut quia errore deceptus, aut quia cupiditate immoderata ad decipiendum impellitur, aut quia ex impotentia promiſſa exequi non poteſt. Deo ineſt ſapientia infinita, quæ omnia pervidet: bonitas ſapientiæ non impar, quæ gaudet in nos divitias effundere; omnipotentia quæ, quidquid ſapientia noſtri cauſa conſtituit, bonitas vult, promptiſſimè exequitur; ab omni quippe errore aut deceptione immunem præſtat ſapientia, ab imbecillitate potentia, à perfidia bonitas: *fidelis* itaque *Deus*, *& abſque vlla iniquitate.*

XIII. Amabiliſſimam reddunt liberalitas, ſuavitas, fidelitas; liberalitas in largiendo, ſuavitas in regendo, fidelitas in promiſſis.

§. VI. *Conſectaria ex dictis de providentia.*

I. PATET quanta ſit perfectio divinæ providentiæ tum ex cauſis, tum ex modo agendi. Nam ſi cauſam formalem attendis, eſt ratio Dei practicè practica ordinis rerum in finem, quæ vt in Deo eſt, infinita eſt, polletque ſingulis affectionibus, de quibus modò egimus. Deinde nihil ordine rerum præſtantius; providentia cuncta diſponit & ordinat: & verò per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit Deus poſſibilitatem & honeſtatem finis & mediorum, virtutem eorum & efficaciam; per conditionatam, atten-

dit quem effectum medium ſit habiturum, ſi aſſumatur, ideóque illius congruitatem pervidet, per quam ſpecialiter benefica eſt, dum ex prævisione illius congruitatis medium tale decernit; per actum imperii, ſeu judicium practicè practicum juxta voluntatis decretum faciendum denuntiat. Poſtremò ſequitur ſcientia viſionis, qua cognoſcit Deus futuram exiſtentiam finis & mediorum, quæ poſterior eſt ipſa providentia. Atque hæc quidem ex parte intellectus; in voluntate autem eſt intentio finis & electio mediorum; tum vſus & executio, qui actus poſteriores ſunt, tum ſcientia ſimplicis notitiæ, tum ſcientia media, ſed priores ſcientiâ viſionis. Age porrò quàm præſtantiſſimus ille ordo divinæ providentiæ, qui tot ſcientiarum & tam perfectæ electionis partus eſt. Si cauſam materialem ſpectas, tam entium quàm non entium ordinationem ſuo ambitu continet: ſi cauſam finalem, finem cujuſque rei proprium & peculiarem perinde ac vniverſalem, hoc eſt, gloriam Dei ſibi proponit. Denique ſi modum diſpoſitionis attendis, ita Deus providet rebus immediatè, ut mediis cauſis vtatur; regit enim bruta per homines, plantas per animalia, omne imperfectum per perfectum & in eodem homine & in diverſis, vt ſic pulcritudo ſervetur in rebus, & rebus creatis vis cauſandi communicetur. Præterea ſic intendit ſingulis Deus, acſi vacet à cunctis; ſic ſimul intendit omnibus, acſi vacet à ſingulis: non vniverſis deeſt, cùm diſponit vnum; nec vni deeſt, cùm diſponit vniverſa. Cuncta quippe naturæ ſuæ potentiâ quietus operatur; habet quaſi vnum reſpicere multos, & quaſi multos vnum: nec ad

multitudinem multus eſt, nec ad paucitatem rarus, nec ad diverſitatem diviſus, nec reſtrictus ad vnum nec anxius ad curas, nec perturbatus ad ſollicitudines. Sic ſanè vni intentus, vt non detentus; ſic pluribus vacans, vt non diſtentus. Vide D. Bernardum ſerm. 69. in Cant.

II. A providentia Deus habet, vt ſit mundi gubernator, cuſtoſque hominum in Scripturis dicatur: quia gubernatio eſt providentiæ ipſius executio, ſeu actualis rerum creatarum directio in finem per media congruentia; cujus ſuavitas & efficacia in eo præſertim elucet; quòd mundum & omnia quæ in eo continentur, moveat & regat ad naturam cujuſque aptiſſimè, naturas intelligentes congruentiſſimis mediis ad ſuos fines dirigat, præmiis alliciat ad virtutem, pœnis à ſcelere abſterreat, ſitque palam ac publicè vnicuique ſecundùm opera ſua ſub finem mundi redditurus, vt inde æquitas & benignitas judicii illius & gubernationis omnibus appareat.

III. Magna animi tranquillitas eorum, qui ſe divinæ providentiæ committunt. Noruntquippe quidquid adverſi ſibi accidat, id Dei conceſſu permiſſuque fieri; immo à Deo nonnunquam immitti juſtiſſimas ob cauſas, & ad bonum ſuum. Magnum haud dubiè ſolatium divina voluntas quæ per divinam providentiam nobis applicatur. Quid enim acidum, quod illa propinat? Quid malum, quod illa conſecrat? Non trahimur fatis, ducit nos Deus; quò? ad ſe; quà? ne iſtud roges. Nam nec aurigam ad vnam vrgemus orbitam, nec nauclerum ad vnam periodum. Qualibet vehant, dum quò volumus, perveniamus. Ipſorum munus eſt noſſe itinera. Cur

Deo præſcribimus leges viæ, quas auriga non patitur. At ſalebroſa ducit via? ſed compendioſa & ſecura: immo jam ſalebris carebit, ſi putes vectorem Deum; ſi tutum iter, cum Deo pugnare vis, ſi reſiſtis. Ita Nurembergius.

IV. Tollit etiam ac præcidit obmurmurandi contra Deum omnem anſam, concepta ſemel de Dei providentia opinio. Quis enim expoſtulare aut murmurare in Deum audeat, ſi calamitates quibus premitur, ſibi obvenire cogitet, vel vt peccatis quæ ipſe commiſit, ſatisfaciat, vel vt ad virtutem majora ſint incitamenta, ſegeſque vberior meritorum?

V. Anxia hujus vitæ ſollicitudo minuitur. Nam ſi minimis quibuſque rebus Deus invigilat, ſi volatilia cæli paſcit; flores tam pulcrè veſtit & exornat; quantò magis homini, quo ipſi nihil carius, omnia ad victum cultumque neceſſaria affatim ſuppeditabit?

VI. Maxima in Deum fiducia, etiam cùm pericula imminent. Si Deus curam mei gerit, ſi rebus meis invigilat; quid eſt quòd mihi timeam aut ab hominum potentia, aut à dæmonum inſultibus, aut ab vllius creaturæ ſævitia. Huic ergo, ſi quid ſapis, te reſque tuas trade; tibi tranquillitatem in rebus turbulentis, tolerantiam in adverſis, robur in arduis, fiduciam & ſecuritatem in periculis, æquitatem animi in futurorum expectatione præſtabit. Hac ſe olim cogitatione ſolabatur vir pius: Mei curam habes, aiebat, acſi nullius haberes. Quid ergo anxior? quid ſollicitor? quare cogitatum meum in te non jacto? Certè tu dilectus meus intendis mihi, jam de cætero ſolùm intendam tibi. *Deus auxilia-*

tor meus : ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam ; & ſcio quoniam non confundar. Iſai. 5.

VII. Error eorum non tolerandus, qui divinam providentiam negant : quia negatâ Dei providentiâ, negatur exiſtentia Dei & immortalitas animorum, omnis virtus exciditur, leges evertuntur, hominum ſocietas tollitur, ipſa demum religio peſſumdatur, vt pluribus probat Theophilus Raynaudus in Theol. naturali, diſtinct. 8. q. 3. art. 3.

VIII. Nullus ſe ſubtrahit divinæ providentiæ, quia dum ſe quis divinæ providentiæ dirigenti ad vitam ſubducit & quaſi ſuffuratur, incidit in providentiam deſtinantem ad mortem : & dum ab ordine benignitatis & miſericordiæ recedit, in ordinem ſeveritatis & juſtitiæ incurrit. Cælum, terra & mare pugnant in impium quaſi fugitivum divinæ providentiæ & juſtitiæ perturbatorem, ait Nicephorus Gregoras.

IX. Cùm providentia nobis intendat, ipſi quoque intendere debemus, ne ingrati videamur. Id inculcat D. Petrus 1. Epiſt. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quia ipſi eſt cura de vobis.* In quæ verba Bernardus ſerm. 68. in Cant. *Annon videtur velut his verbis dictum. Intendite illi, quia ipſe intendit vobis.* Et paulò pòſt ſubdit : *Non enim ille intendit huic, & non iſta illi. Propterea vtrumque ponit, dicens : Ille mihi, quia benignus & miſericors eſt : ego illi, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia : ego illi gratiam pro gratia. Ille mea liberationi, ego illius voluntati. Ille mihi, & non alteri, quoniam ſum columba ejus : ego illi, & non alteri, nec enim audio vocem alienarum.*

x. Cùm Deus toti orbi generatim, homini verò ſpeciatim quaſi parvo mundo ſua providentia ita invigilet, vt eum ad finem fortiter juxtà & ſuaviter ducat: ita homo ſuis cupiditatibus invigilare debet, vt ſenſibus imperans, rationi ſenſus & cupiditates, & rationem Deo ſubjiciat, & ita ad debitum finem perveniat. Hinc Bernard. de gratia & lib. arb. *Forma providentiæ eſt conformatio, vt faciat imago in corpore, quod forma facit in orbe. Porrò illa attingit à fine vſque ad finem. Sic ergo liberum arbitrium ſuo conetur eſſe corpori, attingens & ipſum à fine vſque ad finem; ſcilicet ſingulis ſenſibus.*

§. VII. *Diluuntur objecta contra divinæ providentiæ extantiam.*

EX objectis, quæ divinam providentiam impugnant, quædam petuntur ex Deo ejuſque attributis; quædam ex hominum conditione, ipſiuſque mundi adminiſtratione; quædam ex effectis quæ in mundo apparent: præcipuis breviter occurro.

Objicies 1. Illa perfectio non eſt admittenda in Deo, quæ quieti illius officit, immutabilitatem lædit, juſtitiam tollit & ſanctitatem: providentia, ſi quæ ſit in Deo, eſt perfectio, quæ felicitati ejus & quieti officit, immutabilitatem lædit, juſtitiam tollit & ſanctitatem: ergo non datur in Deo providentia. Minoris quatuor ſunt partes.

Probatur prima apud Tullium 1. de natura Deorum, à quodam Epicuri diſcipulo. Si in ipſo

mundo Deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſervet, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſque tueatur; næ ille implicatus moleſtis negotiis & operoſis.

Secunda: ſi Deus providet rebus noſtris, vtique ab æterno providere debuit: at ab æterno non exercuit providentiam, cùm extra ipſum nihil extiterit, cui invigilaret: quomodo ergo cœpit rebus providere, cùm antea non provideret, abſque ſui mutatione?

Tertia: ratio juſtitiæ in eo non apparet, qui malos bonis permixtos vivere patitur, juſtos miſeriis premi ſinit, cùm ſceleratiſſimi bonis affluant ac deliciis: Deus malos bonis permixtos vivere patitur, juſtos miſeriis premi ſinit, cùm ſceleratiſſimi bonis affluunt ac deliciis: ergo in Deo nulla ratio juſtitiæ apparet.

Quarta: ſanctitas tollitur per peccata, quia ipſi oppoſita: ergo ſanctitas Dei cum tot peccatis, ad quæ concurrit, ſtare nullatenus poteſt.

Ad 1. reſp. Dei quietem juxtà ac felicitatem ex attenta providentia nullatenus turbari, quia in ſe ipſo manens idem ſtanſque ſemper cuncta diſponit, vtpote actus puriſſimus & ipſa ἐνέργεια *providentia*, inquit D. Dionyſius. *Officia & actiones, dum ſtat, immobilis peragit: atque dum providet in ſua ſtabilitate, divina ratione natura, omnino mirabiliter manet.*

Reſpond. 2. ſi Deus non mutatur per rerum productionem, multò minùs mutari per providentiam. Duo diſtinguenda in providentiæ negotio; ipſa ratio providentiæ interior, quæ eſt

tota in Deo ab æterno, immo & ipſe Deus; & gubernatio mundi, quæ eſt executio providentiæ ipſius; illa fuit ab æterno in Deo, hæc cœpit in tempore exiſtere cum mundo, perſtatque adhuc, dum Deus res jugiter ſervat, & cum cauſis ſecundis concurrit, ac ſingula ſuos in fines diſponit. Porrò Deus ſic agendo non mutatur, ſed mutat. *Deus ipſe*, inquit Tertull. lib. de Trinit. *Vniverſa ſinu perfectæ magnitudinis & poteſtatis includit, intentus ſemper operi ſuo, vadens per omnia, movens cuncta, vivificans vniverſa.*

Ad 3. Ideo mali bonis permixti vivunt, vel vt mali bonorum ſaluti inſerviant, vel vt eorum exemplo mutentur in melius, vel vt vitiis & malis juxta ſe poſitis, non ſolùm notiora, ſed etiam perfectiora appareant bona: ſic qui hortos colunt, fragrantibus fœtida, amaris dulcia ſolent admiſcere, vt quidquid humoris pravi terræ eſt admixtum, hoc illa naturali quadam cognatione ad ſe trahentia, ſincerum ac prope defæcatum humorem halitumque meliorem radicitus relinquant: Certè nemo niſi imprudens, pictorem reprehendit, quòd non vbique vividos & maximè illuminatos colores adhibeat: nec drama quiſquam vitii arguat, quòd non omnes in eo ſint heroës. Et quiſquam Deum reprehendere audeat, quòd vbique bona non ponat, ſed mala bonus admiſceat? *Aurifex*, inquit Auguſtinus, *portat, appendit, aurifex librat, pictor novit, vbi ponat nigrum colorem, vt ſit decora pictura & Deus neſcit, vbi ponat peccatorem, vt ſit ordinata creatura?* Auguſtino conſentit Theodoretus lib. 9. contra Græcos: *Qui varietatem iſtam & differentiam moleſtè ferunt*, *quòd non omnes*

eorumdem ſimus participes; pictores redarguant, quòd non vno colore pingant, ſed variis imagines ſuas diſtinguant: accuſent & cythararum artifices ſimul & muſicos ipſos, quòd non æqualem chordæ ſonum reddant.

Malis proſpera multa contingunt in hac vita, ne ſua virtutibus moralibus, quas identidem exercent, merces deſit: bonis quædam adverſa: quia Deus virtutem juſtorum non ex toto compenſat in hac vita, ſed mercedem ſervat in altera. Unde animæ immortalitatem colligunt SS. Patres. *Perſpice*, inquit Cyrillus Hieroſolymit. *& iſtud. Multi homicidæ in lecto impunè defuncti ſunt, vbi igitur Dei juſtitia? Sæpe autem qui homicidia quinquaginta patravit, tantùm capite plectitur. Vbi igitur illorum quadraginta novem pœnas dabit, niſi poſt hanc vitam fuerit judicium & retributio?* Hinc providentia circa impiorum proſperam fortunam & adverſam juſtorum, partim naturalis eſt, partim ſupernaturalis. Deinde ipſe Seneca huic argumento reſpondet de provident. aitque ea quæ videntur mala bonis, primùm pro illis eſſe; id eſt, prodeſſe potiùs quàm nocere; deinde pro vniverſis, quia cæteris exemplis præeunt ad mala perpetienda; poſthac volentibus accidere. Denique eadem lege bonis evenire, qua boni ſunt. Itaque juſtos rebus adverſis Deus vexari patitur, ut virtus tot exercita caſibus, illuſtrior evadat, vt Jobo accidit; vel vt inde majus bonum exiſtat: ſic ex ſcelere Judæorum ſalus hominis ſecuta eſt; vel vt iis ipſis qui patiuntur, perpeſſio ſit ſalutaris. Hinc placitum in Theologia: Proviſor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ ſubditur, quantùm

poteſt; ſed proviſor vniverſalis, qualis eſt Deus, permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidente, ne impediatur bonum totius; defectus enim vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniverſi.

Ad 4. nego ex tot hominum peccatis, ad quæ Deus tanquam cauſa vniverſalis concurrit, ſanctitatem illius violari. Ratio eſt, quia concurrit vt cauſa vniverſalis, determinata à cauſa particulari; contra inclinationem ſanctitatis; vellet enim, etiam cùm peccata fiunt, non fieri à peccatore, ideóque gratias largitur, quibus, ſi velit, à peccato abſtinere poſſit.

Objicies 2. Providi gubernatoris eſt peccandi licentiam coercere, & probos tueri: Deus peccandi licentiam non coercet, nec probos tuetur; dominantur enim ſæpius improbi, beati ſunt ac florentes, bonis miſerè afflictis & oppreſſis.

Reſp. diſt. providi gubernatoris eſt peccandi licentiam coercere, ſi particularis ſit, eſto; ſi ſupremus & vniverſalis, cujuſmodi Deus eſt, nego. Ratio petitur ex pronuntiato, quod mox attuli; proviſoris enim vniverſalis eſt ſinere, vt res ſuis inſtructæ facultatibus, ſuis ferantur motibus, vt ad virtutem ſponte & vltro, non neceſſariò tendamus, non omnem omnino peccandi licentiam reprimere. *Bonum totius*, inquit D. Thom. contra Gent. lib. 3. cap. 71. *praeminet bono partis. Ad prudentem igitur gubernatorem pertinet negligere aliquem defectum bonitatis in parte, vt faciat augmentum bonitatis in toto.* Deinde vt propoſita à Deo præmia valent multùm ad excitandum virtutis ſtudium in juſtis; ita propoſita

ſupplicia ſatis ſunt ad hominum animos ab omnibus flagitiis deterrendos. Quid ad vitam ſanctè traducendam potentius, quàm æternæ gloriæ poſſeſſio à Deo propoſita? Quid ad fugam peccati valentius, quàm æternitas pœnæ conſtituta? Quid quòd Dei benignitas maximè commendatur, dum peccata tardiùs vlciſcitur, & impios ad pœnitentiam expectat, magnumque bonorum temporalium contemptum ingenerat, dum improbis largitur?

Objicies 3. Ubi eſt major induſtria vel potentia, ſæpe ibi ſucceſſus fortunatior, quàm vbi major juſtitia & æquitas: ergo id argumento eſt, rerum eventus non divinæ providentiæ, ſed majori potentiæ aut induſtriæ tribui oportere.

Reſp. huic argumento jam ex parte à me ſatisfactum, dum monui id à divina providentia conſtitutum, vt permittat res ſuis agi motibus, quandiu in hac vita ſumus. Deinde falſum eſt, conatus impiorum ſemper ex voto ſuccedere, licèt potentia & induſtria valeant. Quàm multi, cùm floruere aliquandiu, ex beato florentique ſtatu dejecti, & qui cùm ſe altiùs extuliſſent, præcipites acti ſunt? Quid Nabuchodonozore potentius? tamen poſt tot gentes ſubactas, ad ferinam vitam redactus eſt: Cyrus poſt tot victorias à Scythis occiſus: Romani poſtquam orbem ſubegere, inteſtinis bellis afflicti, multiſque attriti cladibus in prædam aliis ceſſere. Dominus quippe diſſipat conſilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum; conſilium autem Domini in æternum manet, & cogitationes ejus in

generationem & generationem.

Objicies 4. Si divina providentia certa & efficax eſt, ſtare non poteſt cum libertate noſtra, quia per decretum efficax læditur.

Reſp. per ſcientiam conditionatam voluntatis noſtræ nutus & propenſiones à Deo explorari, tum offerri ab eodem omnipotentiam ad agendum paratiſſimam, ſi velit: vnde decretum, quo Deus ſtatuit agere ad extra, eſt conditionatum reſpectu voluntatis creatæ; & ita voluntas noſtra ſemper manet actus ſui domina: vnde patet quàm ſuaviter Deus nobiſcum agat. Quomodo autem ſtet libertatis noſtræ indifferentia cum concurſu Dei, fusè explicuimus tom. 1. Phyſ. vniverſ. part. 2. diſp. 5. art. 3. §. 3. pag. 321.

Objicies 5. Si providentia mundum regit, 1. cur tantam in mundum creaturarum inæqualitatem induxit? 2. cur monſtra permiſit, quæ mundum deturpent potiùs quàm exornent? 3. cur tot ſpecies rerum in mundo ſuperfluæ, immo & noxiæ?

Reſp. ad 1. cum D. Thoma 1. part. quæſt. 47. art. 2. hanc creaturarum inæqualitatem non modò mundi pulcritudini non obeſſe, ſed commendare plurimùm atque illuſtrare, quia hanc inæqualitatem totius mundi ſtructura & ordo poſtulabat, nec vllum eſſe ens adeo abjectum, ex quo conditoris gloria non maximè eluceſcat. Hinc Plinius vel vnius oſtreæ teſtaceum integumentum magnificè deprædicat lib. 9. cap. 33 *Tot ibi colorum differentiæ*, inquit, *tot figuræ planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim in-*

torto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato. jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, canaliculatim, pectinatim diviſa, imbricatim vndata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, dentata, porrecta, ſinuata, brevi modo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis.

Ad 2. Licèt monſtra à rectitudine ſpeciei, quam natura primò & per ſe intendit, deficiant, non tamen omni prorſus pulcritudine carent, ſicut nec eſſentiali perfectione deſtituuntur; immò ad mundi elegantiam de ſuo aliquid conferunt. Ut enim vmbræ & Zeuxidis vvas & Parrhaſii linteum, & Apellis Alexandrum fulmine armatum mirè illuſtrant, colores animant, & eorum venuſtatem altiùs extollunt: ita & monſtroſi naturæ partus mundi elegantiam non parum exornant, quia oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Quin etiam ipſa peccata, vt jam monui, deformitatis maculam mundo non ita inurunt, vt nihil ad ornatum ejus conferant. *Novit enim Deus etiam injuſtos juſtè ordinare, vt ſi ipſi per iniquitatem voluntatis ſuæ malè vſi fuerint bonis illius, ille per juſtitiam poteſtatis ſuæ bene vtatur malis ipſorum, rectè ordinans in pœnis qui ſe perversè ordinaverunt in peccatis.*

Ad 3. nego quidquam ſuperfluum eſſe in mundo; id enim ſuperfluum & inutile cenſetur, quod ad nullum omninò finem conducit: at nihil eſt in hoc orbe, quod non commodi & vtilitatis quidpiam pariat, aut ſaltem parere poſſit, ſi eo congruè & ſapienter vtamur. Quin etiam nullum planè ens phyſicum vndequaque noxium & exitiale, vt obſervat doctiſſimus Pater Kirche-

rus in Scrutinio Phyſico-Medico contagioſæ luis ſect. 3. cap. 6. *Nullum*, inquit, *latet in naturâ rerum toxicum adeo truculentum, quod non ſtatim antagoniſtam reperiat ferocienti naturæ contrarium, veneníque deſtructivum. Ipſum animal toxico turgidum ſecum portat, & intra ſe continet ſeminaria quædam veneni proprii deſtructiva Hinc vipera à ſe morſu intoxicatos propriæ ſubſtantiæ ſuæ vigore ſanat, ſcorpius intritus vulneri, quòd morſu effecerat, venenum, quod vulneri infuderat, ad ſe retrahit. Canis rabidi vulnus aliis inflictum tutiùs non curatur, quàm hepatis canini eſu; & ſic de ſingulis judicum eſto. Ita bufo ſeu rubeta ſole exſiccata, vbi tuberibus peſtiferis applicatur, humorem noxium attrahit, ægrumque ſanat. Morſibus aranei medetur araneus, apum aculeos ſanat mel terreſtre virus in ſe colligunt ſerpentes, aquaticum dipſades, aërium araneæ duplici officio attrahunt, dum ſibi conſulunt; nam ipſis cedit in alimentum; & dum à nobis, quod foret detrimento, avertunt. Ita erucæ, bruchi, papiliones, locuſtæ, aliaque id genus inſecta, dum plantis ac fruticibus inſident, per qualitates ſibi proprias noxia exugunt, vt minùs noxium herbæ & olera nobis præbeant alimentum.* Ipſas etiam animantes, quas vulgò noxias appellamus, quadrifariam homini commodas eſſe pugnat Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 17. *Quia ipſum pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut vtiliter probant, aut ignoranter docent.* Ipſa, quod vix credas, materia fœcundum quoddam eſt pulcritudinis ex mirabili rerum ſibi ſuccedentium varietate effloreſcentis ſeminarium, dum varias ac multiplices formas induit, quibus natura fœ-

cunditatem ſuam commendat. Ne ſilvæ quidem, horridiorque naturæ facies medicinis caret, ſi Plinium audimus lib. 24. cap. 1. ſacra illa parente rerum omnium nuſquam non remedia diſponente homini, vt medicina fieret etiam ipſa ſolitudo.

Objicies 6. Multa ſunt fiuntque in rerum natura, quorum ratio reddi non poteſt; multa etiam inutiliter facta apparent: ergo ſine Dei providentia hæc omnia eveniunt.

Reſp. diſtinguo ant. quorum ratio reddi non poſſit ab hominibus, tranſeat, à Deo qui eſt auctor eorum, nego. Ratio eſt, quòd homines partem divini operis tantùm ſciant. At non ſatis eſt vnius duntaxat partis, aut aliquarum cognitionem habere, vt de toto opere ſanè & integrè judices; qui enim ſolùm cognoſcit partem, ſi reliqua ignoret, ejus vſum comprehendere non poteſt. Exemplo cytharæ rem illuſtrat D. Irenæus, cujus ſi ſolam chordam audis, res tibi vibebitur inſulſa & artis omnino expers: v. g. ſi ſolam gravem, haud dubiè te offendet: quare ſingularum concentum audire te neceſſe eſt, vt ſanè judices. Inſipienter igitur Dei providentiam negant, quamvis multa non intelligant, aut plura ipſis inutiliter facta appareant: hinc ſapienter obſervat Nemeſius cap. 14. nefas omnino eſſe negare providentiam, quia conſilia ejus non aſſequimur: ſicut ſi aliquis negaret eſſe mare, quia illius immenſitatem dimetiri nequit; aut ſi negaret arenam, quia illam numerare non poteſt.

Denique memineris ad extremum, quàm periculoſum ſit divinæ providentiæ ſe ſubducere &

ſuffurari velle : ſiquidem ex Sap. 17. *Indiſciplinata animæ erraverunt, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.*

Poſtularet ordo doctrinæ, vt de providentia ſupernaturali, ſeu de prædeſtinatione, quæ eſt altera pars providentiæ nobiliſſima, ageremus. Sed cùm hæc ſit juris theologici, ideo ad Theologos remittimus, de juſtitia ſtatim acturi.

ARTICULUS IV.

De juſtitia Dei.

CERTUM eſt dari in Deo juſtitiam, cùm paſſim in Scripturis juſtus nuncupetur: *Iuſtus*, quippe *Dominus & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*, Pſalm. 10. *Deus juſtus & rectus*, Deuter. 32. Sed cùm ſit multiplex juſtitia : altera legalis ſeu generalis ; altera particularis, quæ ſub ſe diſtributivam, commutativam & vindicativam complectitur ; quæritur hîc quænam juſtitia Deo conveniat.

§. I. *An ſit in Deo juſtitia generalis ſeu legalis.*

I. OBSERVATIO. NOMINE juſtitiæ legalis ſeu generalis, intelligitur virtus quæ complectitur omnem virtutem, quatenus legibus congruit, ſeu quæ actum legibus æqualem reddit ; vnde legalis appellatur. Dicitur ab Ariſtotele ὅλη ἀρετή, *omnis virtus*, ſaltem impe-

rativè, quatenus virtutes omnes ordinat ad bonum commune; cujus ipſa procuratrix eſt.

II. OBSERVATIO. Juſtitia hoc ſenſu accepta, definitur tum poſitivè, tum negativè; poſitivè quidem à D. Anſelmo Dialogo de verit. c. 13. rectitudo voluntatis propter ſe ſervata: negativè autem ab Auguſtino ſerm. 59. de Temp. juſtitia non aliud eſt quàm non peccare; non peccare autem, legis præcepta ſervare; ſtrictiùs in Ethica vniverſ. part. 6. diſp. 3. art. 3. definivimus: conſtans & perpetua voluntas, qua pars tribuit quod debet toti, vel totum quod debet parti: vnde finis proximus hujus virtutis eſt perfecta vnio tum membrorum inter ſe, tum cum ſuo capite; ſimpliciter vltimus, beatitudo politica ſeu commune bonum. Dicitur generalis, 1. generalitate prædicationis, quia ſicut virtus de qualibet virtutis ſpecie prædicatur, ita juſtitia de quolibet actu honeſto, quatenus legi conformis eſt & ad bonum commune refertur. 2. Generalitate collectionis, quatenus complectitur omnes virtutes, quarum ſi vna deſit, homo dicitur iniquus, quia non adæquat obligationem legis. 3. Poteſtate movendi & imperandi virtutes in ordine ad bonum commune. Ut eſt in principe, dicitur architectonica ſeu imperans; vt eſt in ſubditis, exequens, ſeu adminiſtra. His obſervatis, ſit

I. ASSERTIO. Juſtitia generalis, vt importat conformitatem cum lege, & eſt complexio omnium virtutum, Deo ineſt.

Probatur 1. Quia voluntas Dei ab intrinſeco & ex natura ſua eſt omnino conformis legi æternæ, itáque juſta & recta, immo ipſa rectitudo per ſe ſubſiſtens, & omnis recti regula. 2. Deus

omnium virtutum honeſtates, quæ nihil habent imperfectionis admixtum, ſive diviſim, ſive collectim ſumantur, in ſe continet: ergo & juſtitiam legalem, quæ eſt virtutum omnium complexio, in ſe includit. Denique juſtitia legalis preſſiùs ſumpta, quatenus eſt in principe extrinſeco, eſt perfectiſſima juſtitia, vtpote providentia quædam & communicatio bonitatis illius, ſeu juſtitia providentialis: ergo in Deo reperitur, etiam formaliter.

Dixi in principe extrinſeco, non intrinſeco: quia juſtitia vt eſt in principe intrinſeco, imperfectionem perinde includit atque in ſubditis, quia princeps intrinſecus pars quædam eſt communitatis; extrinſecus non item, quia eſt extra communitatem.

Dixi præterea, Deum continere in ſe omnes virtutum honeſtates, quibus nihil imperfectionis ineſt. Nam virtutes imperfectæ Deo nullatenus conveniunt. Ut autem perfectiùs intelligas quænam Deo virtutes tribuantur, decem canones accipe.

I. Virtutes, quæ per ſe moderandis paſſionibus præſunt, non ſunt propriè in Deo. Probatur, quia ejuſmodi virtutes pertinent ad partem ſentientem, quæ in Deo nulla eſt, cùm ſit ſubſtantia prorſus incorporea. Deinde nec Deus tranſmutatur, nec impetum patitur: ergo paſſionis expers; ergo virtute cupiditatum moderatrice nihil opus habet. Hinc

II. Nec temperantia, nec fortitudo Deo convenit, niſi metaphoricè. Non temperantia cum ſuis partibus, quia tota eſt circa bonum delectabile & jucundum ſenſui: non fortitudo ſtri-

ſtè ſumpta, quia nihil eſt Deo formidoloſum; nec periculum ipſi imminet. Hinc Ariſtoteles lib. 10. Ethic. cap. 8. fortitudinem & temperantiam à Deo removet, quòd nec pravas cupiditates habeat, nec formidoloſa ſuſtineat. Conſonat Ariſtoteli D. Thom. 1. part. quæſt. 21. art. 1. vbi ait, *virtutum moralium quaſdam eſſe circa paſſiones; ſicut temperantia circa concupiſcentias: fortitudo circa timores & audacias; manſuetudo circa iram. Et hujuſmodi virtutes Deo attribui non poſſunt, niſi ſecundùm metaphoram.*

III. In Deo non eſt fortitudo, manſuetudo, clementia, patientia & longanimitas, niſi metaphoricè. Dicitur quippe fortis, quatenus vi ſuæ omnipotentiæ vincit quæ creaturis intellectualibus impoſſibilia ſunt, aut admodum difficilia, vt 1. Reg. cap. 2. *Non eſt fortis, ſicut Deus noſter.* Manſuetus, quia non facilè, nec ſubitò vindictam ſumit ob injurias ſibi illatas. Certè nemo eſt, qui animo moderatiori & tranquilliori injurias ſibi illatas ferat, quàm Deus, quippe qui citra perturbationem omnem ſit. Clementia, quatenus temperat poteſtatem vlciſcendi & pœnas moderatur. Patientia, non prout conſervat bonum rationis contra impetum triſtitiæ, quia nullis malis quæ triſtitiam pariunt, obnoxius eſt; ſed prout injurias non ſtatim vlciſcitur, ſed ad pœnitentiam expectat aut provocat. Longanimitas, non quatenus triſtitiam ad longum tempus comprimit, impeditque, ne malis, quibus premitur, ratio perturbetur; ſed quatenus ad longum tempus differt vindictam, diuque ad pœnitentiam expectat.

IV. Quæcumque virtutes includunt ſubjectio-

nem inferioris ad ſuperiorem; Deo non conveniunt, quia repugnant ſummæ ejus independentiæ. Hinc Hebr. 6. dicitur non habere majorem, & Pſalm. 45. *Deus deorum dominus.*

v. Itaque nec religio, nec ſpecies illius, cujuſmodi ſunt reverentia, cultus, oratio, adoratio, obedientia & gratitudo, in Deo propriè admittuntur: quia inclinant ad actiones quæ diſponunt ſubditos ad ſuperiores. Confirmatur præſertim de gratitudine. 1. Quia gratitudinis munus eſt gratiam reddere ei à quo beneficium acceperis: Deus quia ſibi ſufficientiſſimus, non poteſt ab vlla creatura beneficium accipere, beneficium enim eſt vtile percipienti, ejuſque indigentiam ſublevat: inde Paulus Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et Job. 35. *Si juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* 2. Si Deus gratus in creaturam ſuam eſſe deberet, vel propter bona opera, quæ facit in Dei gloriam ex præcepto: vel propter bona opera ſupererogationis & conſilii. Non ob bona opera ex præcepto, quia herus non debet gratus eſſe in ſervum, dum imperata exequitur. Meritò itaque Chriſtus Luc. 17. ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* Non ob bona opera ſupererogationis, quia ſunt dona Dei principaliter operantis, homini ad illius vtilitatem conceſſa: vnde Deus ex Auguſtino dicitur *coronare dona ſua*, dum merita noſtra compenſat.

Dices 1. In nobis voluntas obedit rectæ rationi: ergo & Dei voluntas obedit legi rationis divinæ. 2. Herus incurrit gratitudinis debitum

erga ſervum, qui præſtat obſequia nec imperata, nec debita. Ex Seneca quem citat D. Thom. 2. 2. quæſt. 106. art. 3. ad 4. *Quandiu ſervus præſtat, quod à ſervo exigi debet, miniſterium eſt: vbi pluſquam quod ſervo neceſſe eſt, beneficium eſt. Vbi enim in affectum amici tranſit, incipit vocari beneficium; & ideo etiam ſervis vltra debitum facientibus gratiæ ſunt habendæ.*

Reſpond. 1. Diſpar ratio eſt, quòd dum voluntas dictamini rationis noſtræ obedit, legem Dei æternam & nobis ſuperiorem manifeſtat & quaſi promulgat: at ratio Dei ſuprema cùm ſit, non habet aliam ſuperiorem legem, quam promulgare poſſit & debeat.

Ad 2. Dum ſervus præſtat pluſquam ratio miniſterii exigit, beneficium eſt, quia tranſit in affectum amici, & cedit in commodum domini id ipſum quod præſtat ei; ideóque herus gratias illi agere debet. At dum opus conſilii exequimur, 1. id totum quod præſtamus, cedit in commodum noſtrum, non Dei. 2. Opus quod Deo exhibemus, donum eſt quod à Deo accepimus. Quamvis ergo ceſſaret in nobis ratio debiti, cùm opera ſupererogationis exequimur, adhuc ſervi inutiles eſſemus, quia Deo nihil commodi afferunt. Addo & ampliùs in ejuſmodi operibus eſſe aliquam rationem debiti, quæ Deum proinde ab omni debito eximit, tum quia debita noſtrarum culparum nullis operibus ſupererogationis perſolvimus, niſi Deus ipſe ſolutionem admittat: tum quia opera ſupererogationis vagè & vniverſim à Deo præcipiuntur, quamvis determinatè & in particulari ſub præcepto non obligent: tum quia quælibet opera, ex

ex hypotheſi quòd fiant, Deo vt creatori & vniverſaliſſimo domino debentur, cujus ſunt omnes partes, potentiæ & operationes hominum: quî fit vt ratio debiti non minùs ſit eſſentialis hominibus, quàm ratio creaturæ. Hinc

Duo inferuntur. 1. Quò plura bona opera homines præſtant, eò magis creſcit obligatio gratitudinis erga Deum, quia ſunt nova Dei beneficia. 2. Debitum gratitudinis, quo Deo obſtringimur, nunquam exhauriri poteſt, quia illud debitum creſcit ipſa gratitudine, quæ Dei beneficium eſt; deinde quia beneficio creationis & conſervationis parem referre gratiam non poſſumus, multò minùs beneficio redemptionis.

Inſtabis: Saltem in Trinitate vnius perſonæ gratitudo erga alteram poteſt eſſe, quia vna perſona dicitur dare alteri, & altera recipere.

Reſp. Nego, quia gratitudo reſpicit ex natura ſua beneficium gratuitum, non neceſſarium, aut debitum: at quod perſona vna tribuit alteri, eſt naturaliter & neceſſariò debitum. *Nihil quippe ibi eſt*, in Trinitate, *juxta donum largientis gratia, ſed totum juxta proprietatem exigentis natura*, inquit Richardus Victor. lib. de Trinit. cap. 1. Breviùs D. Baſilius lib. 4. contra Eunom. *Pater naturâ, non conceſſione.*

VI. Quæcunque virtutes includunt aliquam imperfectionem, aut aliquam ſupponunt in ſuppoſito, Deo propriè non inſunt: quia Deus eſt ens ſine omni non ente: ergo ſine imperfectione; Hinc pœnitentia non eſt in Deo, quia dolor de peccato præterito cum propoſito non peccandi in futurum, eſt actus imperfectus, ſupponitque eum à quo elicitur, eſſe peccato obnoxium. Nec

juſtitia commutativa, vt poſtea oſtendemus: nec vrbanitas, cujus eſt ſcurrilitatem & ruſticitatem moderari, quæ à Deo procul abſunt:

VII. Quæcunque virtutes nullam includunt imperfectionem, aut ſupponunt in ſubjecto, Deo propriè conveniunt: quia ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, quas proinde Deo melius eſt habere quàm non habere; hinc in Deo propriè liberalitas datur, quatenus proprium eſt hujus virtutis dare alteri, non propter aliquod dantis commodum, quod ex donatione expectetur, ſed propter ipſam bonitatem & convenientiam donationis: at Deus hoc modo largitur. Nec enim vllum commodum ſperat ex largitionibus; ſed vult tantùm facere quod decet bonitatis fontem; & aliunde donatio Dei longiſſimè diſtat à debito: v. g. dum homo homini largitur, hoc aliquatenus debet communioni ſanguinis, ſimilitudini ſecundùm naturam, aut quòd ſit ejuſdem communitatis, ſaltem ſub vno capite & gubernatore Deo: at Deus nemini debet hoc genere debiti: itaque omnis donatio quæ fit à Deo, eſt maximè liberalis; ea præſertim quæ naturis intelligentibus primam gratiam largitur, quæ ipſis prorſus indebita eſt, tum phyſicè, tum moraliter. Nec refert, quòd Ariſtoteles diis ſuis liberalitatem abjudicet, nec Deus dum largitur, ſe dominio abdicet. Ariſtoteles enim ibi de liberalitate loquitur, quæ pertinet ad vitam activam, quæ non poteſt efficere beatitudinem eſſentialem deorum, quæ in contemplatione ſita eſt. Deinde quòd homo dando, abdicet ſe dominio, imperfectionis eſt, quæ ex limitatione dominii creati oritur; quòd autem

Deus ſe totali dominio abdicare non poſſit, perfectionis. Dixi, totali: nam Deus confert aliquod genus dominii particularis, tum voluntatis, tum rerum quæ voluntati ſubjiciuntur. vnde Religioſus dominium ſui in Deum transfert per vota. Magnificentia Deo quoque convenit, & quidem perfectiùs quàm homini; cùm enim magni ſumptus faciendi ſint, & reſpectu hominis induant ſæpè rationem ardui ac difficilis objecti, Deo nulli ſumptus ardui ac difficiles, quippe qui indigentiam non timeat.

Benignitas, quæ affinis liberalitati, Deo quoque tribuitur, Græcis χρηστότης. Deus quippe tripliciter bonus dicitur, ratione perfectionis naturæ, ratione ſanctitatis, ratione beneficentiæ. De bonitate naturæ & ſanctitatis jam diximus. Hîc pauca de benignitate ſubjicimus.

Ut quidlibet in entitate perfectiſſimum, ita & ſui prodigum; bonitas quippe fœcunda, ſe communicandi avida, gaudet factura ſui quæſtum, ſe profundere: duplex autem communicatio; vna neceſſaria & naturalis, in qua communicatur natura: altera libera, quâ ſe Deus ad extra communicat: illa integra & perfecta; hæc imperfecta & diminuta; hinc divinæ eſſentiæ duplex propenſio: prima ad communionem ſui infinitam, non productione quidem eſſentiæ numero diſtinctæ, ſed velut replicatione ſui ipſius in tribus perſonis, non naturâ, ſed hypoſtaſibus diſtinctis: ſecunda ad communicationem liberam inclinat: prima propenſio fœcunditas appellatur, ſecunda benignitas, inquit Leſſius: quæ eſt naturalis Dei propenſio ad ſe communicandum creaturis pro cujuſque captu. Ortum ducit

ex; bonitate naturali, ipſa amoris, quo Deus in creaturas fertur, parens. Hæc virtus Deum ad condendos Angelos & homines excitavit, vt lapſos homines à peccatis revocaret, effecit, redeuntes non duriter, ſed benignè excipit, cunctantes patienter exſpectat, & ad pœnitentiam blandiùs invitat, nihilque requirit à nobis quod vires noſtras ſuperet. *Benignitas Dei*, inquit Paulus Rom. 2. *ad pœnitentiam adducit.* Sed effectus hujus benignitatis omnium maximus eſt Verbi divini incarnatio, ex Bernard. ſerm. de Nativit. *Quando*, inquit, *Deus Pater nobis Filium ſuum dedit, tunc Dei benignitas apparuit, quæ non potuit ampliùs declarari, neque abundantiùs exprimi, neque evidentiùs commendari.*

His accedit veracitas, quæ in Deo ſumma, & de qua jam egimus. Deinde fidelitas. *Fidelis* enim *Dominus in omnibus viis ſuis.* Pſalm. 144. Certè Deus non poteſt voluntatem, quâ ſe aliquid facturum recepit, mutare, quia immutabilis; nec mentiri, dum promittit, quia ſummè verax: nec decipi ipſe poteſt, judicando ſe poſſe facere aliquid, quod fieri non poſſit, cùm ſapientiſſimus ſit; & præſtare poteſt quod promittit, quia omnipotens: ergo Deus eſt ſummè fidelis.

VIII. Quia Deus eſt vniverſaliſſimus dominus, ideo virtutes illius vniverſaliores ſunt & altioris ordinis: Hinc divina liberalitas ita largitur, vt ſe proprio dominio non abdicet; creata ſe ſæpiùs abdicat; hæc bona tantùm temporalia, illa etiam ſpiritualia & æterna largitur: divina miſericordia à miſeria nihili, mortis & peccati liberat, humana non poteſt.

IX. Quia Deus ſimpliciſſimus, virtutes in eo

ſunt vt actus, non vt habitus, in quo virtus creata à divina deficit.

x. Virtutes morales ſivè quæ propriè, ſive quæ metaphoricè Deo tribuuntur, diſtinguuntur ſpecie morali: quia diverſam habent cum recta ratione conſonantiam: ſic liberalitas à magnificentia diſtinguitur in Deo. Licèt enim vtraque faciat quod decet divinam bonitatem, ſapientiam & potentiam; tamen magnificentiæ eſt magna facere, abſtrahendo ab exiſtentia perſonæ; liberalitatis autem, largiri perſonæ jam exiſtenti: ſic manſuetudinis metaphora ſignificat in Deo voluntatem remittendi vindictam, quam de propriis injuriis ſumere poſſet; & clementiæ metaphora importat volitionem Dei vt judicis temperantis pœnas quæ reis ex lege debentur. Sed de virtutibus divinis in communi ſatis, jam ad juſtitiam legalem redeat oratio, & ſit

II. Assertio. Juſtitia legalis in Deo eſt ſuperioris ordinis ad quamlibet juſtitiam creatam, ideóque cum ea comparari non poteſt.

Probatur: quia complexio virtutum, quas juſtitia generalis complectitur, pura eſt in Deo, nullique imperfectioni admixta: vnde Job. 4. *Numquid homo Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir?* & D. Hieronymus epiſt. ad Damaſ. *Omnium vniverſa juſtitia, non eſt Deo collata juſtitia* Porrò hæc juſtitia nihil eſt aliud quàm ſanctitas omnem virtutem & bonitatem moralem formaliter & eminenter complectens ex Leſſio, poteſtque ſpectari vel in actu primo, & ſic eſt voluntas divina, quatenus per eſſentiam ſuam eſt recta & conformis legi æternæ in actu primo, tanquam ſuprema & vniverſalis virtus

per ſe ſubſiſtens: vel in actu ſecundo, eſtque amor rectitudinis lege æternâ contentæ, & per intellectum propoſitæ. At

Dices: Si hæc juſtitia eſt in Deo, non poteſt concipi ſine aliqua æqualitate & debito: at Deus nihil debet creaturis: ergo, &c.

Reſp. In illa juſtitia eſſe æqualitatem & adæquationem cum aliquo quaſi debito, quo Deus non creaturis, ſed ſuæ ſapientiæ & bonitati debitor eſt, habétque pro objecto primario Deum ipſum qui eſt vniverſaliſſimum ac præſtantiſſimum bonum; pro ſecundario autem & materiali, bonum vniverſale totius mundi, quod judicat præſtantius particularibus bonis ſingularum creaturarum, ideóque multa permittit monſtroſa & manca in natura, immo & in moribus, vt peccata, vt ſerviant vniverſali bono communitatis.

III. Assertio. Datur juſtitia legalis in Deo architectonica, quæ mundum gubernat. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 21. art. 1. *Sicut igitur ordo congruus familiæ, vel cujuſcunque multitudinis gubernata demonſtrat ejuſmodi juſtitiam in gubernante: ita ordo vniverſi qui apparet, tam in rebus naturalibus, quàm in voluntariis, demonſtrat Dei juſtitiam.* Habes ex hoc loco duplicem eſſe partem hujus juſtitiæ. Per primam Deus rebus omnibus naturalibus providet, & juxta exigentiam cujuſque nativas affectiones, facultatem agendi & ordinem partium tribuit, & quidem abſque vlla promiſſione. Hoc munus juſtitiæ ritè exprimit Tertullianus lib. 2. contra Marc. cap. 12. *Illic conſiſtit bonum, vbi & juſtum. A primordio denique creator tam bonus quàm & juſtus.*

Pariter vtrumque proceſſit. Bonitas ejus operata eſt mundum, juſtitia modulata eſt. Iuſtitia opus eſt quòd inter lucem & tenebras ſeparatio pronuntiata eſt, inter diem & noctem, inter cœlum & terram, inter aquam ſuperiorem & inferiorem, &c. Omnia vt bonitas concepit, ita juſtitia diſtinxit. Hujus etiam juſtitiæ munus eſt reddere præmia & ſupplicia, etiam præſcindendo à qualibet promiſſione, & quolibet ſupernaturali concurſu & gratia, quia operibus moraliter bonis per vires naturæ factis ſuum eſt meritum, cui bona temporalia debentur: ita virtutum Romanorum merces fuit orbis imperium. Quinetiam ex hac neceſſitate reddendi præmia aut ſupplicia probatur animæ immortalitas, & altera vita à SS. Patribus, etiam citra promiſſionem Dei, aut pactum, aut gratiam. *Si Deum juſtum fatemur*, inquit Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio, *nam & hoc negare ſacrilegum eſt, vt bonis præmia, ita ſupplicia malis tribuit.* Juſtitia ſic accepta definitur, affectus tribuendi cuique rei quod ei ad perfectionem naturæ debitum eſt ſeu neceſſarium.

Per ſecundam occupatur Deus circa res liberas, quatenus circa hominis voluntatem ita diſponit omnia, vt liberum ei ſervetur arbitrium, & vt ſupremus dominus reddit vnicuique quod ei propter opera libera debetur. Ex hoc etiam debito juſtitiæ generalis à malitia Deum eximunt SS. Patres, quamvis concurrat cum cauſis liberis ad materiale peccati, quia vt cauſa vniverſalis tenetur ad illas actiones concurſum præbere. Sed vt clariùs munera juſtitiæ legalis, vt eſt in Deo, eluceant, alii quatuor modos diſtinguunt, quibus juſtitia generalis vim ſuam exporrigit.

Primus eſt, quo divina voluntas res hujus mundi in ordine tum naturali, tum ſupernaturali conſtituendo, juſtiſſimè aptiſſiméque in ſuas claſſes diſtribuit, officia ſingulis pro exigentia ordinis partitur. Non enim rerum duntaxat eſſentias creavit Deus, ſed ordinem & habitudinem rerum inter ſe diſponere debuit, cujuſmodi ordo eſt inter elementa, cælos, naturam corpoream & ſpiritalem in rebus naturalibus: aut varietas graduum in eccleſia. Quoſdam enim poſuit Deus in eccleſia; primó quidem Apoſtolos, ſecundò prophetas, tertiò doctores, &c.

Secundus, quo ſingulis rebus, quæ ad perfectionem naturalem opus ſunt, tribuit, putà certam figuram, temperiem, inſtrumenta, vires & dotes pro cujuſque natura, vel potiùs prout ars divini artificis exigebat. Omnia quippe in numero, pondere & menſura fecit Deus.

Tertius eſt, quo omnibus & ſingulis cujuſque operationis propriæ auctor Deus exiſtit, quatenus concurſu ſuo in omnes operationes influit: ita porrò rerum omnium indoli ſeſe accommodat, vt cum neceſſariis neceſſariò, cum liberis liberè agat.

Quartus, quo debita honeſtis operibus præmia, & ſceleribus pœnas viis aliquando occultis, aliquando apertis & patentibus infligit, & ita inordinatas hominum voluntates in juſtum ordinem non minùs ſuaviter quàm fortiter reducit. Ad ejus quippe ſanctitatem pertinet, ſupremûmque, quo toti orbi tanquam divinus gubernator præeſt, dominium, peccata omnia plectere: quod juſtitiæ vindicis eſt, quâ ſibi ipſi quodammodo obſtrictus.

D. Thomas ait ex mente D. Auguſtini, Deum quamlibet creaturam in modo, ſpecie & ordine conſtituiſſe. In modo, quatenus commenſuratur ideæ in mente divina exiſtenti, ad cujus imitationem facta eſt: in ſpecie, quatenus participat naturam & eſſentiam ſibi propriam & ab aliis differentem: in ordine, quatenus mirabili proportione inter ſe conſentiunt vniverſæ creaturæ, cùm ſingulæ ſuum locum, munus & functionem conſtanter retinent.

§. II. *An ſit in Deo juſtitia ſtrictè ſumpta ad creaturas.*

UNICA Obſervatio. Juſtitiæ ſtrictiſſimè ſumptæ nomine intelligitur virtus, quæ reſpicit jus perfectum, ſeu quod eſt alteri debitum ratione juris perfecti, cui niſi ſatisfiat, dicitur fieri injuria. Jus autem perfectum naſcitur ex duplici capite, 1. ex rei alienæ vſurpatione, 2. ex officio diſtribuendi certa quadam proportione bona commuuia. Primum jus fundat juſtitiam commutativam, ſecundum diſtributivam: illa conſtituit æqualitatem rei ad rem, hæc æqualitatem proportionis ad proportionem.

Quatuor ſunt ſententiæ celebriores. Prima negat dari in Deo juſtitiam ſtrictè ſumptam, ſive commutativa ſit, ſive diſtributiva, & generalem duntaxat attribuit. Secunda agnoſcit juſtitiam propriè dictam & commutantem & diſtribuentem. Tertia juſtitiam commutativam concedit, ſed diſtributivam negat ineſſe, ſaltem quoad ſubſtantiam. Quarta diſtributivam in compenſandis meritis juſtorum admittit, commutativam adimit: qua in ſententia videtur fuiſſe D. Thomas.

I. Aſſertio, Juſtitia ſtrictiùs ſumpta; vt ab Ariſtotele ſumitur, non datur in Deo ad creaturas. Ita Leſſius lib. 13. de juſtitia & ira Dei c. 2. aliique plures.

Probatur. 1. Omnis juſtitia ſtrictiùs ſumpta includit perfectam jurium alteritatem, perfectum debitum retribuendi ex parte debitoris, & perfectum jus exigendi ex parte creditoris: in juſtitia Dei ad creaturas nec eſt perfecta alteritas, nec perfectum debitum retribuendi ex parte debitoris, nec perfectum jus exigendi ex parte creditoris: ergo in Deo non eſt juſtitia ſtrictiùs ſumpta ad creaturas. Minor probatur per partes.

Non eſt perfecta alteritas: quia tunc tantùm alteritas eſt perfecta, cùm vnuſquiſque jus ſuum poſſidet independenter ab altero; ſi enim jus habet dependenter ab altero, non jam poſſidet vt ſuum, ſed vt alienum; hinc inter dominum & ſervum, patrem & filium non eſt perfecta alteritas: creatura non poſſidet jus ſuum independenter à Deo, quia ſemper jus ſuum habet ſub dominio Dei, quod à ſe in creaturam transferre non poteſt.

Non eſt quoque debitum retribuendi in Deo: quia hoc debitum includit jus exigendi in creditore rem ſuam, cùm illam non habet, & de ea ad libitum diſponendi, quando habet, & obligationem in debitore illam retribuendi, & non ampliùs de ea diſponendi: tale jus exigendi & diſponendi non eſt in creatura, & talis obligatio retribuendi & non ampliùs diſponendi Deo repugnat; quacumque enim promiſſione factâ ex parte Dei, & opere oneroſo ex parte creaturæ, ſemper res promiſſa & jus quod in illam creatura acquirit, manet perfectiori modo ſub dominio Dei, quàm ſervus ſub do-

minio domini ſui, qui poteſt de ſervo, deque omni jure ipſius ſine injuria diſponere: ergo & Deus ſine injuria poteſt diſponere de quacunque re creata & de omni jure ab ipſa acquiſito. Ratio à priori eſt, quia Deus eſt perfectus ſuorum bonorum dominus, & antequam ea communicet creaturæ, & poſtquam ea creaturæ communicavit: ergo debet poſſe diſponere de bonis ſuis, non ſolùm antequam communicet, ſed etiam poſtquam communicavit: ergo non cadit in Deum perfectum debitum erga creaturas; factâ ſiquidem quacunque promiſſione, vel conditione operis oneroſi, manet tam perfectus dominus rei promiſſæ & cujuſcunque juris in illam acquiſiti, ac ſi nulla foret promiſſio; hinc poſitâ quacunque promiſſione, Deus poſſet creaturam annihilare, quia manet ſub dominio Dei.

Probatur 2. Deus non obligatur homini ex juſtitia commutativa & diſtributiva ſtrictè ſumpta: ergo non eſt in Deo ſtricta juſtitia erga hominem. Probatur ant. Non obligatur ex commutativa. 1. Quia ſi eſſet juſtitia commutativa inter Deum & hominem, ſtatim homo poſt commiſſum peccatum teneretur pœnitere, ſicut qui alterum graviùs læſit, tenetur ei ſatisfacere quàm primùm poteſt, & niſi faciat, peccat. 2. Quia nihil poteſt Deus accipere ab homine niſi ſuum, & quidem magis ſuum, quàm noſtrum; omnia quippe juſta opera ſunt ipſius dona. 3. Quia licèt nos in nihilum Deus redigeret, aut ad naturalem tantùm beatitudinem eveheret, non faceret nobis injuriam.

Non obligatur etiam ex diſtributiva. 1. Quia diſtributiva juſtitia diſtribuit tantùm communia, Deus autem ſemper diſtribuit ſua. 2. Quia juſtitia diſtributiva ſupponit debitum ortum ex jure

activo creditoris, quod in Deo eſſe non poteſt. Plura ſi aves ſcire, vide part. 5. Ethic. diſp. 3. a. 3. §. 3. vbi fuſiùs probavimus, non eſſe ſtrictam juſtitiam Deum inter & homines.

Ex dictis multa inferuntur. 1. Non fuit ſtricta juſtitia Chriſti, vt eſt homo, ad divinitatem, quia Chriſtus vt homo, erat totus Dei & in illius dominio. Nam titulo creationis paſſivæ, totum eſſe cujuſlibet creaturæ eſt ſui creatoris: ego idipſum quod operatur, debet eſſe Dei; & titulo creationis activæ, Deus vt creator omnium, habet maximũ dominiũ. 2. Non fuit pactum rigoroſum inter Chriſtum, quà homo eſt, & divinitatem; alioqui ſubiiſſet mortem ex lege juſtitiæ, non ex lege obedientiæ. Satisfecit tamen ſecundùm juſtitiæ rigorem, quia pretium obtulit non ſufficiens modò, ſed & excedens, quod ipſa divinitas acceptavit; quod ſufficit, quia attenditur hìc magis æqualitas rerum quàm obligatio perſonarum. 3. Deus ſuâ promiſſione non nobis, ſed ſibi debitor fit, juxta illud D. Auguſtini 1. Confeſſ. c. 4. *Reddis debita, nulli debens.* Accedit Anſelmus in Proſolog. c. 10. *Ita juſtus es, non quia nobis reddas debitum, ſed quia facis, quod decet te ſummè bonum. Sic itaque ſine repugnantia juſtè punis, & juſtè parcis.* 4. Quamvis Deus ſpoliaret beatos ſuâ felicitate, nec bonis operibus vitam æternam tribueret, non ideo injuriam illis ſtrictam inferret, quia nos toti cum jure noſtro in dominio Dei ſumus, nihilque accepit ab illis quod ipſius non ſit, & quod non potuerit pro ſuo jure ſine mercedis ſpe vlla exigere. Diceretur tamen inconſtans, non verax, non fidelis, quia cùm ex benignitate ſpontéque vitam æternam nobis promiſerit, tenetur dare ex lege con-

ſtantiæ, quæ exigit vt ſine cauſa propoſitum non mutet: lege item veracitatis, quæ poſtulat, vt quod dixit, verè efficiat: denique lege fidelitatis, quæ requirit, vt promiſſa impleat: vnde ſibi eſt debitor, hoc eſt, ſuæ conſtantiæ, ſuæ veracitati, & fidelitati, quarum ratione debitor eſt nobis.

II. Aſſertio: Juſtitia paulò latiùs ſumpta, prout debitum includit ſive ex lege juſtitiæ, ſive ex lege vnius fidelitatis, datur in Deo, & quidem perfectiſſimè.

Probatur, quia juſtitia ſic accepta eſt qua operi merces congrua redditur, ſive is qui reddit, lege juſtitiæ obſtrictus ſit, ſive lege ſolius fidelitatis: & is cui redditur, ſui juris ſit, aut in poteſtate reddentis: at talis juſtitia eſt in Deo erga juſtos, dum compenſat illorum merita. Quod vt faciliùs concipias,

Adverte duplex genus promiſſionis: vna eſt merè gratuita, quæ ex mera liberalitate ortum ducit: altera remuneratoria, quæ ex intuitu boni operis præſtiti fit, ideóque ſtrictiùs obligat quàm promiſſio purè gratuita; hinc obligatio indidem nata, ita media eſt inter obligationem gratuitæ promiſſionis, & obligationem ex ſtricta juſtitia ortam, vt major ſit illâ, & minor iſtâ. His poſitis

Probatur minor: Juſtitia ſic accepta, nullam includit imperfectionem; & aliunde continet omnem perfectionem quam habet juſtitia ſtricta: ergo exiſtit in Deo. Antecedens patet, ſi quam enim imperfectionem includeret, maximè quia ſupponeret obligationem ſtrictam ad alterum qui ſui juris ſit: at juſtitia de qua hic agimus, non ſupponit obligationem ſtrictam ad alterum qui ſui juris ſit, ſed obligationem tantùm, quæ in promiſſione remuneratoria fundata ſit: ergo nullam in-

cludit imperfectionem. Aliunde perfectio juſtitiæ ſtrictæ eſt perfectio æqualitatis, & congruentia rerum quam inducit: at Deus quidquid eſt aliqua ex ratione debitum juſtis, ad exactam æqualitatem tribuit: ergo includit perfectionem quæ eſt in juſtitia ſtricta.

Probatur 2. ex Scriptura, quæ paſſim vitam æternam, *mercedem bonorum operum*, *coronam juſtitiæ, & bravium*; vitam præſentem, *ſtadium*, & bona opera, *curſus in ſtadio* nuncupat, vt Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Apocalypſ. 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt; &c.* At hæc omnia juſtitiam Deo ineſſe probant, quæ gloriam intuitu meritorum largitur, elucétque cùm in remuneratione bonorum, tum in punitione malorum, quia præmiat ſecundùm æqualitatem meritorum, & punit juxta proportionem delictorum, ſed ſine debito ſtricto & rigoroſo.

Debiti quippe rigor in remuneratione divina ex multiplici gratia mitigatur. 1. Ex neceſſitate gratiæ prævenientis, ante quam nullum eſt meritum, quod obligationem aut debitum vel ex congruo inducat.

2. Ex promiſſione Dei merè gratuita & liberali; gratuitum quippe fuit beneficium Dei, fœdus ſeu pactum inire cum hominibus inimicis & filiis iræ. Hinc Auctor commentariorum ad Romanos apud Ambroſium c. 2. *Ideo autem juſtitia Dei dicta eſt, quæ videtur eſſe miſericordia; quia de promiſſione originem habet, & cùm promiſſum Dei redditur, juſtitia Dei dicitur.*

3. Ex majori mercede, quâ Deus compenſat merita noſtra, juxta illud Matth. 25. *Quia ſuper pauca*

fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Scripturæ concinit Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 10. *Gratia autem etiam ipſa ideò non injuſtè dicitur, quia non ſolùm donis ſuis Deus dona ſua reddit; ſed quia tantùm etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bona & ex eo data, humanæ voluntatis atque operationis excedat.*

4. Ex gratia juſtificante, quam Deus peccatori reddit, vt debitam meritis de congruo, ſuppoſitâ promiſſione. Hanc gratiam innuit D. Paulus Rom. 4. *David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Vbi Paulus per voces iſtas, *accepto fert*, videtur ſignificare imaginariam ſolutionem, quâ creditor ſimulat debitorem ſibi ſolviſſe, quod reipſa non ſolvit; vt inde anſam accipiat remittendi id quod ſibi debebatur.

5. Ex protectione ſpeciali & viribus ſupernaturalibus, quibus juſti de condigno mereri poſſint.

6. Ex concurſu liberaliter dato à Deo in operibus meritoriis. *Deus* quippe *operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*, Philipp. 2. Hinc ex Fulgentio lib. 1. ad Monim. c. 11. *Gratia eſt & illa juſta retributio, quâ bonis ſuis meliora retribuens, Deus glorificaturus eſt juſtos; & hoc enim gratiæ opus erit: quia vt hoc mereantur, ipſa præveniendo miſericorditer incipit, ipſa ſubſequendo cuſtodit.*

7. Ex miſericordia, quâ venialia peccata juſtis Deus dimittit, quæ bonis operibus admiſcent. Audi D. Gregorium lib. 9. Moral. cap. 11. exponentem illud Job. 9. *Qui etiamſi habuero quidpiam*

juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor. Omnis, ait, *humana juſtitia injuſtitia eſſe convincitur, ſi districtè judicetur.* Et paulò pòſt: *Etſi ad opus virtutis excrevero, ad vitam non ex meis meritis, ſed ex venia convaleſco. Prece igitur innitendum eſt, cùm recta agimus.* Bernardum in cap. 1. ejuſdem lib. 9. ſerm. 61. *Meum proinde meritum miſeratio Domini. Non planè ſum meriti inops, quandiu ille miſerationum non fuerit.*

III. Aſſertio. Juſtitia divina juſtitiam commutativam & diſtributivam aliquatenus imitatur; commutativam quidem, quatenus æqualitatem conſtituit inter præmium & meritum, & cuilibet tribuit præmium meritis ipſius congruens; & ita D. Thomas hanc juſtitiæ ſpeciem Deo tribuit ſecundùm ſimilitudinem in eo poſitam, quòd ſicut homo remunerat id quod ab alio accepit ſecundùm æqualitatem mercedis ad laborem: ita Deus compenſat opera bona ſecundùm æqualitatem præmii ad meritum. Diſtributivam verò, quatenus opus æqualis perfectionis majori præmio compenſat, ſi à perſona gratiori oriatur; & ita habet rationem dignitatis perſonarum. Deinde quia non ſervat æqualitatem rei ad rem, quæ ſit arithmetica, in remuneratione gloriæ, ſed æqualitatem proportionis; tum quia viſio beata multis partibus ſuperat opus meritorium, tum quia laborem breviſſimum æternitate compenſat.

Monet tamen Didacus Ruiz juſtitiam divinam diſtributivæ quàm commutativæ ſimiliorem videri, quia juſtitia commutativa privatam contrahentium vtilitatem, non commune reipublicæ bonum per ſe reſpicit; juſtitia verò divina per ſe ad commune bonum refertur. At

Dices: Ratio juſtitiæ commutativæ exigit, vt vnicuique reddatur quantum dedit: Deus hoc ſervat in retributione præmiorum juxta illud Matth. 7. *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis:* aut juxta illud, *Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.*

Reſp. In retributione divina, tantum pro tanto, non ſignificare valorem protſus æqualem rei ad rem, vt per ſe patet; paſſiones enim hujus temporis non ſunt condignæ ad futuram gloriam, vt jam obſervavi; ſed ſignificare tantùm, cujuſque beati merita, attentâ perfectione operis, & dignitate perſonæ, ſervatâ proportione cum tota curia cœleſti compenſari: quod munus eſt juſtitiæ potiùs diſtributivæ quàm commutativæ.

§. III. *De juſtitia vindice.*

CIRCA vindicem Dei juſtitiam tria diſcutio; primum, an ſit in Deo admittenda, ſecundum, ad quam juſtitiam revocari debeat, tertium, qualis ſit, & quæ illius effecta.

I. Obſervatio. Juſtitia vindex eſt virtus reddens malefactori debitam pœnam, culpæ adæquatam. Eſt *virtus*, bene diſponens ſuperiorem, ſive princeps ſit, ſive magiſtratus, aut judex, ad alterum, nempe malefactorem. *Pœnam*, id eſt, malum punitivum reo inflictum ad vindicandam culpam ei intrinſecam. *Debitam*, id eſt, juſtè promeritam & culpæ congruentem; non debitam civili obligatione & jure ſtricto; ita vt malefactori inferretur injuria, niſi infligeretur & pœna. *Culpæ adæquatam*, juſtitiæ quippe vindicis eſt, culpam pœnæ

adæquare, vt pro menſura delicti ſit plagarum modus. Sed vt naturam hujus virtutis perfectiùs intelligas, ſit

II. Obſervatio. Ut præmia rectè factis, ita pœna criminibus debetur; non quòd reus jus habeat ad pœnam, ſicut qui bene & laudabiliter egit, jus habet ad præmium; ſed quòd per eam rectus ordo quem reus violavit, inſtaurari debeat: vnde pœna reipublicæ, cujus pars aliqua reus eſt, debetur.

III. Obſervatio. Debitam crimini pœnam exigit juſtitia vindex, quæ in principe & judice vt in capite reſidet. Hanc rationem reddit Ariſtoteles 5. Ethic. c. 2. quòd homines commercia quædam ſponte ſuâ faciant, cujuſmodi eſt venditio, &c. quædam iiſdem invitis efficiantur, quæ vel clandeſtina ſunt, vt furtum, vel violenta, vt verberatio, vincula: at judicis eſt damna in vtroque hocce commercio illata reſarcire & ad æqualitatem reducere. *Ad differentiam*, inquit cap. 4. *nocumenti lex reſpicit tantùm & vtitur. vt æqualibus, ſi hic injuriam facit, ille patitur, & ſi hic nocuit, ille læſus eſt: quare injuſtum hoc cùm ſit iniquum, judex æquare conatur. Nam cùm hic quidem percuſſus eſt aut occiſus; ille verò percuſſit aut occidit, paſſio atque actio diviſa eſt in partes non æquas, ſed ad æqualitatem auferendo lucro damni reſpectu nititur redire judex.* Et poſt pauca. *Quare juſtum emendativum medium eſt inter damnum & lucrum. Quapropter & cùm controverſiam habent, ad judicem ipſum confugiunt; ire autem ad judicem, eſt ire ad ipſum juſtum; judex enim vt juſtum eſt animatum ſuapte naturâ.* Ad hæc: Per peccatum violatur lex, quæ eſt bonum quoddam publicum: at princeps boni publici

curam habet: ergo illius eſt inſtaurare bonum publicum per vindictam. Duplicem quippe obligationem contrahit quiſquis boni publici curam ex officio ſuſcipit; alteram in rempublicam, cui obſtrictus eſt ex officio, vt ei jus adminiſtret, plectendo ſontes; alteram erga reum, quem plectere tenetur. Prima obligatio eſt juſtitiæ aliquatenus commutativæ, ſecunda juſtitiæ vindicis, quæ laudanda quidem in principe, quia per ſe bonum & honeſtum eſt, læſum & perturbatum reipublicæ ordinem inſtaurare.

IV. Obſervatio. Duplex juſtitiæ vindicis effectus in quacunque republica bene morata; primus, injuriæ illatæ compenſatio; ſecundus, violati ordinis in republica inſtauratio. Reus enim contemnit rempublicam, quam princeps repræſentat, & ordinem perturbat, dum ſe legi ſubducit: per pœnam juſtitia vindex reſarcit injuriam gubernatori ſeu reipublicæ illatam, & perturbatum ordinem inſtaurat, dum reus, qui ſuæ libertatis amantior juſto, illi ſe ſubtraxerat, eidem per vindictam ſubjicitur, dum ex arbitrio principis pati cogitur. Congruum quippe eſt, vt qui principi ac reipublicæ injuriam malè agendo intulit, ei, quando aliter non poteſt, patiendo ſatisfaciat, & qui contra legiſlatorem ſe extulit, ab ipſo deprimatur. His obſervatis, ſit

I. Aſſertio. Datur in Deo juſtitia vindex. Probatur tribus argumentis, quorum primum ex Dei providentia, ſecundum ex ſanctitate, tertium ex mundi pulcritudine ducitur.

Primum ex Dei providentia ducitur ſic. Illa juſtitia in Deo eſt admittenda, ſine qua perfecta Dei providentia & recta mundi gubernatio ſtare non poſſunt:

ſine Dei juſtitia vindice perfecta Dei providentia & recta mundi gubernatio ſtare non poſſunt: ergo admittenda eſt in Deo juſtitia vindex. Minor probatur: perfecta Dei providentia poſtulat, vt bonis bene ſit, & malis malè; rectà verò mundi gubernatio exigit, vt illata Deo per peccatum injuria compenſetur, & perturbatus mundi ordo inſtauretur: per juſtitiam Dei vindicem malis malè eſt, dum pœnas ipſis infligit: Dei item injuria vtcumque compenſatur; quiſquis enim ab altero contemptus eſt, illius pœnâ & depreſſione honoratur: præterea perturbatus mundi ordo, qui peccato partim contra Deum, partim contra rectam partium mundi conſtitutionem inductus erat, tollitur quodammodo, dum peccator, qui Deum ſuæ cupiditati & creaturæ ſubjecerat, ac ſuæ plus nimio voluntati indulſerat, infra Deum abjicitur, & quæ voluntati adverſantur, ſuſtinere cogitur: ergo, &c.

Secundum ex ſanctitate: Juſtitia vindex congruit ſummæ Dei ſanctitati, quia Deus vt infinitè ſanctus, ſe ſummè amat: ex ſummo ſui amore, ſummo in peccatum fertur odio, eóque juſtiſſimo: ex juſtiſſimo odio æquiſſima vindictæ cupiditas, cui per juſtitiam vltricem ſatisfacit; hinc de Deo dicitur, *ſanctum & terribile nomen ejus*, quaſi terribile ſit, quia ſanctum eſt. Item & terribile dicitur, quia propoſitis pœnis graviſſimis, à peccato abſterret.

Ad hæc: Illa virtus ſanctitatem Dei decet, quâ ſemel in Deo poſitâ, virtutis exercitatio viget, vitium & ſcelus è mundo proſcribitur: poſitâ juſtitiâ vltrice in Deo, virtutis exercitatio viget, vitium & ſcelus è mundo proſcribitur, aut certè multùm imminuitur. Tolle enim vindictam peccatorum, nulli non erit ſceleri locus, latrociniis &

ſceleribusplena erunt omnia, virtus ipſa extinguetur, vt meritò pronuntiarit Philoſophus, ſublatâ juſtitiâ, tolli ſolem è mundo. Contrà verò, ſi per vindicem Dei juſtitiam peccandi licentia coërcetur, virtus colitur, viget pietas & religio; hinc Proverb. 13. *Iuſtitia cuſtodit innocentis viam.* Et ex Tertull. lib. de pœnit. c. 6. *Certi enim indubitata venia, commeatum ſibi facerent delinquendi.* Quare nec dubitat hic auctor ſcelerum impunitatem, ſi quæ foret, in Deum refundere, lib. contra Hermog. c. 10. *Ecce enim, etſi non auctor, ſed aſſentator mali invenitur Deus.*

Tertium ex mundi pulcritudine poſitis quibuſdam principiis petitur. Primum ſit: Mundi pulcritudo ex ſubjectione creaturæ ad Deum, & apta concinnaque partium diſpoſitione potiſſimùm exiſtit.

Secundum: Peccatum naturam intelligentiæ compotem Dei imperio & poteſtati quodammodo ſubducit, & creaturam Deo præponit, præſertim ſi ſit lethale; vtitur quippe Deo homo, dum lethaliter peccat, vt fruatur creaturâ. Deinde peccato vniverſi perturbatio inducta, vt fuſè probant Theologi.

Tertium: Juſtitia vindex injuriam Deo illatam reſarcit, dum creaturam infra Deum deprimit in affectu pœnitentis, ad Deum redeuntis; & inordinationem mundi aliquatenus tollit, ac proinde congruentiſſimum ordinem ſtatumque reſtituit: igitur mundo ſuam pulcritudinem reddit, juxta illud Jerem. cap. 31. *Benedicat tibi Dominus pulcritudo juſtitiæ, & decor ipſius vultus.* & cap. 5. *Peccaverunt Domino decori juſtitiæ.* Jeremiæ favet Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 15. *Quia*

enim nemo ſuperat leges omnipotentis creatoris, non ſinitur anima non reddere debitum. Tum cùm reddit bene vtendo quod accepit, aut reddit amittendo quæ bene vti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo juſtitiam, reddet patiendo miſeriam. Nullo autem temporis intervallo iſta dividuntur, vt quaſi alio tempore non faciat quod debet, ne vel punctò temporis vniverſalis pulcritudo turpetur, vt ſit in ea peccati dedecus ſine decore juſtitiæ. Sed tamen in futurum judicium ſervatur ad manifeſtationem atque acerrimum ſenſum miſeriæ, quidquid nunc occultiſſimè judicatur. Sicut enim qui non vigilat, dormit: ſic quiſquis non facit, quod debet, ſine intervallo patitur, quod debet: quoniam tanta eſt beatitudo juſtitiæ, vt ab ea non niſi ad miſeriam poſſit abſcedere.

Confirmatur aſſertio: Licèt Deus ſecundùm ſe ſpectatus, nulli creaturæ debitor ſit, aut ſtrictè obligatus ad repetendas à peccatoribus pœnas, ipſæ tamen pœnæ & mors æterna debentur peccatoribus, viciſſimque ipſi peccatores pœnis debentur: ergo debet eſſe aliqua in Deo juſtitia, quæ à peccatoribus pœnas exigat, vt per illas fiat æqualitas debita virtute commercii cujuſdam involuntarii. Et verò paſſim innuunt ſacræ Literæ peccatorem morti deberi ex contractu inito, Sap. 1. *Exiſtimantes eam amicam, ſponſiones poſuerunt ad illam.* Ex titulo ſervitutis, Rom. 16. *Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati, ad mortem, ſive obeditionis, ad juſtitiam*: ipſi denique dæmoni tanquam principi & lictori aliquatenus debentur peccatores, cui proinde à Deo ſæpè committitur vindicta juſtitiæ lege ſumenda.

Dices, Si eſt juſtitia vindex in Deo, tenetur ex ſtricto jure ad vltionem peccatorum: Deus non tenetur ex ſtricto jure ad vltionem peccatorum: ergo non eſt in Deo juſtitia vindex.

Reſp. Nego majorem; non enim ſtrictam obligationem imponit Deo juſtitia vindex, quia vt ſupremus princeps poteſt pœnam remittere. Deinde quamvis principes mundi ex contractu cum rep. inito obligarentur ad vindictam; cùm Deus non à mundo, ſed à ſe ipſo munus mundi regendi & gubernandi habeat, nec reo, nec mundo nexu juſtitiæ ſtrictioris obſtrictus eſt. Nam Deus ex Fulgentio lib. 1. ad Monimum cap. 7. miſericorditer debitori donat, quod ſi vellet, poſſet juſtè exigere: aut juſtè cum vſuris, quod ſuum eſt, exigit, & iniquo debitori quod debetur iniquitatibus reddit. Deus tamen ex hypotheſi, quòd judicandi munus aſſumpſerit, promulgaritque, tenetur aliquomodo peccata punire, licèt vt ſupremus dominus poſſit abſolutè remittere, convertendo peccatores ad pœnitentiam. Id patet ex Joann. cap. 5. *Non poſſum à me facere quidquam, ſicut audio, ſic judico.* Dum autem pœnas exigit, jus reddit reipublicæ juſtorum.

Quæres ad quam ſpeciem Dei juſtitiæ vindex Dei juſtitia revocari debeat.

Reſp. Tum ad commutativam, tum ad diſtributivam revocari poſſe, præſertim tamen ad diſtributivam. Ratio eſt, quia juſtitia divina non tantùm differentiam damni illati, ſicut lex creata, ſed etiam perſonarum dignitatem & operum qualitatem reſpicit. Magni quippe refert; vtrum probus aut improbus peccatum admiſerit: vnde Davidis peccati malitia gravior ob ſcandalum, quo blaſ-

phemare fecit inimicos Domini: gravius quoque cenſetur peccatum, quod ex plena advertentia & perfecta deliberatione, quàm quod ex ſurreptione & fragilitate ortum ſit. Gravius denique eorum peccatum, qui ſunt in dignitate conſtituti; *judicium* quippe *duriſſimum iis, qui præſunt, fiet. Exiguo enim concedetur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur*, Sap. 6. Scribis quoque & Phariſæis denunciatur, quòd accipient *damnationem majorem*, Luc. 20. ſive *prolixius judicium*, Marc. 12. ſive *amplius judicium*, Matth. 23. ipſáque *Ieruſalem ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*, Iſa. 4.

Dixi, divinam, non humanam juſtitiam vindicem ad diſtributivam præſertim revocari, quia Ariſtoteles lib. 5. Ethic. 4. judicum vindicationem ad commutativam juſtitiam videtur referre. *Iuſtum quod eſt in commerciis, eſt quidem æquum quoddam, & injuſtum iniquum, ſed non illâ comparatione rationum*, nempe geometricâ, quæ perſonas attendit, ſed arithmeticâ, *nihil enim refert ſi probus pravo detraxerit, an pravus probo, &c. ſed ad differentiam nocumenti lex reſpicit tantùm.* Aliter itaque Deus vt judex reum ſpectat, aliter judex humanus; hic quippe nocumenti differentiam tantùm reſpicit, ille dignitatem perſonæ, & operum qualitatem.

§. IV. *Qualis ſit juſtitia vindex.*

I. ASSERTIO. IUSTITIA Dei vindex eſt infinita. Probatur 1, quia quælibet perfectio Dei ſimpliciter ſimplex eſt infinita: Dei juſtitia vltrix eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo eſt infinita.

nita. 2. Quia poteſt punire quodlibet peccatum gravius majoribus & majoribus pœnis, ita vt nullum relinquat impunitum. Ut enim quantitas cenſetur infinita, quæ quodlibet ſpatium replet: ſcientia infinita habetur, quæ omnia omnino ſcit & comprehendit: juſtitia remunerans cenſetur infinita quæ quodlibet bonum opus juſtâ mercede compenſat; ita juſtitia vindex infinita eſt, quæ quodlibet peccatum punit. Denique non tantùm corpus, ſed animum etiam plectit, quod Dei vnius proprium.

II. Assertio. Juſtitia Dei vindex multùm quidem ſevera in hac vita, ſed multò ſeverior in extremo judicio. Probatur prima pars. 1. Quia ſapientia Deo judici in vlciſcendo infinita prælucet, ſingula crimina detegit, naturam eorum intimam, affectiones & adjuncta pervadit, & ad vindictam notat. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia; attingit autem vbique propter ſummam munditiam.* Sap. cap. 7. Hoc eſt, propter impermixtionem ab omni materia, & potentialitate & impuritate, quia eſt actus puriſſimus, ſimpliciſſimuſque. 2. Deus amat ſe neceſſariò & infinitè: ergo & peccatum odit, & quidem neceſſariò & infinitè; tantum enim odium Dei in peccatum, quantus eſt amor, quo ſe amat: vnde ab amore ſui infinito, ſummóque quo in peccatum ardet, odio ad pœnam ejuſdem maximè impellitur. 3. Quia nullum, exiguum licèt & leve ſit, peccatum inultum relinquit; omnis quippe iniquitas parva, magnave ſit, puniatur neceſſe eſt aut à Deo vindicante, aut ab homine pœnitente. Denique ſeveritatem juſtitiæ vindicis ſat probant tot ſupplicia à Deo conſtituta, & de peccatoribus ſumpta. Angelorum princeps vel ob vnam cogitationem ſuperbam, cui conſen-

ſit, è cœlo in infernorum ergaſtulum detruſus, Adamus, qui ſui primùm ac totius mundi rex, ob eſum pomi, fortunæ ludibrium, ſui & omnium cupiditatum mancipium factus, Sodoma igne ſulphureo combuſta, Ægyptus tot plagis afflicta, Chriſtus ipſe, vt juſtitiæ patris faceret ſatis, in crucem actus, & crudeliſſimâ morte defunctus. Pro quanta Patris ſeveritas! vita Dei, anima Dei juſtitiæ vindici litatur: vnus expiatrici juſtitiæ par Deus in cruce, cui impar æternitatis ſupplicium, hominum ac angelorum vota ac pœnæ.

Probatur pars ſecunda: nam 1. judicium erit abſque miſericordia. Quandiu hîc vivimus, juſtitiâ indulgentiâ ac miſericordiâ multùm temperat Deus, & precibus noſtris ſe ſinit exorari: nullus autem tum erit indulgentiæ, miſericordiæ & precibus locus. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Ex ſummo quippe ſuo jure, ipſâque judicabit juſtitiâ, & quidem vindice, cujus finis pœna. Ipſa, quod vix credas, nomina pietatis vertentur in nomina furoris: Quid ita? quia ex bonitate contempta ad vindictam accendetur, graviúſque plectet peccata, quia optimus fuit, vt obſervat Tertullianus lib. 2. contra Marc. c. 13 *Quis boni auctor, niſi qui & exactor? Proinde quis mali extraneus, niſi qui & inimicus? quis inimicus, niſi qui expugnator. quis expugnator, niſi qui & punitor? Sic Deus totus bonus eſt, dum pro bono omnia eſt*; hinc iram ad ſummum gradum perducet: quod ſummæ eſt ſeveritatis argumentum.

Indignabitur ſcilicet, reorum ſuppliciis delectabitur, deſpiciet, irridebit, ſubſannabit, furet. Indignabitur, & quidem maximè, tum ex amore qui Deo naturalis eſt, & inveterato quod in peccato-

rem concepit odio: tum ob perturbatum rerum ordinem. Videbit enim virtutem contemptam, vitium in honore, viros ſanctimoniâ ſpectabiles miſeros & infelices, improbos & nequam beatos ac florentes. Quid ad excitandam indignationem valentius? Gaudet præterea Deus dici ſe & nominari miſericordem; ſeverum fieri coget reproborum impietas: patris juxtà & amici nomen beneficiis ſuis mereri avet maximè; ipſum vt judex fieret hoſtiſque infenſiſſimus, adegit ingrata hominum indoles ac ferocia: qualis igitur ex pugna malitiæ cum bonitate, ingratitudinis cum tot beneficiis, ferociæ cum manſuetudine indignatio erumpet? *Ante faciem indignationis ejus quis ſtabit?* Nahum 1. Indignationem excipiet oblectatio ex peccatorum, quod vix credas, punitione exorta. *Heu consolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Iſai. cap. 1. Quomodo autem? Moleſtiam quidem nobis affert indignatio ex duobus inter ſe pugnantibus & contrariis affectibus concitata, ſed Deo non item: nec enim æquum eſt eum ob hominum peccata, vel minimâ, feliciſſimus cùm ſit, diſpungi moleſtiâ. igitur aliqua in ipſum delectatio redundet neceſſe eſt ex pœnis ſceleribus inflictis.

Accedet contemptus omnium maximus, tum ex infamatione publica, dum ſcelera occultiſſima patefient, tum ex exauctoratione, qua ſuis omnibus titulis reprobi ſpoliabuntur. *Omnes qui viderint te in gentibus, obſtupeſcent ſuper te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Ezech. cap. 28. tum ex oblivione omnimoda, *voca non gentem, non populum* tum ex aſſenſu, quo judicium Dei publicum, quotquot ſancti aderunt, ſuo quaſi calculo comprobabunt.

Irridebit & ſubſannabit. *Ego in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* Proverb. 1. Riſus hilaritatis eſt, ſubſannatio verò amari contemptûs indicium. Quale & quantum ſupplicium à Deo irrideri! præſertim cùm irriſio non ludicra tantùm & ad jocum futura ſit, ſed ſeria, ſed plena juſtitiæ, & cum ſubſannatione conjuncta, quæ iram amaritudini habet annexam. Certè cùm Deus aliquem honore afficit, vtique ſummo afficit., quia id divino modo facit: ita cùm deſpicit quempiam, ac ridiculum reddit, ita deprimit atque abjicit, vt ſe erigere atque attollere nec audeat, nec poſſit.

Denique in furorem ira vertitur, qui eſt vltimus quaſi divinæ iræ gradus. *Complebo furorem meum.* Ezech. cap. 5.

Poſtremò quanta ſit futura ſeveritas, ex ſententia conjici poteſt. Nam 1. duabus potiſſimùm partibus continetur, quarum prima his vocibus, *diſcedite à me*, innuitur, nempe actualis reprobatio creaturæ, quâ Deus reprobos omni prorſus bono indignos judicabit, nullo in æternum habebit loco, quaſi homines nihili eſſent. *Voca nomen ejus, non populus meus*; hinc nulla ampliùs in reproborum mente cogitatio niſi ad pœnam, nulla in Deo cogitatio ipſis profutura, nulla eorum menti ab eodem injecta, quæ pia ſit & ſancta, nullum in voluntate honeſti deſiderium. Secunda autem hac voce, *maledicti*, indicatur Quid enim aliud eſt maledici à Deo, quàm odibilem, abominabilem, execrabilem omníque dignum ſupplicio judicari? continetur præterea terminus à quo reprobationis; nempe diſceſſus à Deo, & perenne ab ejus aſpectu exilium, ſeu pœna damni. ô quale fulmen! à conſpectu Dei ejici! quis pœnam il-

Iam dignè æſtimet? vtique tanta eſt, quantus eſt ipſe Deus. Terminus ad quem, nempe ignis æternus, in quem ſtatim dejicientur reprobi. Cùm enim Deus non alio modo agat quàm imperando, & omnia nutum ejus ſequantur, creaturâ illi cooperante, ſtatim executioni ſententia mandabitur, & quidem nunquam revocanda; quâ enim voce damnabit impium, eadem pœnis in omnes annos conſequentes alligabit: itaque ſententia efficaciſſima, inevitabilis & immutabilis erit; vbi enim ceciderit arbor, ibi manebit, ſive ad auſtrum, ſive ad aquilonem.

Ut ſeveritatem judícis mente aſſequi poſſis, expende ignem, deinde æternum, tum vtrumque committe. Ignem, nil gravius ad tormentum: æternum, nil longius: ignem, quo animus, quo corpus torrentur: æternum, cui meta Deus, & homo cruciandus: ignem, quem vindex Dei juſtitia excitabit, æſtus infinitæ cujuſdam iracundiæ fovebit, animæ immortalitas nutriet: æternum, qui nunquam finiatur: ignem æternum denique, quo ſemper, manè & ſerò, nocte & die infelices victimæ, ſine imminutione, ſine ſpe, ſine miſericordia vrantur, quem nullæ vnquam lacrymæ valent extinguere. *Continuus & ſuperfluus lacrymarum decurſus*, inquit Cyprianus ſerm. de Aſcenſ. *incendia corpus nudum allambent; in proprio adipe frixa libidines ebullient, & inter ſartagines flammeas corpora cremabuntur.* O cogitationem momentaneam! ô momentum peccati, ex quo pœnæ pendet æternitas. Hæc meditare, ſi ſapis, & Dei judicium in ſuos time, *quod non in compede aut pileo vertitur, ſed in æternitate ſalutis aut pœnæ.*

Dices. Satisfactio ex pœnis peccatorum orta cru-

delitatem ſapit: ergo Deo non eſt tribuenda. Reſp. Nego ant. Immo ſanctiſſima, *pinguior* enim *mactari victima Deo non poteſt, quàm homo ſceleratus*, inquit Seneca. Et verò ſua peræque vindici juſtitiæ atque aliis attributis victima debetur, cujuſmodi eſt ſupplicium peccatorum, qui reſipiſcere nolunt, ipſeque Deus tales victimas ſibi offerri præcipit Jerem. 12. *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.*

Quæres hic, cur juſtitia dicatur à Pſalte veritas? Reſp. hoc ſenſu dici veritatem, quatenus divinæ juſtitiæ effectus cum lege æterna & recta ratione ſemper congruunt. Veritas enim aliquando ſumitur, vt eſt tranſcendens entis affectio, & dicitur veritas entis: vel pro ſigni ad rem ſignificatam conformitate, quæ eſt veritas formalis: vel pro conformitate effectûs cum ſua cauſa, quo poſteriori ſenſu hîc ſumitur; hinc juſtitia Dei diſtributiva dicitur veritas, quatenus conſtituit ordinem in rebus ſemper conformem legibus ſapientiæ ſuæ: commutativa & vindicativa, quatenus reddit præmia & ſupplicia, ſicut Deus ſuo decreto æterno ac lege ſtatuit reddere; & ita divino intellectui & ſapientiæ ſemper conſentit; hinc 1. juſtitia vt eſt regulans & dirigens, eſt in intellectu, vt imperans & impellens ad opera juxta regulam dirigentem exigenda, in voluntate reſidet; hinc etiam patet, cur juſtitia divina dicatur à Bernardo rectitudo indeclinabilis, quæ nec adulatione flectatur, nec minis terreatur, nec cujuſquam metu à recto judicio deflectat, non diviti, non pauperi faveat, cui denique pravitas damnatorum occurrens, abſque Dei ipſius læſione, ſemper læditur; *alterius* enim *erit læſio, abſit vt Dei.*

§. IV. *De miſericordia Dei.*

JUSTITIÆ miſericordiam ob arctiorem vtriuſque ſocietatem ſubnecto Ambæ quippe ſupremi regis & judicis cuſtodes ipſiúſque throni quaſi fulcra: *Miſericordia enim, & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.* Proverb 24. Mutuam Deo in molitione ac regimine mundi navant operam. *Vniverſa via Domini miſericordia & veritas.* Pſal. 24. Et quamvis in ſpeciem videantur oppoſitæ, ejus tamen conſiliis & judiciis interſunt. *Poteſtas Domini ſemper aut miſeretur aut judicat; ſed neque miſericordia ipſius ſine judicio, neque judicium ſine miſericordia reperitur, vtraque enim ſe mutuâ ſocietate conjungunt.* Ita Caſſiodorus. Poſtulat itaque ordo doctrinæ, vt cùm de juſtitia jam egerimus, de miſericordia agámus, quæramúſque 1. an ſit in Deo, 2. qualis ſit, & quæ illius effecta, denique cum juſtitia componamus. Sed antè ſit

I. OBSERVATIO. Miſericordiæ vox ambigui ſignificatûs; aliquando ſumitur ſecundùm paſſionis affectum, aliquando ſecundùm effectum ſublevandæ alienæ miſeriæ. Primo ſenſu accepta definitur ab Auguſtino lib. 9. de civit. Dei c. 5. *Alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, quâ vtique ſi poſſimus, ſubvenire compellimur.* Secundo autem ſenſu, virtus inclinans voluntatem ad opitulandum alienæ miſeriæ; hanc vocat Auguſtinus *bonitatem opitulationis.* Porrò incitamùr ad ſublevandam miſeriam alterius, vel vt ei bene ſit, vel ne malè ei ſit, quia nobis videtur incongruum & inordinatum, cum qui ejuſdem nobiſ-

cum naturæ ſit, miſeriis premi, cùm commodè habeamur. Si primo ſenſu accipis, miſericordia eſt caritas inadæquatè ſumpta; quatenus ad miſeriam depellendam impellit, qui eſt ſecundarius caritatis effectus, in affectu proſecutionis fundatus: ſi ſecundo ſenſu, eſt virtus ſpecialis à charitate diſtincta: quia ſpecialis ratio honeſti relucet in depellenda miſeria ab homine, quatenus incongrua videtur naturæ humanæ per ſe ſpectatæ; & ita ortum ducit ex odio & diſplicentia inordinationis illius, quæ eſt in natura rationali. Sæpius tamen ex affectu charitatis oritur, ideóque dilectio proximi tota eſt in operibus charitatis.

II. Observatio. Miſericordiæ ſic acceptæ triplex ſpecies, lata, ſtricta, & ſtrictior. Lata eſt voluntas depellendi defectum à qualibet creatura, etiam irrationali, aut impediendi ne in eam incurrat. Stricta, voluntas depellendi defectum à natura rationali, etiam non exiſtentem, aut impediendi ne in illam incidat; defectus enim in natura rationali propriè miſeria dicitur, quia opponitur felicitati. Strictior, voluntas liberandi à miſeria jam exiſtente, cujuſmodi ſunt peccata jam commiſſa. Prima à multis cum bonitate confunditur, & ideo creatio non eſt actus miſericordiæ, ſed bonitatis, ex Auguſtino in Pſal. 135. item & ſecunda. Quamquam

III. Observatio. Quatuor in quolibet opere divino diſtingui poſſunt ex D. Thoma. Nam perfectio quam Deus tribuit effectui, præciſè vt à Deo communicatur, bonitatis eſt: vt ex certa proportione, & pro debito cujuſque naturæ, juſtitiæ legalis: vt abſque vllo retributionis intuitu, liberalitatis: vt defectum aliquem & miſeriam à

creatura propulſat, miſericordiæ; latè quidem ſumptæ, vt à natura etiam irrationali defectum depellit; ſtrictè ſumptæ, vt impedit ne naturæ rationali obveniat; ſtrictiùs ſumptæ, vt naturam rationalem ab eadem jam exiſtente liberat.

I. ASSERTIO. Miſericordia vt includit compaſſionem, non eſt propriè in Deo: vt eſt ſubventionis ſeu ſublevandæ miſeriæ affectus, eſt verè & propriè in Deo. Probatur prima pars: Miſericordia vt compaſſionem includit, triſtitiam quoque includit; commiſeratio enim ex Philoſopho 2.Rhet. cap. 8. eſt *dolor quidam ex apparenti malo corruptivo & dolorem inferente in non dignum pati:* triſtitia & dolor non cadunt in Deum: ergo nec miſericordia vt compaſſionem includit.

Probatur ſecunda: ſimplex ſubventionis affectus nihil imperfectionis habet, immo ſummam perfectionem includit, cùm ſit inclinatio quædam ſeu propenſio voluntatis ad occupandam aut propulſandam miſeriam alienam; occupandam ſi nondum exiſtat; propulſandam verò, ſi jam exiſtat; ergo miſericordia vt eſt ſimplex ſubventionis affectus, Deo verè ineſt.

Confirmatur: ſi quid impediret, quominus miſericordia propriè & formaliter Deo ineſſet, maximè quia includit in ſuo conceptu triſtitiam animi & dolorem internum: at hoc falſum; compaſſio enim pertinet tantùm ad materiale miſericordiæ, ſicut accenſio ſanguinis circa cor ſe habet inſtar materiæ ad iram: ergo miſericordia propriè & formaliter Deo convenit: vnde explicabis D. Anſelmum, dum ait in Proſol. c. 8. *Cùm reſpicis nos miſeros, nos ſentimus miſericordis effectum, in*

non ſentis affectum, hoc eſt, triſtitiam & dolorem internum; ibi enim per *affectum* ſolam triſtitiam excludit à Deo, vt patet ipſum legenti, dum rationem ſic reddit: *quia nullâ miſeria compaſſione afficeris.* At non excludit affectum dilectionis, quo propendet Deus ad ſuccurrendum alienæ miſeriæ.

II. Assertio. Datur in Deo triplex miſericordiæ ſpecies, de qua obſervatione ſecunda.

Probatur: prima quidem, quia Deus ſive creaturas extrahat ex nihilo, ſive conſervet, ſive nativis facultatibus & affectionibus exornet, defectus ab iiſdem depellit; hinc Pſal. 135. *Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum miſericordia eius: qui firmavit cœlos ſuper aquas, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Secunda verò, quia naturam rationalem ad ſtatum ſupernaturalem evexit, cùm intra naturalis ordinis terminos continere potuiſſet; occupat deinde miſerias, & avertit ne in eas incidamus, & ſicut res cæteras propter hominem vnum creavit tanquam finem proximum: ita earumdem propter ipſum miſeretur. Tertia denique, cùm naturam humanam à ſtatu ſupernaturali in peccatum, & naturales miſerias ipſius peccati appendices & æternam damnationem primi parētis culpâ prolapſam reparare ſtatuit apud ſe. Prima, magna quidem fuit, quia ex nihilo, in quo latebant entia omnia, extraxit, & ſuis quæque facultatibus inſtruxit, citra vllum defectum. Major ſecunda, quæ naturæ rationalis defectus & miſerias occupat, & ſtatus gratiæ ad quem attollit eandem, nobilior multò quàm naturæ. Tertia omnium maxima, quia prolapſos in peccatum homines ad conſortium divinitatis in Chriſto evexit longéque majoribus gratiarum præſidiis munivit,

vt meritò Deus *dives in miſericordia* à D. Paulo 2. Epheſ. nuncupetur.

III. Assertio. Miſericordiæ divinæ prælucet triplex ſcientia Dei, impellit ipſam bona voluntas, à qua proximè & immediatè quaſi fluere & promanare à nobis concipitur: omnipotentia præſto eſt ad ſubſidium: denique ſumma felicitas à triplici ſcientia habet, nulla vt ipſam miſeria lateat: à bonitate, vt ad ſublevandas miſerias infinitè quodammodo propendeat: vnde Deus ex Tertulliano minari videtur, niſi ipſius miſericordiâ vtamur. *Inauditum*, inquit, *miſericordiæ genus eſt, quòd cùm Deus miſericordiam negare poſſet; non modò non negat: ſed ipſe etiam & vult & rogat & minatur, niſi ad eum revertamur, qui tanto ſalutis noſtræ amore tenetur.* Ab omnipotentia, in qua veluti fundatur, vt quæcunque Deus per miſericordiam velit, per potentiam operari, & omnia peccata condonare valeat juxta illud, *Miſereris omnium, quia omnia potes.* Ex eo enim quòd Deus omnia poſſit, penes ipſum eſt ſumma & regia poteſtas, quæ per ſe non ad puniendum, ſed ad benefaciendum ordinatur. Deinde cùm Deus vt ſupremus judex punit, vtique ex legum præſcripto agit, in quo non vtitur ſumma poteſtate: at cùm parcit, id vi ſummæ poteſtatis facit, in quo ab inferioribus judicibus diſtinguitur, qui tantùm punire poſſunt, quia tenentur ſecundùm leges agere, quæ puniunt, non parcunt. Hinc per miſericordiam omnipotentia Dei elucet, dum parcit. Nullum enim ornamentum principis faſtigio dignius pulcriúſque eſt, quàm ob cives ſervatos: non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia: hæc di-

vina potentia eſt, gregatim & publicè ſervare. A ſumma demum felicitate habet, vt nulli obnoxius miſeriæ, nos omnes beare poſſit; hinc Deus propriè ſolus miſericors, quia in hominibus ignorantiæ & miſeriæ multùm; potentiæ & bonæ voluntatis parum.

§. V. *Divinæ miſericordiæ affectiones & effecta.*

I. MERE' voluntaria eſt & gratuita. Nam *cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat.* ad Rom. 9. Quæ verba ſic exponit Auguſtinus: *Miſeretur vtique ſecundùm gratiam, quæ gratis datur; obdurat ſecundùm judicium, quod meritis redditur.*

II. Infinita eſt, 1. quia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, 2. quia à peccato, quæ eſt ſola vera & ſumma miſeria hominis viatoris, liberat, & conſequenter à pœna damni, ſeu à privatione Dei, quæ eſt maxima miſeria alterius vitæ. Finge Deo cætera attributa præter miſericordiam ineſſe, nunquam parcet. 3. Poteſt ab omnibus omnino miſeriis, quibus premi poſſumus, nos eximere, ideóque Exodi 20. dicitur Deus *faciens miſericordiam in millia* his qui diligunt ipſum, & cuſtodiũt præcepta illius; & *cœleſti medico nulla eſt incurabilis plaga*, ex Fulgentio; hinc etiam magna in Scripturis appellatur, Pſal. 107. *Quàm magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua?* Magna, inquam, profunditate, etiam ab inferno peccatores extrahit. *Magna eſt miſericordia tua ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori:* longitudine, *quia ab æterno & vſque in æternum ſuper timentes eum.* Pſal. 102. Deinde quia diu multúmque ad pœnitentiam expectat.

Et tu Domine miſerator & miſericors, patiens. Pſal. 85. Latitudine, tum quia in omnes creaturas benefica; tum quia omnibus & animi & corporis miſeriis ſuccurrit: vnde dicitur major omni culpâ, ſive diuturna ſit, ſive multa, ſive magna. *Miſericordiâ Domini plena eſt terra.* Pſal. 32. Altitudine, 1. ob bonorum, quæ largitur, præſtantiam. Nam quòd Deus naturam noſtram ſibi arctiſſimè vnierit, & angelis ipſis prætulerit, quòd nos adoptarit in filios, quòd morti vltro ſpontéque obtulerit ſeſe, quòd nobis in cibum potúmque in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſe dederit, quòd nos ad cœleſtem gloriam deſtinarit, & ad eam conſequendam jugi perennique gratiarum auxilio excitet, altiſſimæ cujuſdam eſt miſericordiæ. *Quid enim tantopere declarat Dei miſericordiam*, inquit Bernardus ſerm. 1. de Epiph. *quàm quod ipſam ſuſceperit miſeriam? Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei verbum factum eſt fœnum?* Quale faſtigium inter filios Dei numerari! ô larga & prodiga largitas ſe nobis attribuit in cibum! 2. quia in cœlo etiam ſupra meritum compenſat, juxta illud Luc. 6. *bonam menſuram, confertam & coagitatam, &c.* Deinde erga Angelos miſericordia exhibita ſingularis, quos in gratia condidit primùm, in gratia deinde ſtabilivit, & gloriam momento temporis mereri voluit: *magna igitur ſuper cœlos miſericordia tua.* Pſal. 38. Denique Deus *dives in miſericordia.* ex D. Paulo. Epheſ. 4. Quia habet eam infinitam & indeficientem. *Deus*, inquit D. Thomas, *dives in miſericordia, quia habet eam infinitam & indeficientem.*

III. Univerſalis eſt, 1. ratione loci, quia nullus ab ea locus immunis, non cœlum, non terra,

non ipſe infernus. 2. ratione perſonarum & rerum; neminem quippe excludit, immo ad omnes creaturas ſe extendit; nulla quippe res, quæ aliquem defectum non habeat, itáque Dei miſericordiâ non egeat. Non pluviæ & guttæ roris, quarum dicitur pater, Job. 38. Non arbores aut brutæ animantes. *Domine, melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* Pſal. 62. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, pullis corvorum invocantibus eum.* Pſalm. 146.

Non homines; *homines & jumenta ſalvabis Domine.* Pſal. 35.

Non juſti *vaſa*, quippe ſunt *miſericordiæ*. Rom. 9. nam 1. elegit eos ante mundi conſtitutionem. 2. ſingulari curâ illis invigilat. *Qui vos tangit, tangit pupillam ocu i mei.* Zach. 2. Comitatur etiam ab ortu. *Miſericordia præveniet me.* Pſal. 58. 3. Ita vitæ illorum rationes omnes ad gloriam diſponit, vt omnia, ſive proſpera, ſive adverſa, ſanitas & morbus, bonum & malum, ipſum etiam peccatum ad illius adeptionem conferant: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. 4. Licèt ſæpius cadant in die, non ipſis iraſcitur, non à ſe repellet, ſed gratiâ auxiliatrice à lapſu jacentes ſtatim erigit, & recreat: vel ſi pertinaciùs in peccatis hæreant, patienter expectat, donec reſipiſcant, & ſimulare videtur propter pœnitentiam. *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Sap. 11. Id inſinuat D. Bernardus ſerm. de ſeptem miſericordiis. *Ego peccabam, & tu diſſimulabas: non continebam à ſceleribus, & tu, Domine, à verberibus abſtinebas. Prolongabam ego iniquitatem meam; & tu, Domine, pietatem tuam.*

Ne plura, ſi quid peccatum ab iis graviùs, angore conſcientiæ vexat & inſectatur; ſi quid

laudabiliter factum, in eo ſibi complacet, laudat, extollit, & æternitate gloriæ compenſat, deſcriptos geſtat in manibus, è quibus nemo vnquam perit.

Non peccatores, quorum vltro miſeretur. *Miſereris, Domine, omnium, quia potes.* Sap. 11. Hinc neminem excludit à venia, infinities recipit pœnitentes, tardat ferire, ignoſcere, paratus, & quò diutiùs expectat, eò magis miſeretur interdum: gratiâ prævenit, vt à peccato excitet, comitatur, ne deficiat, coronat ſubſequente, vt perficiat. Figuram habes hujus triplicis gratiæ in Patre filii prodigi, dum ad ſe redeuntem excipit. Et *accurrens*, en gratiam excitantem adumbratam. *Cecidit ſuper collum ejus*, eum ſibi arctiùs vniendo, en concomitantem. *Et oſculatus eſt eum*, en ſubſequentem. Prolapſos in levia, à lapſu graviori abſtinet. *Quis non videat, quòd ſicut in multa cecidi; ſic & in illa poteram cecidiſſe peccata, niſi omnipotentis pietas conſervaſſet?* Bern. de ſeptem miſericordiis. Plus minatur quàm pœnas exigat: in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, & in exactione pœnarum præſcriptum remordet; cùm iraſcitur in reum, differt; cùm miſeretur, properat, vt abſolvat; terret vt corrigat; admonet vt emendet; prævenit vt ignoſcat. *Niſi converſi fueritis, arcum ſuum tetendit & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Pſal. 7. Cur arcu Deus, non gladio ad vindictam vtitur? nempe vt miſericordiam in peccatores oſtendat. Nam gladio cominus feritur hoſtis, arcu nonniſi eminus: gladio breviſſimo tempore plures plagæ infliguntur; vt autem arcu ferias, 1. eum adduci, & quidem magnâ contentione oportet; extrahendæ ex pharetra deinde

ſagittæ, & eidem aptandæ, nec antè emittendæ, quàm diu multùmque collinearis; quæ omnia multùm temporis requirunt. Hinc arcum Deus peccatoribus minitatur, vt vindicis juſtitiæ ictus occupent & à ſe pœnam amoliantur. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcûs, vt liberentur dilecti tui.* Pſal. 59.

IV. Imminentem juſtitiæ ſeveritatem prævertit, præſentem temperat, pœnam juſtè illatam lenire ſolet. Etiam poſt mortem longè mitioribus ſuppliciis damnatos plectit, quàm flagitiorum eorum immanitas mereatur.

§. VI. *De miſericordia & juſtitia inter ſe comparatis.*

JUSTITIA & miſericordia Dei comparari inter ſe poſſunt, vel penes conceptũ, vel penes ordinem tum cauſalitatis tum dignitatis, vel penes divina opera; hinc quæſtio multiplex naſcitur. Prima, an juſtitia & miſericordia conceptu objectivo diſtinguantur; ſecunda; an miſericordia prior ſit juſtitiâ quaſi cauſalitate, & dignitate; tertia, an miſericordia & juſtitia ſingulis Dei operibus interveniant.

I. ASSERTIO. Miſericordia diſtinguitur ratione ratiocinata à juſtitia tum generali, tum ſpeciali.

Probatur: à juſtitia quidem generali; quia miſericordia, vt formaliter ſumitur, habet pro objecto miſeriæ alienæ ſublevationem; juſtitia verò generalis opus miſericordiæ reſpicit, quatenus Deum miſereri decet, & eſt divinæ bonitati quo-

dammodo debitum, vt rectè probat D. Thomas 4. Sent. diſt. 46. q. 2. a. 1. à ſpeciali autem, quia vt talis, reddit vniuſcujuſque meritis id quod debetur: ergo, &c.

II. Assertio. Miſericordia poſterior eſt ratione & quaſi cauſalitate juſtitiâ generali, & prior juſtitiâ ſpeciali.

Probatur prima pars: quia juſtitia generalis eſt ratio & cauſa virtualis miſericordiæ; ratio enim ſublevandæ miſeriæ alienæ ex eo oritur, quòd debitum id ſit divinæ bonitati ex quadam decentia, vt rectè probat D. Anſelmus in Prolog. cap. 9. *Si miſericors es, quia es ſummè bonus, & ſummè bonus non es, niſi quia es ſummè juſtus, verè idcirco es miſericors, quia es ſummè juſtus.*

Probatur ſecunda: 1. Quia miſereri convenit Deo ex ſe ipſo, punire autem ex alieno, hoc eſt, ex peccatis hominum, quibus ad puniendum excitatur. Ut enim fulmina ex vaporibus & exhalationibus è terra in ſublime latis formantur: ita ex ſceleribus hominum vltrix juſtitia ad vindictam accenditur. 2. Quia compenſatio boni operis ſupponit opus ex gratia factum: ergo ſupponit miſericordiam, cujus effectus gratia. *Cui enim redderet coronam juſtitia juſtus judex, niſi gratiam prærogaſſet miſericors pater?* inquit Auguſtinus. 3. Quia miſericordia eſt velut finis juſtitiæ vindicis; ex damnatione quippe reproborum Deus intendit & procurat ſalutem electorum, qui inde proficiunt; hinc à Philone Judæo miſericordia Dei juſtitiâ antiquior dicitur & quaſi major natu, πρεσβύτερος ἔλεος δίκης παρ' αὐτῷ.

III. Assertio. Miſericordia perfectior à nobis concipitur, quàm juſtitia.

Probatur: quod eſt Deo proprium & quaſi naturale, eíque ab intrinſeco convenit, perfectius quodammodo eſt quàm quod ab extrinſeco provocatur & quaſi trahitur: miſereri Dei proprium & quaſi naturale & ab intrinſeco: ad juſtitiam vindicem trahitur ab extrinſeco, nempe à peccatis hominum, & ad juſtitiam remunerantem movetur primò & per ſe à miſericordia & gratia: ergo perfectior à nobis concipitur miſericordia quàm juſtiſtia. Minor eſt ex Tertulliano lib. de reſurrect. carnis c. 14. *Qui apud Deum diſcis tam optimum quàm juſtum: de ſuo optimum, de noſtro juſtum;* hinc *ſuperexaltat miſericordia judicium.* Jacob. 2. ideſt, ſuperior & principalior quàm judicium; non quidem in ſe præciſè & formaliter ſumpta; quia quælibet perfectio Dei ſic accepta, eſt ſimpliciter infinita, adeóque vna non eſt perfectior alterâ, ſed per ordinem ad objecta materialia & effecta: hinc etiam Deus ad Rom. 2. dicitur *pater miſericordiarum*, non juſtitiarum.

IV. Assertio. Miſericordia prout removet quemlibet defectum ab operibus divinis, & juſtitia prout eſt affectus reddendi quod divinæ ſapientiæ & bonitati ex decentia quadam debetur, in quolibet opere Dei interveniunt.

Probatur: quia Deus per juſtitiam gubernatricem omne opus diſponit ſecundùm convenientem ordinem, & proportionem ad rerum naturas, majúſque vniverſi bonum: & ita omnia proprium eſſe habent juxta naturæ ſuæ exigentiam & perfectam proportionis æqualitatem; & aliunde duce miſericordiâ creaturas Deus ex nihilo extraxit, & quidem gratuitò, nam nulli creaturæ eſſe debebatur à Deo, & ipſum nihilum ex quibus res Deus edu-

zit, eſt maximus defectus: ergo miſericordiæ affectus, vt removet quemlibet defectum à creaturis tum in prima molitione, tum in conſervatione; & juſtitia, prout eſt affectus reddendi quod Dei ſapientiæ & bonitati ex decentia debetur, in quolibet opere divino interveniunt.

Confirmatur ex Pſal. 24. *Omnes viæ Domini miſericordia & veritas.* & ex Auguſtino de conſenſu Evangeliſtarum lib. 1. cap. 14. *Res humanas juſtè & miſericorditer curat Deus; ita vt nec præcludat juſtitia miſericordiam, nec impediat miſericordia juſtitiam.*

V. ASSERTIO. Miſericordia ſtrictiùs ſumpta, vt eſt affectus depellendæ miſeriæ propriè dictæ, non admiſcetur omnibus Dei operibus: nec juſtitia, vt eſt affectus retribuendi debita præmia aut ſupplicia.

Patet prima pars: quia miſericordia ſic preſſiùs accepta non reperitur in productione & conſervatione rerum rationis vſu carentium.

Patet quoque ſecunda: quia juſtitia ſtrictiùs accepta, præterquàm quòd primæ productioni & conſervationi rerum ratione carentium non intermiſcetur, in ipſa collatione primæ gratiæ non reperitur: quia nihil habet de juſtitia meritorum remuneratrice prima collatio gratiæ, licèt multùm habeat de gubernatrice, tum quia Dei ſapientiam & bonitatem decet aliquomodo peccatores vocare: tum quia hoc debetur aliquatenus bono regimini totius vniverſi.

VI. ASSERTIO. In retributione præmiorum, & reproborum ſuppliciis ita concurrunt miſericordia & juſtitia, vt juſtitia tamen magis eluceat.

Quòd concurrant, patet, quia juſtitiæ proprium opus remunerare, ſi quid factum honeſtè; & punire, ſi quid factum impiè. Miſericordia autem, quia cùm Deus bona opera compenſat, ſupra meritum compenſat, & dum juſtitiam in damnatos exercet, aliquid de pœna debita relaxat & infra condignum mulctat. *Tantum*, inquit Fulgentius lib. ad Monimum. *Gratia divina retributionis exuperat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum: quamvis bona & à Deo data voluntatis atque humana operationis excedat.* Et *cùm Deus miſericors ſit*, ait Chryſoſtomus homil. 37. in Geneſ. *non inducit pœnas peccatis graviores, ſed & multò minores.* Chryſoſtomo conſentit Baſilius in Pſal. 14. dum illa verba, *Miſericors Dominus & juſtus*, explicat. *Cùm judicat, commenſuratum quoque noſtra infirmitati judicium infert, benignitatis erga nos affectu potiùs, quàm æqui compenſatione nos plectens.*

Quòd autem juſtitia in remuneratione juxtà ac punitione magis eluceat, in promptu quoque eſt, quia illi effectus ad juſtitiam potiſſimùm pertinent.

Objicies 1. Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam: ergo juſtitia vindex in punitione reproborum miſericordiam non habet admixtam. 2. Ex D. Auguſtino in Pſal. 32. concione 1. *Miſericordia hîc, judicium in futuro.* 3. Multi etiam improbi bonis à Deo cumulantur, probi verò variis premuntur miſeriis; in illis ſola miſericordia, in his vna juſtitia apparet: ergo, &c.

Reſp. ad 1. Diſtinguo, judicium erit ſine miſericordia ſimpliciter liberante à miſeria, concedo: ſine miſericordia nonnihil ex debito rigoroſo re-

laxante, nego. In æterna quippe reproborum damnatione miſericordiæ quidpiam ineſt, tum quia poſſet Deus reprobos in nihilum redigere: tum quia eos infra debitum mitiúſque quàm mereantur, plectit; majeſtas enim Dei quæ peccato læditur, infinita cùm ſit, infinitam, ſi eſſe poſſet, pœnam ſuo jure depoſceret: vnde in inferis minor eſt pœna, quàm culpa, æternitas, quàm momentum. Porrò dum Deus beatos ſupra condignum remunerari dicitur, & damnatos infra meritum plectere, ſenſus non eſt, quòd Deus ſit plus præmii retributurus pro meritis & minùs ſupplicii pro peccatis, quàm æternâ lege ſuâ conſtituerit; ſed ita iſtud pronuntiatum interpretari debemus, vt ſalvo juſtitiæ diſtributivæ jure, & ſpectatâ meritorum ac delictorum ratione, potuerit Deus ab æterno minorem pro meritis mercedem, graviorémque pro peccatis pœnam conſtituere, quàm ab æternitate conſtituit.

Ad 2. Juſtitia tribuitur alteri ſæculo, miſericordia iſti, quòd miſericordia in hac vita magis eluceat, & juſtitia in altera, non quòd à ſe in alterutro ſtatu ſeparentur. Certè cùm quædam opera tribui videantur ſoli juſtitiæ, quædam vni miſericordiæ, id in cauſa eſt, cur in quibuſdam rebus juſtitia videatur magis abundare, in aliis miſericordia ſplendidiùs effulgere. Sic juſtitia in remuneratione prædeſtinatorum, & reproborum ſupplicio magis quàm miſericordia eminere videtur.

Ad 3. Licèt miſericordia magis eluceat erga improbos, dum bonis temporalibus cumulat, & juſtitia in probos, dum miſeriis premit, tamen ambæ in vtriſque miſcentur. Nam juſtitia eſt aliqua

in felicitate improborum, & quidem legalis, quia decet divinam ſapientiam & bonitatem, etiam improbos ad amorem ſui beneficiis allicere; apparet item & remuneratrix juſtitia, quia nemo adeo eſt improbus, qui non aliquando honeſtè & laudabiliter agat, & aliquam proinde mercedem ſaltem temporalem mereatur. Nihilominus miſericordia in miſeriis juſtorum apparet, tum quia per flagella ejuſmodi peccatorum maculas eluunt, levia purgant delicta, animúmque à fallacibus mundi illecebris ad amorem Dei & obſequium traducunt. Mala etenim, quæ in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire compellunt, inquit Gregor. Magnus lib. 26. Moral. cap. 9. vnde patet juſtitiam & miſericordiam vbique ſe comitari.

Quæres, an Deus potuerit peccata abſque vllo miſericordiæ temperamento punire? Reſpondet Didacus Ruiz, potuiſſe, quia nulla apparet contradictio evidens; in remuneratione tamen bonorum, etiam de potentia abſoluta, miſericordiam omnem deeſſe non potuiſſe: quia nihil nobis potuit eſſe debitum, niſi præveniente & concomitante gratiâ multiplici, quæ ex miſericordia nobis datur.

§. VII. *Conſectaria ex juſtitia & miſericordia.*

I. DEus eſt perfectiſſimè juſtus. Patet, quia quamlibet juſtitiæ ſpeciem; legalem nempe, commutantem & diſtribuentem, denique vindicem, & quidem in excellentiſſimo gradu, hoc eſt, infinito habet. Deinde eſt juſtus efficienter, quia eſt fons &

origo omnis juſtitiæ quæ angelis & hominibus ineſt. Formaliter, quia ſuprema juſtitia ex Leſſio in amore Dei conſiſtit, per quem divinæ legi conformes efficimur; Deus autem eſt pleniſſimus & excellentiſſimus ſui amor: igitur & formalis juſtitia eáque pleniſſima. Objectivè, quia eſt objectum & regula omnis juſtitiæ & rectitudinis, quæ eſt in rebus creatis. Finaliter, quia omnis juſtitia creata ad divinam reducitur; hinc

II. Deus vt ſupremus omnium judex, obtinet ſupremam judicandi poteſtatem & auctoritatem, quam judices in terris participant, ideóque tribunalia hominum dicuntur tribunal ipſius Dei: ſic Salomon dicitur *ſediſſe in ſolio Domini*, & vindicta de Amalecitis appellatur à Moyſe Exodi 17, *Manus ſolii Domini*. Hoc eſt poteſtas throni ejus.

III. Quò quiſque juſtior, eò ad Deum juſtum propiùs accedit, quia omnis juſtitia creata habet pro menſura & regula juſtitiam divinam. Tamen juſtitia creata multùm differt à divina. Nam divina, 1. eſſentialis eſt Deo, 2. infinita, 3. independens, 4. jus ſtrictum non agnoſcit, 5. vindicis Dei juſtitiæ pœna non tantùm ad corpus, ſed ad animum vſque pertinet. Contrà verò juſtitia creata, 1. accidentaria eſt ſuo ſubjecto, 2. finita, 3. dependens 4. jus ſtrictum agnoſcit, 5. pœna vltricis juſtitiæ creatæ ad corpus tantùm ſeſe extendit; hinc

IV. Neceſſitas eſt in hominibus imitandi divinam juſtitiam, & vnicuique reddendi quod ſuum eſt, ſive ſuperior ſit, ſive inferior, ſive æqualis, juxta monitum D. Bernardi ſerm. 2. de tripl. adventu. *Tribue ergo tribus quæ ſua ſunt: redde ſu-*

periori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes. Redde, inquam, reverentiam prælato & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis eſt. Tribue ſubjecto cuſtodiam, vt poſſit cavere peccatum, & diſciplinam, vt quod minùs cavit, minimè maneat impunitum. Tribue æquali conſilium, quo ignorantia erudiatur, & auxilium, quo infirmitas juvetur. Quin etiam monet D. Baſilius Hom. 12. in Proverb. cuilibet homini tribunal intra ſe conſtituendo, in quo ſe ipſum judicet. *Quoniam*, inquit, *ipſius Salomonis ſententia, cogitationes juſtorum judicia ſunt, viro ſapienti omnino ſatagendum erit intra cordis arcana tribunal conſtituere, rectaque facere judicia: mentem quoque velut in trutina ſuſpendere ad ea quæ conveniunt & ad quodlibet agendum æquâ lance librare. Quando ſingula Dei mandata contra adverſantem ſibi malitiam coram te judicium experiuntur, da legi divinæ contra vitium victoriam.* Judex, etiam dum pro tribunali ſedet, Deum in judicando imitari debet, qui juſtus judex, fortis & patiens, Pſal. 7. dicitur, fidelis, & abſque vlla iniquitate, juſtus & rectus, Deuteron. c. 32. Itaque legis animum induere debet. Sic regi populóque vacare, vt dum vtriuſque cauſam librâ juſtitiæ perpendit, quò trahunt rerum pondera, eò demum nutu quodam inflexus propendeat: alteram in lancem principis auctoritate, in alteram populi ſalute impoſitâ, æquatis vtrinque momentis ſuſtinere ambas ſic, vt populum inter & principem medius, dum ore ipſius alter imperat, alter exorat, alterius jura defendat, alterius incolumitatem tueatur; invictus adverſus injuriam, conſtans adverſus invidiam, lenis, ſed ſine juris diſpendio, ſeverus, ſed ſine benignæ legum interpretationis

pretationis damno, plebeiis juxtà & nobilibus æqualis, quia vbique juſtus.

Denique privatus quilibet vindicem Dei juſtitiam in ſe imitabitur, ſi judicis partes in ſe aſſumat per pœnitentiam, quæ pars juſtitiæ, tanquam in Dei hoſtem, ex quodam Dei, quem offendit, gloriæ, proprii boni, quod per peccatum amiſit, & proximi cui noxius fuit, zelo ſæviat. quod vt faciliùs præſtet, 1. odium ſui ſanctiſſimum concipiet, 2. cupiditatem juſtiſſimæ vindictæ excitabit in ſe, 3. partem quæ peccavit, ita puniet, vt par peccato pœna ſit, 4. nihil inultum impunitúmque relinquet, 5. ſtatim ad vltionem ſe accinget, & quidem ex amore juſtitiæ, ſicut Deus peccata hominum ex amore ſui odit, punítque.

v. Patet ex dictis, cur juſtitia Dei dicatur plenitudo divinitatis: quia per eam reliqua attributa elucent, putà ſapientia, potentia, &c. *Vſque adeo*, inquit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 13. *juſtitia etiam eſt plenitudo divinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum & patrem & dominum: patrem diligendum piè, timendum neceſſariè; diligendum, quia malit miſericordiam quàm ſacrificium; & timendum, quia nolit peccatum: diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris; & timendum, quia nolit peccatores ſui jam non pœnitentes. Ideo lex vtrumque definit: Diliges Deum, & timebis Deum. Aliud obſecutori propoſuit, aliud exorbitatori.*

vi. Juſtitiæ remuneranti amor, ſpes & gratitudo; vindicanti autem odium peccati, & timor, tanquam cultus debentur. Hinc ad Rom. 13. *Si autem malè feceris, time; non enim ſine cauſa gla-*

dium portat; Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malè agit.

VII. Ut quiſque ad miſeriam proximi ſublevandam propenſiſſimus, ita Deo miſericordi ſimillimus: quia miſericordia Dei eſt regula & menſura cujuſlibet alterius miſericordiæ, ad cujus imitationem Chriſtus nos hortatur, Luc. 6. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.* Et S. Leo, ſerm. de omnibus Sanctis: *Miſericordem te vult eſſe miſericordia, ut in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat.*

VIII. Miſericordia creata, excellens licèt, multùm tamen differt à divina. Nam hæc Deo eſſentialis, infinita & indeficiens; hæc accidentalis homini, finita, adeòque largitione exhauriri poteſt: illa nullam non miſeriam depellere poteſt; hæc aliquam dumtaxat: creatura, etiam dum miſeretur, miſeriam habet annexam; in Deo nulla miſeria, cùm aliorum miſeretur, quia feliciſſimus. Denique Deus ut miſericors, non tantùm miſeriam præſentem ſublevat, ſed & futuram occupare, & à nobis amoliri poteſt, non item creatura; hinc in omnibus vitæ neceſſitatibus fidendum miſericordiæ Dei. Cùm enim propenſiſſima benigniſſimáque Dei ſit in nos voluntas, & infinitam potentiam adjunctam habeat, quid ad fiduciam in nobis excitandam potentius, cùm tanta miſericordiæ ſit, quanta ejuſdem potentiæ amplitudo?

IX. Cave tamen, ne ex infinitate miſericordiæ divinæ anſam peccandi arripias, & impunitatem ſceleris temere ſperes. Nec enim valet iſta conſequentia: Deus eſt infinitè miſericors: er-

go quodcumque peccatum commiſero, haud dubiè ſtatim condonabit. Ruinoſum quippe hoc argumentum, 1. quia perinde liceret à juſtitiæ infinitate ad ſummam ſeveritatem argumentari. Ut enim Deus infinitè miſericors, ita infinitè juſtus: vt ergo ſua ſunt jura miſericordiæ, ita & ſua juſtitiæ, quæ vtrique Deus ſalva velit & integra: ſuæ ſunt igitur vices in adminiſtratione mundi, nec infinitudo miſericordiæ, juſtitiæ, cùm infinita quoque ſit, jura extinguit. 2. Licèt miſericordia in ſe infinita ſit, tamen vt regitur à ſapientia, & à juſtitia temperatur, quatenus hîc & nunc agit, terminativè finita eſt, & effectus illius finitus. Malè igitur ex infinitate miſericordiæ infinitam peccandi licentiam concludis. Quamvis enim Deus quantùm eſt ex ſe, veniam, vt par eſt, depoſcenti nunquam deneget; non tamen ſemper efficaciter in infinitum vocat & miſeretur; ſed gratiis ejuſmodi terminum præfigit. *Hæc dicit Dominus*, inquit Amos 1. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum.* Unde inferunt plures Theologi Deum certam parcendi menſuram deſtinaſſe reſpectu ſingulorum, quâ ſemel impletâ, nulla ampliùs ſupetſit gratia efficax converſionis, licèt ſufficiens nunquam deſit. Quid quòd juſtitia major eſſe videtur extenſivè, quàm miſericordia. Unus Adamus à Deo primùm deſcivit; pœna illius ad omnes pertinuit. Major quoque damnandorum numerus, quàm ſalvandorum. In eluvione generali totius mundi, quot homines aquis obruti, paucis enatantibus? momentanea culpa, ſi lethifera ſit, & finalis, tota æternitate ſubſequente plectitur. Quid quòd ſæpe hominem in flagranti delicto deprehenſum

pœnis Deus addicit æternis, & ita pœnitentiæ opportunitatem præripit? Quid quòd ex miſericordia contempta ſævit interdum atrociùs, & in ipſo iracundiæ æſtu, miſericordiæ meminit, vt graviùs plectat, pœnáſque neglecti amoris repetat? Ad hæc, ſi Deus bonus & miſericors: igitur bonum amare debuiſti; ſi bonus: ergo hoc vnum cavere debuiſti, ne bonum offenderes; ſi bonus, quidni bonum imiteris? & ſicut quia bonus eſt, bene tibi facit, ita tu quoque bene illi. Præterea ſi bonus eſt, næ tu improbiſſimè agis, qui eum ad ſeveritatem vel invitum & reluctantem impellas. *Nemo*, ait Tertullianus lib. de pœnit. cap. 7. *deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur.* Denique bonus eſt, te ad gratiam & reditum, cùm ab eo deſciviſti, invitat; cur ergo ex bonitate & miſericordia ab eo recedendi occaſionem ſumis? *Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ, & non liberavit maledicum à labiis ſuis*, Sap. 1. Quem in locum ita Hildebertus: *Deum, quem merentur judicem, ſperant miſericordem; quaſi eum invenire propitium merces ſit iniquitatis, quod credimus eſſe religionis. Verùm non eſt ita; neque enim miſericordiam Dei lucrantur mali, quam ſibi etiam timidè pollicentur boni.* Plures quidem ex miſericordia Deus ſalvat, ne deſperes; ſed multos ejuſdem contemptores damnat, ne præſumas.

x. Ut Deus miſericordiam juſtitiæ in ſingulis operibus comitem adjungit; ſic in tuis moribus & factis ambas ita conjunge, vt alteram ab altera nunquam ſejungas. Truncat quodammodo Deum & dividit, qui purè juſtum, aut purè miſericordem intuetur: qui purè miſericordem, nimiùm ſibi indulget, ſenſímque remittit in ſtudio virtu-

tis : qui purè juſtum, in deſperationem agitur: qui juſtum ſimul ac miſericordem, ſpem inter & metum tutiſſimus incedit. Sic olim D. Bernardus, cùm ardor pietatis refrigeſceret, ad ſiniſtrum ſponſi pedem advolvebatur: cúmque ex nimia ſeveritate plus juſto miſericordiæ diffidebat, ad dextrum pedem quaſi ad tutum aſylum confugiebat, eíque mille oſcula apprimebat. Cave itaque, ne Deum inadæquatè concipias; ſed quàm miſericordem cogitas, tam juſtum cogita. Juſtitia quippe tutela bonitatis eſt, immo & plenitudo, ſi Tertulliano credimus, & *omnipotentis miſericordia ejus oblivisci dicitur, qui omnipotentis Dei juſtitia fuerit oblitus. quia quiſquis eum nunc juſtum non timet, poſtea invenire non valet miſericordem*, inquit Gregorius Magnus in Paſtorali. Huc ſpectat monitum D. Baſilii in prooemio ad regulas diſputatas. *Nolimus*, ait, *Deum ex media parte cognoſcere, neque ejus erga nos bonitatem ad ignaviæ occaſionem accipiamus, propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, ne bonitas contemnatur, &c.*

Poſtularet ordo doctrinæ, vt de patientia, manſuetudine & clementia Dei hîc agerem; ſed quia jam de ſingulis aliqua delibavi, art. 4. §. 1. hujus diſputationis, vbi de Dei virtutibus preſſiùs diſputavi, de iis hîc dicere ſuperſedeo.

ARTICULUS V.

De dominio Dei.

HOC Dei attributum reliquis ex noſtro concipiendi modò præſtantius, quia ſummam illius independentiam continet, quâ nil Deo di-

gnius. Quare diligentiùs à nobis tractari debet. Videndum itaque 1. Quid ſit dominium, & quotuplex, 2. an & quomodo Deo conveniat, 3. quæ ſint dominii divini affectiones, 4. quæ & qualis ſit ſubjectio creaturæ.

§. I. *Quædam prænotanda circa naturam dominii, ejúſque diviſionem.*

I. DOMINIUM à domino originem ducit, ideóque definiendum antè quid ſit Dominus, quàm natura dominii nobis perfectè innoteſcat.

II. Triplex notio domini; prima negativa, ſecunda abſoluta, tertia relativa, ambæ poſitivæ. Negativâ, dominus dicitur, qui non eſt alterius. Poſitivâ abſolutâ, dominus dicitur, qui ſui juris eſt & poteſtatis, ſeu qui movetur ſuo nutu & arbitrio. Reſpectivâ, dominus eſt, qui alterum habet ſuum, hoc eſt, ſervum. Patet notionum germanitas ex eo, quòd naturam Domini bene explicent; hinc dominus eſt, qui habet poteſtatem, & quidem liberam agendi quidpiam.

III. Dominium rectè definitur, jus gubernandi vel diſponendi de aliqua re tanquam ſua: ſeu poteſtàs legitima diſponendi de re tanquam ſua, in omnem vſum, lege non prohibitum. Breviùs, poteſtas liberè faciendi de re ſua, quidquid placuerit.

IV. Et quoniam domino ſervus opponitur, ſicut dominium ſervituti; hinc ſervus dicitur qui eſt alterius, ſeu qui non eſt ſui juris; ſervitus autem, neceſſitas patiendi aliquid à domino. Ut enim dominium eſt poteſtas agendi liberè, ſeu

poteſtas faciendi ad arbitrium ſuum : ita ſervitus eſt neceſſitas patiendi ad arbitrium alterius. Ubi *τὸ pati* excludit tantùm actionem voluntariam, & ſpontaneam civiliter, id eſt, quam quiſque faciat ad arbitrium ſuum; pati enim dicitur, qui ad nutum alterius agit.

v. Subjectum in quod dominus agit, vel eſt aliud liberum arbitrium, vel res libero arbitrio inferior; hinc prima partitio dominii fit in dominium juriſdictionis, & in dominium proprietatis.

Dominium juriſdictionis eſt poteſtas legitima gubernandi ſuos ſubditos liberos. Gubernat autem dominus ſubditos ſuos per præcepta, prohibitiones, permiſſiones, præmia & punitiones : vnde gubernatio hos potiſſimùm actus complectitur; nempe præceptum, quo imponitur obligatio ad quidpiam faciendum; prohibitionem, quâ faciendum quidpiam vetatur; permiſſionem, quâ datur facultas aliquid licitè vel impune faciendi; præmium, quo id quod factum eſt laudabiliter, compenſatur; per præmiationem autem bonum vtile aut jucundum pro bono honeſto retribuitur vt merces boni jam patrati, & illecebra majoris; punitionem, quâ injungitur malum pœnæ ob malum culpæ, cujus duplex finis; primus, à malo culpæ committendo abſterrere : ſecundus, ordinem juſtitiæ violatum inſtaurare.

vi. Dominium proprietatis eſt facultas liberè diſponendi de re aliqua in omnem vſum lege non prohibitum : ſeu, jus perfectè diſponendi de re aliqua vt ſua; ex jure enim connaturaliter ſequitur facultas diſponendi : porrò res ſua

eſt res propria, & ita alicui obnoxia, vt poſſet ſua auctoritate de ea diſponere, ipſam reſervando, donando, vendendo, alienando, deſtruendo pro libitu, ſine cujuſquam injuria; vſus autem actualis eſt rei ad actum applicatio; rei nempe integræ, ſalvâ ipſius ſubſtantiâ, vel mutatæ ſubſtantialiter.

VII. Dominium proprietatis aliud perfectum, aliud imperfectum. Illud eſt poteſtas legitima diſponendi de re, illiúſque emolumentis, tanquam ſuis; ſeu jus in re, ſe ad omnem rei diſpoſitionem & vſum extendens, niſi lege prohibeatur. Dicitur 1. jus in re, quia rem habet ſibi obligatam, & actionem tribuit non tantùm in perſonam, ſed in rem ipſam; nam jus ad rem non ſufficit ad dominium. 2. Extendit ſe ad omnem diſpoſitionem & vſum, quia quiſquis jus illud habet, vi illius poteſt rem ſibi ſervare, donare, vendere, vel etiam deſtruere quoad ſubſtantiam, in quo diſtinguitur à dominio imperfecto.

VIII. Dominium imperfectum eſt poteſtas legitima diſponendi de re tantùm, vel de ſolis commodis; de re tantùm, abſque vſufructu; vel de ſolis rei emolumentis, abſque proprietate rei: ſeu, eſt jus in re, quod non ſe extendit ad omnem ejus diſpoſitionem & vſum, vel in ipſam rei ſubſtantiam, ſine poteſtate vtendi, vel in ſolum ejus vſum. Subdividitur in directum, quo aliquis eſt dominus ſubſtantiæ, quâ tamen vti non poteſt, nec ejus fructus percipere: & indirectum, quo quis jus habet vtendi aliquâ re, vel fruendi, ſalvâ tamen ipſius ſubſtantiâ, quam deſtruere nullo modo poſſit.

IX. Dominus perfectus eſt, qui habet rei po-

prietatem & vſumfructum ; imperfectus autem qui habet ſolam proprietatem, vel ſolum vſumfructum. Proprietas autem eſt jus in re obnoxia alicui, ita vt ſine conſenſu ipſius, non poſſit fieri alterius. His obſervatis,

x. Ex definitione dominii tum proprietatis, tum juriſdictionis, ſequitur vtrumque convenire tantùm agenti libero : quia dominium juriſdictionis ſuperioritatem ſignificat, quæ agenti libero propriè convenit: dominium verò proprietatis includit poteſtatem liberam diſponendi de re ſua ; at diſpoſitio eſt ordinatio medii ad finem vel vſus quidam ſupponens electionem, quæ functiones ſunt vnius liberi agentis propriæ.

His præmiſſis quæritur hîc, an ſit in Deo dominium tum juriſdictionis, tum proprietatis, quomodo ipſi conveniat, & quæ ſint vtriuſque affectiones & conſectaria.

§. II. *An Deo conveniat dominium juriſdictionis.*

I. ASSERTIO. DEo dominium convenit, quodcunque illud ſit.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ Deum paſſim Dominum appellat, Pſal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* Eccleſ. 1. *Vnus eſt altiſſimus creator omnium, rex potens.* Exod. 34. *Dominator Dõmine Deus.* 1. Reg. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.*

II. ASSERTIO. Datur perfectiſſimum dominium juriſdictionis in Deo.

Probatur : Omnes dotes perfectiſſimi dominii

juriſdictionis Deo conveniunt : ergo datur perfectiſſimum dominium juriſdictionis in Deo. Probatur ant. Triplex dos eſt dominii perfectiſſimi juriſdictionis præcipua; prima, vt ſit eſſentiale perſonæ, cui convenit; ſecunda, vt ſit ſummè independens; tertia, vt ſit vniverſale & latiſſimè patens : dominium juriſdictionis divinæ pollet hac triplici dote : ergo dotes perfectiſſimi dominii juriſdictionis Deo conveniunt. Tres ſunt partes minoris.

Probatur prima : 1. quia ex dictis quælibet perfectio ſimpliciter ſimplex Deo eſſentialis eſt, ipſúmque conſtituit inadæquatè : dominium juriſdictionis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex : ergo eſt Deo eſſentialis, ipſúmque conſtituit inadæquatè.

2. Deus eſt ens ſimpliciter oppoſitum omni non enti: ergo includit in ſuo conceptu omnem dominationem poſſibilem, & potentiam, cui nihil imperfectionis admiſtum eſt : ergo dominium juriſdictionis in ſuo conceptu includit; hinc à Tertulliano vocatur *ens monarchicum & ipſa monarchia*. Dominium Dei primitivum & ſubſtantiale & ſicut excellentiâ naturæ ſuæ, omnes ſubditos obſequio ſuo addicit & mancipat; ita ſupremam in eos auctoritatem ac dominium juriſdictionis ex ſe & à ſe habet; hinc primum diſcrimen regum terræ à Deo. Dominium illis adſcititium & quaſi extraneum, huic intrinſecum & intimum : non pars ipſorum auctoritas, quâ pollent, nec ex naturæ fundo oritur, ſed extrinſecùs advenit: huic ex naturæ infinita excellentia quaſi ex fundo ditiſſimo promanat. Tale eſt poſſe, quale eſt ipſum eſſe : eſſe Dei eſt de conceptu ejuſdem; igitur & poſſe.

Probatur ſecunda : 1. quia Deus eſt eo modo dominus, quo eſt ens; dominium enim commenſuratur naturæ cujus eſt dominium : Deus eſt ens ſummè independens : quia eſt ens à ſe & per ſe & propter ſe: ergo eſt dominus prorſus independens, ac proinde habet ſupremam in omnia entia auctoritatem juriſdictionis.

Probatur 2. poſitis duobus principiis, quorum primum ſit, vt quodlibet ens perfectius, ita magis independens : independentia enim ex plenitudine eſſendi, quæ tota apta eſt ex ſeſe, & in ſe reponit omnia; dependentia autem ex indigentia & imbecillitate oritur; vt patet inductione. Primum cœlorum præſtat cæteris, quos ſuo ambitu coërcet; ab eo ideo omnes reliqui pendent, ipſum autem à nullo pendet. Sol reliquis planetis & naturæ præſtantiâ & virtute anteſtat: ab eo lumen ſuum mutuantur; ipſe autem ab iis non mutuatur; hinc ex Ariſtotele lib. 1. Polit. c. 2. in quolibet ente compoſito pars nobilior ignobiliori dominatur, vt forma materiæ, anima corpori, ratio cupiditatibus, parentes liberis, herus ſervis.

2. Princ. Deus eſt ens, quo nullum perfectius ſublimiúſque : ens ſine omni non ente, in quo proinde tota eſſendi plenitudo, tota entis latitudo, & amplitudo pleniſſimè & eminentiſſimè contineatur: ergo ſummè independens, non tantùm in eſſendo, ſed etiam in regendo; proindéque dominium juriſdictionis habet ſummè independens.

Vivæ quidem ac ſpirantes Dei ſunt imagines reges mundi ac monarchæ, ejuſque potentiæ vicarii & adminiſtri, quippe qui ejus auctoritati

ſupremæ aliquatenus communicant; pendent tamen in multis ab eo, & à ſubditis, cùm in prima ſui creatione & electione, tum in conſervatione, tum in gubernatione imperii. In prima ſui creatione: aut enim jure belli & armorum vi regna occupant; & ita ſceptrum & coronam Ducum & Imperatorum prudentiæ militúmque fortitudini tributaria habent: aut populorum ſuffragiis ad culmen imperii evehuntur, quibus proinde imperium referre debent acceptum: aut hæreditario quodam jure majoribus ſuccedunt; & ita imperium cum vita à parentibus accipiunt. Jam verò vt partum ſemel imperium tueantur & conſervent, quàm multis præſidiis indigent? nempe ſubditorum opibus ad ſuſtentationem, frequenti militum ſatellitio ad defenſionem, ſapientiſſimi miniſtri conſiliis ad felicem adminiſtrationem, legatorum induſtria apud principes externos ad regni jurium propugnationem, ſubditorum vectigalibus ad ſumptus immenſos, gubernatorum vigilantia in provinciis longiùs diſſitis ad auctoritatis regiæ tutamen, magiſtratibus ad jus dicendum, militibus & ducibus ad victoriam. Et quemadmodum principem tanquam caput ad ſui regimen ſubditi requirunt; ita & ſubditos reges ad ſui cuſtodiam deſiderant, ſibi quaſi mutuo ſubditi & ſervi; hinc rex ad rem appoſitè in ſolio ſedens & vna manu ſceptrum tenens, & altera calculos cum hoc lemmate depingitur: *Dominus idem & ſervus*; ſceptrum enim auctoritatem, calculi dependentiam exhibent; debet enim eccleſiæ fidei defenſionem, magiſtratibus auctoritatem, militibus ſtipendium, populo pacem & tranquillitatem, &c.

Deus autem nulla re planè indiget in creatio-

ne, aut conſervatione, ac regimine mundi. Non in creatione, quia tota æternitate res omnes anteit. Nihil ſupra ſe, nihil ante ſe, nihil ad latus habet. *Summum magnum vnicum ſit neceſſe eſt; nec aliter ſummum magnum, niſi parem non habens: nec aliter parem non habens, niſi vnicum fuerit.* Nullus in orbe princeps, quem Deus tota æternitate non præceſſerit. *Et quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes & ſuper omnes deos*, ex Tertulliano. Non pendet in ſui conſervatione aut gubernatione mundi; à ſe ipſo, per ſe ipſum, & propter ſe ipſum ſubſiſtit, quis deſtruat? potentia illi infinita, quis reſiſtendo par ſit? Theſauri inexhauſti, quis exhauriat? durationem habet ſine fine, quis limitabit? omnia loca ſua immenſitate replet, inutilis & ſupervacanea legatorum, qui provinciis invigilent, opera: ſapientiæ ſuæ lumine omnia diſponit, nullius eget conſilio. Itaque angelos & homines in partem regiminis vocat, non vt laborem levet, ſed vt honoris & gloriæ participes efficiat; ſi quidem nihil agunt niſi præſtò ipſis adſit; ipſe autem vnus præſtare per ſeſe omnia poteſt ſine cujuſquam auxilio. Quid plura? virtus illi tanta, vt mundum verbo condiderit; ita efficax, vt in nihilum, ex quo extraxit, eumdem redigere poſſit; ita velox, in exequendo, ut momento omnia operetur; adeo facilis & expedita, vt nunquam in agendo laboret: igitur dominium Dei ſummè independens. *Non indiget noſtra ſervitute, nos indigemus illius dominio*, inquit Auguſt.

Probatur tertia: dominii quippe juriſdictionis triplex vniverſalitas, ex parte ſubditorum, ex parte temporis, ex parte locorum.

Ex parte ſubditorum, omnia quippe quæ ſunt, aut

fuere, aut futura ſunt in poſterum, ſupremo illius imperio ſubſunt. Nemo ſe illius poteſtati ſubducit, non angelus, non homo, non brutæ animantes, non res ipſæ quæ vita ſenſuque carent. Rationem reddit hujus dependentiæ Scriptura, Eſter. 13. *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Si decreveris ſervare Iſrael: tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, dominus omnium es*; hinc venti & mare obediunt ei. *Comminatus eſt vento, tace, obmuteſce, & ceſſavit ventus*, Marc. 4. Hinc Tertullianus Marcionem jure irridet, qui Deum finxerat, cujus imperio magna pars mundi non ſubeſſet. *Quale eſt*, inquit lib. 1. c. 11. contra Marcion. *ut aliquid extraneum Deo ſit, cui nihil extraneum eſſet, ſi quis eſſet: quia Dei hoc eſt, omnia illius eſſe & omnia ad illum pertinere.* Deinde ſubjicit: *Si univerſitas creatoris eſt, jam nec locum video Dei alterius. Plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore; ſi vacat aliquid ſpatii alicujus divinitati in creaturis, planè falſa vacabit.* Quinetiam quæ nondum extant, aliquatenus dominio Dei & poteſtati ſubduntur: *Vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.* Ab hac potentiæ amplitudine regum terræ auctoritas deficit, cui etiam viliſſimæ abjectiſſimæque creaturæ reſiſtunt. Cedo vel potentiſſimum mundi principem, an poterit hiemem in vernam tempeſtatem mutare, aut ſerenitatem cœlo turbido inducere? Non citiùs regi potentiſſimo quàm homini abjectiſſimo ac nihili elementa obſequuntur, Deo autem etiam quæ vitâ ſenſûque carent, obſequuntur, *& maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia ſunt, illi ſenſibilia ſunt*, inquit

Hieronym. in Matth. 8. Verbo vno aquarum curſum inhibet, mare turbatum pacat, tempeſtates tranquillat, ventos ſedat, vim ignis æſtuoſam retundit, &c.

Ex parte temporis & loci par, immo & major omnibus ſæculis & locis illius poteſtas, quia æterna & immenſa. *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem*, Pſal. 144. Per ſe ipſum quippe rex & dominus, nec rerum nec locorum nec temporum metas habet, ſuæ coronæ ambitu ſingula tempora peræquè ac loca complectitur; idem dominus mundi ante ortum illius & poſt deflagrationem; hinc malè Tertul. Deo nomen Domini ante mundum conditum abſtulit; *Deinde Dominus; qui retro tantùm Deus*: cùm enim dominium ſit Deo intrinſecum, immo & ipſe Deus; vtique Dominus mundi ſaltem in actu primo ante mundi creationem extitit, exiſtétque etiam poſt illius incendium. Regna hujus mundi & imperia quàm anguſtis finiuntur regionum terminis! quàm exiguis temporum finibus ac locorum ſpatiis circumſcribuntur! ſua habent initia, progreſſiones, ſtatus, inclinationes ac ruinas; alia quippe ex aliorum ruinis excitantur: ipſi reges, quorum ambitio hunc mundum in tot regna diviſit, vix nati, cùm deſinunt; qui dies è ſinu matris naſcentes cum lætitia excepit, ſæpius extinctos cum omnium fletu vidit: adeo mors ipſis ſceptra invidet. Deus autem rex & dominus, per quem reges regnant & regna regnantur, vbique ſemperque regnabit: æternus jam tum erat, cùm ea quæ dicuntur æterna, nondum erant; quæcunque extant, mirabili ſapientia & æquitate, regit,

adminiſtrat, diſpenſat; infinita & prorſus ineluctabili poteſtate omnia ligat & continet imperia; cùm lubet, mutat eadem abſque vllius injuria, eorum ruinis ſuperſtes, omnia prætervolat tempora, quia rex omnium ſæculorum,& nihili non minùs quàm ipſius entismonarcha: ex quibus illud conſequens eſt dominio Dei nec rerum nec locorum nec temporum terminos præſcribi.

Confirmatur aſſertio: quia nulla eſt functio dominii juriſdictionis quam non poſſit exercere in ſubditos, ſi velit. Nam 1. ampliſſima ipſi ineſt præcipiendi juxtà ac vetandi poteſtas, qua, ſi ſummo jure nobiſcum agere velit, quodlibet opus bonum poſſibile, jejunia perpetua, atrociſſimas corporum afflictationes, etiam cum vitæ periculo injungere poſſit: quodlibet opus indifferens, pœnâ etiam peccati mortalis irrogatâ imperare, cujuſlibet voluptatis, etiam licitæ vſu nobis interdicere, ſua creatura ad quidlibet abuti, omnia exigere, ad omnia cogere, nullam mercedem dare, quolibet tormento & pœna afficere abſque vlla ipſius injuria poſſit: quid ita autem? quia ipſa tota quanta eſt creatura, & jus omne ipſius ad Deum pertinet.

Mitto, quòd ſalutem Adami, ex vnius pomi abſtinentia, angelorum & dæmonum diſcretionem ex momentanea obedientia aut defectione, humani generis lapſi inſtaurationem ex luſtralis aquæ guttula, omnia Chriſti merita ex morte in cruce obita apta ſuſpenſáque voluerit. Taceo, quòd poſt Chriſti ſatisfactiones infinitas hominem qui ſemel graviùs peccaverit, æternis ſuppliciis addicere ſine illius injuria poſſit. Sileo, quòd vindex illius juſtitia non in corpora modò,

ſed in animas etiam ſuæ ſeveritatis aculeos exerat : ſæviunt quidem in corpus ſtatuta legibus principum ſupplicia, & quidem ad breviſſimum tempus, quia illud dolore paulatim deficit, ſenſimque conſumitur : pœnæ autem, quas criminibus noſtris juſtitia Dei vltrix conſtituit, ad animos pertinent, & in eos per totam æternitatem graſſabuntur. Ne id quidem commemoro quod apud Jobum cap. 9. legitur. *Et innocentem & impium ipſe conſumit. Multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa; oſtende nobis quid dicamus illi; ſi locutus fuerit homo, devorabitur.* Neque verò minor in remunerando quàm in plectendo, immo & major vis Dei & poteſtas. Obſequia enim momentanea quæ ipſi in hac vita deferimus, præmiis æternis compenſat. Nonniſi terrena & externa bona conferre poſſunt principes; ſanitatem, pulcritudinem, vitam longiorem, ſapientiam non poſſunt; Deus autem hæc & alia longè majora conferre poteſt, & verò confert. Denique vt ſupremus legiſlator, poteſt pro nutu ſuo leges nobis imponere vel laxare vel penitus reſcindere, præmia & pœnas ſingulis definire, &c.

Cave tamen, ne putes Deum poſſe pro nutu ſuo damnare innocentem, illum pœnis poſitivè ſubjiciendo, *Iuſtus* quippe *eſt Deus*, inquit Auguſt. lib. 3. contra Julianum; *poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt autem quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Et verò cùm infinitè ſit bonus, vtique infinitè abhorret à malo inferendo, ſi injuſtum ſit; & quamvis id non repugnet præcisè ratione ſupremi dominii, id tamen repugnat ratione bonitatis & juſtitiæ, à quibus vis abſo-

luta ſupremi dominii quaſi temperatur; hinc convellitur deteſtandum dogma Calvini de prædeſtinatione poſitiva ad pœnas damnatorum ante vlla præviſa merita. Nec dicas, Deus poteſt malum privativum, etiam innocenti, putà mortem & annihilationem inferre: ergo & malum poſitivum. Reſp. diſpar ratio eſt, quòd Deus creaturas conſervat ex ſola bonitate, non autem ex aliquâ juſtitia. Porrò Deus non tenetur facere illud quod eſt præcisè majoris bonitatis, ſeu quod eſt tantùm juxta bonitatem, modò non ſit contra bonitatem aut juſtitiam. Alioqui teneretur Deus ex inductione majoris bonitatis ſalvare tandem aliquando omnes damnatos, eos deinde ſibi hypoſtaticè vnire; quod falſum & hæreticum eſt. Nunquam tamen Deus rationali creaturæ infert ejuſmodi malum privativum, niſi ob culpam quam admiſerit, licèt pro ſupremo dominio id abſolutè poſſit.

§. III. *Conſectaria ex dominio juriſdictionis.*

I. CUM dominium juriſdictionis ſit Deo eſſentiale, alienari non poteſt, quia quod eſt eſſentiale, nec alienari, nec amitti poteſt; hinc nullus in Deo metus amittendi illius dominii, quia poſſeſſio ſecura.

II. Suprema auctoritas quæ Dei propria eſt, vt talis, nulli creaturæ communicari poteſt, quia illa creatura eſſet ens à ſe.

III. A ſupremo Dei dominio juriſdictionis omnis poteſtas & auctoritas, tum naturalis, tum ſupernaturalis in angelos, reges & magiſtratus, in ſummum Pontificem & Epiſcopos derivatur, juxta illud Sap. 9. *Audite ergo reges & intelligite,*

quoniam data eſt vobis poteſtas à Domino. Scripturæ ſuffragatur Tertullianus in Apolog. c. 26. *Videte, ne ille regna diſpenſet, cujus eſt orbis, qui regnatur, & homo qui regnat: ne ille vires dominationum ipſis temporibus in ſæculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & ſæculum corpus temporum fecit: ne ille civitates tollat aut deprimat, ſub quo fuit aliquando ſine civitatibus genus humanum.*

IV. Naturalis poteſtas à Deo manavit in angelos, quos regendo orbi præfecit; in cauſas ſuperiores tum phyſicas, tum morales; cauſæ enim dominantur effectis, vt pater filio, agens patienti, maritus vxori, totum parti: quia hoc ipſo quòd multi homines in vnam communitatem coeunt tanquam in vnum corpus; tum illud corpus jure naturæ, habet auctoritatem in ſingulos, quandiu ſunt ipſius membra; pars enim vt pars eſt, ſubjacet corpori, cui ſe ſuáſque functiones debet. Ab hac naturali poteſtate & inſtituto fluxere etiam variæ ſpecies politiæ, in quibus populi vel ſe vni regendos committunt, vt in monarchia: vel in plures eóſque præſtantiores regimen conferunt, vt in ariſtocratia, &c. De quibus fuſiùs agimus in politicis. Plura vide apud Leſſium, lib. 9. de dominio Dei cap. 2.

V. Supernaturalis juriſdictio à divinitate Verbi in humanitatem Chriſti immediatè deſcendit, quæ vi vnionis hypoſtaticæ, in vniverſam creaturam cœpit pleniſſimè dominari duplici ex lege, naturali, quæ præcipit, ut inferiora per ſuperiora regantur: poſitiva, quia Chriſtus à Deo rex vniverſi conſtitutus eſt juxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Hujus porrò poteſtatis, quæ excellentiæ poteſtas dici-

luta ſupremi dominii quaſi temperatur ; hinc convellitur deteſtandum dogma Calvini de prædeſtinatione poſitiva ad pœnas damnatorum ante vlla præviſa merita. Nec dicas, Deus poteſt malum privativum, etiam innocenti, putà mortem & annihilationem inferre : ergo & malum poſitivum. Reſp. diſpar ratio eſt, quòd Deus creaturas conſervat ex ſola bonitate, non autem ex aliquâ juſtitia. Porrò Deus non tenetur facere illud quod eſt præcisè majoris bonitatis, ſeu quod eſt tantùm juxta bonitatem, modò non ſit contra bonitatem aut juſtitiam. Alioqui teneretur Deus ex inductione majoris bonitatis ſalvare tandem aliquando omnes damnatos, eos deinde ſibi hypoſtaticè vnire ; quod falſum & hæreticum eſt. Nunquam tamen Deus rationali creaturæ infert ejuſmodi malum privativum, niſi ob culpam quam admiſerit, licèt pro ſupremo dominio id abſolutè poſſit.

§. III. *Conſectaria ex dominio juriſdictionis.*

I. CUm dominium juriſdictionis ſit Deo eſſentiale, alienari non poteſt, quia quod eſt eſſentiale, nec alienari, nec amitti poteſt ; hinc nullus in Deo metus amittendi illius dominii, quia poſſeſſio ſecura.

II. Suprema auctoritas quæ Dei propria eſt, vt talis, nulli creaturæ communicari poteſt, quia illa creatura eſſet ens à ſe.

III. A ſupremo Dei dominio juriſdictionis omnis poteſtas & auctoritas, tum naturalis, tum ſupernaturalis in angelos, reges & magiſtratus, in ſummum Pontificem & Epiſcopos derivatur, juxta illud Sap. 9. *Audite ergo reges & intelligite,*

quoniam data eſt vobis poteſtas à Domino. Scripturæ ſuffragatur Tertullianus in Apolog. c. 26. *Videte, ne ille regna diſpenſet, cujus eſt orbis, qui regnatur, & homo qui regnat: ne ille vires dominationum ipſis temporibus in ſæculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & ſæculum corpus temporum fecit: ne ille civitates tollat aut deprimat, ſub quo fuit aliquando ſine civitatibus genus humanum.*

IV. Naturalis poteſtas à Deo manavit in angelos, quos regendo orbi præfecit; in cauſas ſuperiores tum phyſicas, tum morales; cauſæ enim dominantur effectis, vt pater filio, agens patienti, maritus vxori, totum parti: quia hoc ipſo quòd multi homines in vnam communitatem coeunt tanquam in vnum corpus; tum illud corpus jure naturæ, habet auctoritatem in ſingulos, quandiu ſunt ipſius membra; pars enim vt pars eſt, ſubjacet corpori, cui ſe ſuáſque functiones debet. Ab hac naturali poteſtate & inſtituto fluxere etiam variæ ſpecies politiæ, in quibus populi vel ſe vni regendos committunt, vt in monarchia: vel in plures eóſque præſtantiores regimen conferunt, vt in ariſtocratia, &c. De quibus fuſiùs agimus in politicis. Plura vide apud Leſſium, lib. 9. de dominio Dei cap. 2.

V. Supernaturalis juriſdictio à divinitate Verbi in humanitatem Chriſti immediatè deſcendit, quæ vi vnionis hypoſtaticæ, in vniverſam creaturam cœpit pleniſſimè dominari duplici ex lege, naturali, quæ præcipit, ut inferiora per ſuperiora regantur: poſitiva, quia Chriſtus à Deo rex vniverſi conſtitutus eſt juxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Hujus porrò poteſtatis, quæ excellentiæ poteſtas dici-

tur in Chriſto, finis eſt ſalus hominum, cui proinde inſerviunt miniſteria angelorum, natura corporata, gratiæ, ſacramenta, aliáque id genus gratiæ adjumenta. A Chriſto ad ſummum Pontificem, ſed paulò reſtrictior pervenit, quia nihil poteſt in angelos & defunctos, nec nova religionis fundamenta conſtituere, aut in conſtitutis immutare, nec gratiam conferre abſque ſacramentis, quia hæc Chriſtus ſibi vni reſervavit, vtpote poteſtati excellentiæ debita. Et quoniam hæc poteſtas à perſona Verbi confertur, ideo juris eſt divini, non humani. Denique juriſdictio ſpiritualis ſeu ſupernaturalis ad reliquos Eccleſiæ Prælatos mediatè vel immediatè, à ſummo Pontifice defluit, quæ eſt poteſtas regendi ſubditos per actus qui dominii juriſdictionis proprii ſunt.

VI. Cùm à dominio juriſdictionis id habeat Deus, vt ſit ſupremus legiſlator, in poteſtate illius eſt leges condere, aut abolere, immò multa præter morem præcipit; hinc ex illius mandato Abrahamus filium immolavit, filius ſuos ſæpe parentes deſerit, fide firmiſſima credimus, quæ per ſe ſe ſunt obſcura, ſævimus in nos atrociùs, & delicias aſpernati in crucem cum gaudio aſcendimus; vitam denique beatiorem etiam inter miſerias & immortalitatem corporis, tum cùm in cineres redigitur, expectamus, vt meritò exclamare liceat cum Jobo cap. 36. *Ecce Deus excelſus in fortitudine, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.*

VII. Legibus & mandatis tanti legiſlatoris citra cunctationem obtemperandum Hanc quippe obedientiam & legum divinarum obſervantiam à nobis ſuprema dominii divini auctoritas ſuo quo-

dam jure poſtulat. *Quomodo* enim *dicitur, Domine, Domine, ſi ejus quem Dominum confitemur, præcepta contemnimus*? Paulinus epiſt. 14. Hinc ſolenne Deo in Scripturis, quoties Moyſi quidpiam aut aliis præcipit, cuilibet legi & mandato, ſupremæ in homines auctoritatis hanc quaſi teſſeram, *Ego Dominus*; aut iſtam, *Locutus eſt Dominus ad Moyſem*, apponere, ratus nihil valentius quidquam ad legum obſervantiam memoriâ ſupremæ auctoritatis afferri poſſe; & meritò. Nam ſi ex quo verbo imperiali in prima rerum molitione toti naturæ principia propriarum actionum, hoc eſt, qualitates tum actuoſas, tum directivas operationum, putà igni levitatem, terræ gravitatem, aliáque id genus inſtrumenta cæteris creaturis indidit, natura tota ipſi ad nutum præſto fuit, ignis ſurſum rectis lineis ſubvolavit, terra ſuopte pondere deorſum ſemper tetendit: quia illæ qualitates quædam ſunt quaſi impreſſiones ſupremi illius dominii & ſummæ auctoritatis adminiſtræ ac ſatellites. Quantò magis homo, cum ſingulis Dei legibus & mandatis ſummam Dei auctoritatem inſtar teſſeræ appoſitam meminit, ſe iiſdem debet obſequentiſſimum præbere? Quid! natura impreſſo ſibi à Deo ſemine aliíſque qualitatibus actuoſis, divinæ auctoritatis vicariis inſtructa, in fruges fructúſque fundit ſe ſe, movetur, quieſcit, ſurſum, deorſum fertur, ſemper in divinum nutum intenta! Et homo rationis & intelligentiæ particeps ad auctoritatis illius ſupremæ quam Deus ſuis legibus & mandatis præfixit, *Ego Dominus*, memoriam languet ſegniter, & quod pejus eſt, ſæpe auctoritatem illam contemnit, ejúſque imperium detrectat! Hanc do-

ctrinam tradit D. Thomas 1. 2. quæſt. 93. art. 5. vbi ait Deum quodammodo præcipere toti naturæ qualitatum propriarum impreſſione. *Sicut*, inquit, *homo imprimit denuntiando quoddam interius principium activum homini ſibi ſubjecto: ita Deus imprimit toti naturæ principia propriarum actionum. Per hunc modum dicitur Deus præcipere toti naturæ ſecundùm illud.* Pſal. 148. Præceptum poſuit & non præteribit: *& per hanc etiam rationem omnes motus & actiones totius naturæ legi æternæ ſubduntur, in quantum moventur à divina providentia.* Hoc item naturæ obſequium inculcat Auguſtinus in Pſal. 148. *Non tibi ergo videantur caſibus moveri, quæ verbo Dei in omni motu deſerviunt. quò vult Deus, illic lucet ignis, illuc fertur nubes, ſive pluviam ſive grandinem portet: & quare aliquando percutiunt montem fulmina, & non percutiunt latronem? quia fortè adhuc latronis converſionem Deus quærit; & ideo percutitur mons qui non timet, vt mutetur homo qui timet aliquando.*

VIII. Dominii divini à creato non vnum diſcrimen eſt. Nam 1. dominium divinum prorſus independens, & inalienabile; creatum dependens & alienabile. 2. Illud infinitum & vniverſale in omnia entia creata, hoc finitum & limitatum. 3. Dominii divini vis & poteſtas ad ſubſtantias, potentias & actiones pertinet, quas mutare poſſit & tollere Deus, ſi velit, non item humanum. 4. Divinum nullius auxilii indigum, humano, etiam perfectiſſimo, ſervitus admixta. Domini vel potentiſſimi ſervis indigent.

IX. Principes & magiſtratus tum qui præſunt Eccleſiæ, tum qui populos regunt, præcipua quadam veneratione digni, quia divino do-

minio communicant: vt enim quiſque à Deo juriſdictionis plurimum accepit, ita maximè venerandus eſt.

x. Hinc denique Deus ſeveriſſimè vltus eſt injuriam ſibi ab iis illatam, qui ſe ſe dominio illius tum juriſdictionis, tum proprietatis ſubtrahere conati ſunt, & quandam ſibi in agendo independentiam affectarunt, vt patet ex primi angeli ruina. *Ei* quippe, inquit Gregorius Magnus, *à quo conditus fuerat, ſubeſſe deſpexit. Ita enim Deus ſuper omnia eſt, vt ipſe ſub nullo ſit. Leviathan verò iſte ejus celſitudis culmen aſpiciens, jus perverſa libertatis appetiit, vt præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet.* Item ex ſorte ipſius Nabuchodonoſoris planè infelici, cui datum eſt cor feræ; juſtiſſimè quidem. Qui enim ſe Deum putavit, punitur, ſe beſtiam eſſe ratus; & qui peccavit, ſe ſupra humanam æſtimans dignitatem, torquetur, ſe exiſtimans intra conditionem brutam. Ille potentiſſimus monarcha, cui tot principes famulabantur, nullum modò ſervum, nullum amicum ſocium habet, cujus juvetur miniſterio: vtatur obſequio: ille qui nationes integras in ſervitutem redegerat, patria exul, ſceptro ſpoliatus & purpura, nudus vagatur: qui reges ad thronum efferebat, ipſe in ferarum cubilia dejicitur: qui delicatiſſimis epulis nutriebatur, fœno alitur; non ad beſtias modò, ſed ad beſtialitatem damnatus, ne jura quidem hominis retinet, quia divina ambivit, vt ſumma edoctus ignominia, ſummam Dei ediſcat potentiam. Tanti principis factum exhorreſce, ſed caſum meditare, ſi ſapis, & diſce Deo ipſi ſubeſſe, qui tantùm poteſt dejicere ſuperbos, quantùm potuit immerentes extollere.

§. IV. *An ſit in Deo dominium proprietatis.*

UNICA ASSERTIO. DATUR in Deo dominium proprietatis perfectiſſimum.

Probatur: Dominium proprietatis eſt jus diſponendi de re ſuo arbitratu ſine cujuſquam injuria: in Deo eſt jus pleniſſimum diſponendi de mundo & ſingulis creaturis, quæ in eo continentur, pro arbitratu ſuo ſine cujuſquam injuria: ergo datur in Deo dominium proprietatis perfectiſſimum. Major conſtat ex §. 1. Probatur minor. Deus vt creator, conſervator & finis vltimus rerum omnium, jus habet diſponendi de qualibet creatura, præſertim libera, ad nutum abſque cujuſquam injuria.

Ut creator, quia dominii major perfectio ex majori dependentia rei ſubjectæ petitur; ita vt quò magis vnum ab altero dependet, eò majus ſit hujus in illud dominium; hinc majus hominis dominium in actiones internas, quàm in externas ſenſuum ac membrorum; majus item in externas ſenſuum ac membrorum, quàm in fortunas & opes. Cur autem? quia dominium in actiones internas & externas ab intrinſeco ortum habet; fortunæ autem & opes ab extrinſeco: atqui per creationem creatura eſſentialiter dependet à Deo: ergo Deus vt creator, jus habet perfectiſſimum de creaturis pro nutu ſuo diſponendi. Et verò tantùm, immo plus multò Deus habet juris & poteſtatis in quamlibet creaturam, quàm figulus in teſtam, pictor in tabellam, & quilibet opifex in opus ſuum: figulus enim teſtæ dumtataxat

taxat figuram, opifex operi formam externam tribuit & pictor tabellæ colores allinit; Deus autem totam creaturam producit in ſolidum, totum eſſe, materiam, formam, potentias, totam ſpeciem & ornatum intrinſecum tribuit: ergo ſi figulus poteſt ad libitum teſtam quam finxit affabre, conſervare ad ſplendorem domus, vel ad viliſſimos vſus abjicere, immo & frangere; pictor tabellæ colores inducere, aut eam deſtruere; opifex opus ſuum diſturbare: multo magis Deus vel ſolo titulo creationis poteſt creaturam vel conſervare, vel perimere, & in nihilum redigere, cum lubet, non tantùm ſecundùm accidentia, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiæ ipſius fundum, ſine ipſius injuria, quia dominii ipſius eminentia ad totale eſſe creaturæ pertinet. & vt ait Auguſtinus 1. Confeſſ. cap. 6. *Vſque ad ipſum rerum fundum, id eſt, vltimum atque extremum eſſentiæ gradum ſua vi & virtute pertingit.* Hoc argumentum vrget Paulus, Rom. 9. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

2. Ut conſervator, quia Deo non ſatis eſt creaturam primùm creaſſe, niſi jugi eamdem perennique influxu foveat & conſervet, itáque perpetuò creet; nam conſervatio rei ſecundùm ſe totam, eſt vera creatio & productio ex nihilo: vnde mundus reſpectu Dei eſt quaſi in perpetuo fieri, magíſque pendet à Deo quàm vmbra à corpore & lumen à ſole. Ratio eſt, quia ratio perfectiſſimi dominii id exigit, vt creaturam quam-

libet deſtruere & in nihilum redigere momento pro nutu ſuo Deus poſſit: at poſito quòd illam immediatè conſervet, poteſt, ſubtracta actione conſervatrice, Angelum v. g. in nihilum redigere, vt oſtendi tom. 1. Phyſ. vniv. p. 2. diſp. 5. a. 2. §. 2. Hinc ex Theologis quodlibet ens creatum potentia Dei inter hujus mundi viciſſitudines quatuor modis conſervare dicitur; per modum *ſuſpenſionis*, creaturam quamlibet ex nihilo extractam quaſi ſuſpenſam tenet in ipſo limine non entis, ne in ipſum recidat. *Portat*, inquit Anſelmus, *omnia, id eſt, ſurſum tenet, ne decidant, & in nihilum revertantur, vnde creata ab ipſo fuerant.* Cui concinit D. Gregorius: *In ſemetipſis non ſubſiſtunt, & niſi manu gubernantis teneantur, eſſe nequaquam poſſunt.* 2. per modum *ſuſtentationis*, quaſi Deus ſit creaturæ ſuæ baſis, *ſedes omnitenens*, vt ait Dionyſius, eamque vtpote caducam & fragilem infernè fulciat & quaſi ſuſtineat, ne in nihilum ſuum revolvatur; 3. per modum *influxûs*, quatenus vt principium jugiter in creaturam influit & *largitione indeſinenti* ipſum eſſe ſubminiſtrat: 4. per modum *conſtrictionis*, quòd ſit inſtar columnæ immobilis, cui omnes creaturæ illigantur & adhæreſcunt, ne diſſolvantur; aut ſicut vitis caduca cùm ſit, vt ſe ſe erigat, claviculis ſuis quaſi manibus adminicula complectitur, & conſtringit arctiùs: ita creatura, fluxa cùm ſit, niſi Deum quaſi adminiculum complectatur, à quo ſuis nectatur partibus, ſtatim diffluit. Quidquid enim habet eſſe, aut eſt quid ſubſiſtens, aut illius figura ſeu imago; omne ens creatum vmbra quædam eſt & imago ſeu figura divinæ naturæ, ipſum autem ens increatum

prototypus; porrò ex imaginibus aliæ manent ſublato prototypo, & naturales ſeu phyſicæ appellantur; aliæ ab objecto jugiter influente pendent, quas ſpecies intentionales nuncupamus, quæque objectum, quandiu præſens adeſt, repræſentant: ſic ſpecies ſpeculo impreſſæ objectum exhibent, dum ſe ſpeculo objicit. Gemina eſt & ſimillima mundi indoles; ſpeculum quidem divinitatis eſt, ſed fluxa & evanida illius imago, tranſit, diffluitque ſtatim, niſi aſſiduè à Deo conſtringatur connectatúrque, qui rebus mobilibus ſtabilitatem, robur infirmis, mortalibus & caducis diuturnitatem, immortalibus æternitatem largitur; hinc Origenes lib. 2. periarchon. *Quomodo in Deo vivimus & movemur & ſumus, niſi quia virtute ſua univerſum conſtringit & continet mundum? omnia quippe ſuſtentat ne corruant, fovet ne tabeſcant, continet ne diſſipentur, conſtringit ne diffluant.* Hanc dependentiam eſſentialem creaturæ à Deo cùm in creatione, tum in conſervatione rectè explicat D. Bernardus lib. 5 de Conſid. *Quid item Deus, ſine quo nihil eſt; tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt & omnium eſſe:* ſuum quidem eſſe formaliter, & omnium eſſe cauſaliter, quatenus creat & conſervat.

3. Ratio finis ultimi dominium proprietatis in Deo ſtabilit, & quidem validiùs quàm titulus creationis & conſervationis. Ratio eſt, quòd cauſa efficiens ſive creans illa ſit, ſive conſervans; à fine ad operandum moveatur, omnémque operandi modum & menſuram operis à fine accipiat, quæ ideo prima cauſa dicitur, cujus gra-

tiâ omnia fiunt, & aliæ cauſæ ad agendum applicantur : at Deus eſt finis ſimpliciter vltimus omnium creaturarum, vt poſtea oſtendemus : ergo vt talis, dominium proprietatis perfectiſſimum ſibi vindicat, quia auctoritas finis major quodammodo eſt quàm auctoritas cauſæ effectricis, vt obſervat Leſſius. Addo & ampliùs, jus Dei in creaturas, ipſúmque adeo hominem, in ratione finis vltimi fundatum, haud paulò majus eſſe, quàm jus hominis in rem quamlibet. 1. Quia ipſe homo eſt pars integrans vniverſi, & integritas vniverſi propter Deum. 2. Quia reliquæ creaturæ ſunt tantùm propter hominem quoad vſum; omnia autem, non Angelum, non hominem excipio, ſunt propter Deum non tantùm quoad vſum, ſed etiam quoad ſubſtantiam. 3. Quia res aliæ creatæ ad vſum hominis ex benigna Dei ordinatione, non ex principiis intrinſecis ordinantur : at ex intimis naturæ ſuæ principiis cum homine ad Deum ordinantur, quem reſpiciunt eſſentialiter vt finem ſuum ſimpliciter vltimum, & ad quem arcanis nutibus tendunt. Poteſt itaque Deus, quamvis alios titulos ab ipſo abeſſe fingeremus, ſolo finis vltimi titulo de nobis ad nutum diſponere, angelos, cœlos, elementa, ipſos homines, & totam rerum immenſitatem vaſtare, perdere, diſſipare, & in nihilum momento redigere: quia auctoritas finis vltimi immediatior quodammodo nobis eſt, quàm cauſæ efficientis, idque argumento eſt, quòd, licèt homini ſui ſimilis procreandi virtutem Deus conceſſerit, non poſſit tamen illum conſtituere finem vltimum creaturarum, aut in conſortium finis vltimi vocare; adeo proprium eſt Deo ac ſuum, vt omnia in ipſum tendant.

Quartum ex redemptione titulum repetunt Theologi, in quo dominium proprietatis in hominem fundant; & jure quidem. Chriſtus enim hominem à ſervitute peccati, diaboli & mortis, qua oppreſſus gemebat, liberavit, ſuoque obſequio ac ſervituti juſtitiæ, quæ libertas vera eſt, aſſeruit: itáque jus domini in nos acquiſivit, & ſervitutem à nobis jure victoriæ de inimicis reportatæ, emptionis & compenſationis exigit, juxta illud 1. Cor. *Non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno*, hoc eſt, ſanguine Agni immaculati; cui beneficio nullam ſe gratiam parem referre poſſe fatetur Bernardus tract. de dilig. Deo. *Totum me debeo pro me facto, quid addam, jam pro refecto & refecto hoc modo? in primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, & vbi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? Nam etiam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?*

§. VLT. *Conſectaria ex dominio proprietatis.*

I. DOMINIUM proprietatis perinde infinitum eſt in Deo ac dominium juriſdictionis: ergo in quantitate, qualitate & modo infinitum ſit oportet: ergo ſe extendit ad omne dominabile, & omni modo quo eſt dominabile; hinc

II. Sicut Deus vi dominii juriſdictionis, ampliſſimam habet & illimitatam præcipiendi, puniendi, & remunerandi poteſtatem: ita vi dominii proprietatis, poteſt abſolutè diſponere pro arbitrio ſuo de creaturis, & de iis facere quidquid velit, non tantùm quoad vſum, ſed etiam quoad ſubſtantiam, vt modò explicui; hinc

III. Patet 1. cur Deus dicatur in Scripturis *dominari in virtute ſua* : quia nullum agnoſcit dominationis ſuæ auctorem vel moderatorem ; ſecus autem angeli & homines, qui dominantur in virtute aliena, hoc eſt divina : vnde & metas habent & rerum & locorum & temporum ; Deus autem cùm per ſe ſit dominus, vbique dominus, ſemper dominus, omnium dominus, & ſua ipſius poteſtas eſt. 2. Rectè dictum à Philone Judæo. lib. 2. Allegoriarum : μόνῳ ἁρμόττει Θεῷ λέγειν, τὸ ἐμόν : *Deo tantùm convenit dicere, meum eſt.* Rationem ſubjicit αὐτοῦ γὰρ ὄντως κτήματα μόνου τὰ πάντα : *omnia enim revera ſunt illius ſolius poſſeſſio* ; non quòd homines ſua bona non poſſideant, eorúmque domini non ſint, ſed quòd omnia à Deo eſſentialiter pendeant in ſuo eſſe morali, vt à fine vltimo, & in eſſe naturali, vt à primo principio.

IV. Ex tot titulis, quibus Deo obſtringimur, ita Deo obligamur, vt ipſi ſatisfacere nunquam poſſimus. Nam quis bona vel vnius creationis, dignè ſuis obſequiis compenſet? Certè hoc vno titulo nos totos Deo noſtráque omnia debemus : *Clamat* enim *innata ratio, vt quiſque illi ſe ſubjiciat, à quo habet vt ſit*, inquit Laurentius Juſtinianus lib. de Obed. c. 5. Quin etiam inexcuſabilem ex eo omnem infidelem colligit D. Bernardus tract. de dilig. Deo. *Inexcuſabilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Dominum Deum ſuum toto corde, tota anima, tota virtute ſua. Clamat nempe intus ei innata & non ignota ratione juſtitia, quia ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat.* Accedit beneficium conſervationis, quo ſingulis momentis vi-

tæ collata in prima creatione beneficia iterantur, & nobis alioquin dilapſura, conferuntur. Sed vt debiti noſtri ratio clariùs pateat; ſit

v. Eminentiſſimo Dei dominio reſpondere debet in creatura ſervitus maxima, quæ excogitari poſſit: maxima autem ſervitus importat omnem modum dependentiæ, qui contradictionem non implicat, & obligationem patiendi à Deo quidquid placuerit ipſi vt ſupremo domino. Ut enim dominium proprietatis eſt poteſtas abſoluta diſponendi de creatura ad nutum: ita ſervitus, quæ eſt ipſius dominii correlatum, eſt obligatio patiendi à Deo, quidquid placuerit ipſi vt ſupremo domino; hinc

vi. Servitus creaturæ cùm maxima ſit, vtique creaturæ eſſentialis, intima, neceſſaria & æterna, denique honorabiliſſima ſit oportet. Eſſentialis eſt, quia ſicut creatura eſt eſſentialiter à Deo, & propter Deum, ita eſſentialiter eſt ſub Deo; intima & neceſſaria, quia nihil eſt magis intrinſecum & neceſſarium, quàm quod eſt cuilibet eſſentiale: æterna, quia quidquid eſſentiale, idem æternum; hinc homo, vt Dei ſervus & mancipium, Deo vbique & ſemper ſervire debet; ad hoc creatus à Deo & inſtitutus, vt Deum cognoſcat, amet & colat: hæret in fundo ipſius eſſentiæ hæc lex, non ſcripta, ſed inſcu'pta à Deo, vt ſe totum ipſi redhibeat, à quo totum eſſe accepit: viget, cùm primùm naſcimur, vigebitque, quandiu degemus in vita, ipſique morti ſuperſtes, ad ipſam æternitatem nobiſcum vnà tranſmittetur. Quandiu ſtabit homo, quandiu ſtabit Deus, Deo jus erit obſequia ab homine exigendi, & huic debitum præſtandi. Plura ex aliis debitis cum vita ceſſa-

bunt. Parentes non ampliùs liberos alere debebunt, nec cives prodeſſe patriæ, nec divites pauperum inopiam ſublevare. At Deum amandi, colendi, adorandi, laudandi, eidémque ſerviendi ſemper neceſſitas incumbet, quid ita? quia quod eſſentiale, mutari nequit, ſed idem intimum, neceſſarium & æternum eſt: quia Deus vbique & ſemper principium, finis, & dominus hominis. Hæc eſt ratio, cur religio ſeu ſanctitas firmitatem & conſtantiam in cultu & obſequio Dei exigat. Si D. Thomam audiamus. 2. 2. q. 81. a. 1. *Nomen ſanctitatis duo videtur importare; vno quidem munditiam, alio modo importat firmitatem.* Deinde rationem ſubjungit. *Applicatur enim ei ſicut vltimo fini & primo principio:* hinc totum hominis officium Sapiens vno Dei timore & mandatorum obſervantia definit. *Time Deum, & mandata ejus obſerva. Hoc eſt enim omnis homo:* vnde D. Bernardus infert: *ergo ſine hoc nihil eſt omnis homo;* hinc monemur Luc. 1. Deo toto vitæ decurſu ſervire. *Serviamus illi in ſanctitate & juſtia coram ipſo in omnibus diebus vitæ noſtræ;* hinc etiam neceſſitas ſacrificii. Cùm enim homo ſeſe totum Deo debeat, vt primo principio, fini vltimo, & ſupremo domino; ſacrificium autem Deo fiat, aut tanquam principio creationis, aut tanquam fini vltimo beatitudinis, aut tanquam auctori vitæ & mortis, aut tanquam ſupremo vniverſorum domino in ſignum excellentiæ ejus & reverentiæ noſtræ, planum eſt in fundo noſtræ dependentiæ ac ſervitutis, & ſuprema Dei independentia ac dominio ſacrificii obligationem fundari. Itaque hoc ipſo quòd Dei figmenta, ſubditi & mancipia ſumus, non ſolùm noſtra,

ſed etiam nos ipſos titulo ſervitutis debemus, etiam vſque ad deſtructionem, ſi velit. Quid enim aliud eſt ſacrificium quàm proteſtatio, quâ homo profitetur ſe habere totum eſſe à Deo; & ideo dignum eſſe eumdem, in cujus honorem idem eſſe & eadem vita deſtruatur; hinc patet diſcrimen ſervitutis noſtræ erga Deum, à ſervitute, qua hominibus obſtringimur. Hæc enim vnum corpus obſtringit functionéſque addicit; animus autem etiam inter compedes ſui ſemper juris ac liber; *errat*, inquit Seneca, *ſi quis exiſtimat ſervitutem in totum hominem deſcendere*; at ſervitus, qua Dei obſequio mancipamur, non corpus modò ejuſque functiones, ſed animam totam, facultates operationéſque ſingulas obligat: toti quippe illius ſumus ſecundùm eſſe naturale, quia creator & conſervator noſter; & ſecundùm eſſe morale, quia finis noſter ſimpliciter vltimus. Hinc parentes liberos recentes ab ortu debent Deo offerre ac ſiſtere, quaſi illius obſequio mancipaturi; hinc ipſi infantes, cùm primùm lux rationis affulgere incipit, Deo ſe ſe offerre, ipſum amare præ ceteris tenentur, vt quidam volunt: quia nulla pars vitæ noſtræ à Dei obſequio debet eſſe immunis. Hinc denique multùm in Deum injurioſi, qui florentem ætatem dæmoni mancipant, caducam & ſeneſcentem vni Deo reſervant. Honorabiliſſima denique ſervitus eſt. Nam *magna dignitas eſt ſervum eſſe potentis*. Magiſtratus & officia quibus ad reges ac principes propiùs accedimus, prenſantur avidiùs, emuntur cariùs, etiam cum vitæ periculo conſervantur. Ecquid Deo potentius ac ſublimius? Ille ſupremus omnium dominus, nos viliſſima illius mancipia: ille totus aptus eſt ex ſeſe, in

ſe vno reponit omnia : nos ex illo aptas ſuſpenſáſque rerum noſtrarum & totius vitæ rationes habemus, toti ex ipſo pendemus ; & tamen prô pudor ! ipſi ſervire erubeſcimus, turpe & indecorum ducimus ? Huic principes, huic reges, huic imperatores ſe vt mancipia devovent, ſceptrum, coronam referunt accepta, id ſibi gloriæ vertebat David : *ecce ſervus tuus & filius ancillæ tuæ ;* perhonorificum ducebat S Ludovicus, dum ſe ſervum Dei & nominari volebat ; ſe ſervum ſervorum Dei appellari gaudet ſupremus totius eccleſiæ Princeps ſeque tantò excelſiorem putat, quò magis infra Dei ſervos ſe ſe abjecerit. Et nos fungi ac nihili homines, obſequia Deo tot titulis debita, honorem, obſervantiam deferre recuſamus, jugum tam honeſtæ ſervitutis à cervicibus noſtris depellere nitimur ! *Deum abjecerunt, ne regnaret ſuper eos.* Ezech. 7. Quantò ſapientiùs & æquiùs David rex idem & pſaltes : *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea ? ab ipſo enim ſalutare meum.* Pſal. 61. *Verumtamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quia ipſe Deus meus, & ſalvator meus, Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt.* ibid.

VI. Quidquid mali à Deo nobis acciderit, quidquid calamitatis obvenerit, id cum ſumma demiſſione animi ac reverentia accipiendum, quia vt ſupremus dominus poteſt, ſi velit, duriora multò & acerbiora infligere, etiam vitam adimere ; hinc exclamandum in caſibus adverſis : *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* Hinc Deo nihil gratius quàm ſupremum illius dominium cùm in morbis, tum in morte agnoſcere, *vivificat* enim & *mortificat.*

VII. Nulla in Deo obligatio ſtricta, tum quia

creatura eſt eſſentialiter ſub dominio Dei, à quo eximi non poteſt; tum quia creatura nihil poteſt Deo offerre quod non ſit magis Dei quàm ſui. Deus quippe vires ipſi dedit, immò & ipſum eſſe, idque conſervat jugiter, & ad agendum concurrit. Certè non entis nullum poteſt eſſe jus.

VIII. Quamvis honeſtis operibus beatitudinem tanquam mercedem Deus non retribueret, aut beatos ſua felicitate ſpoliaret, non faceret illis injuriam, nec propriè injuſtus diceretur, quia totum noſtrum eſſe eſt in ejus poteſtate, nec quidquam à nobis accipit, quod ipſius non ſit, & quod proinde à nobis abſque vlla mercede exigere non potuiſſet. Diceretur tamen inconſtans, non verax & infidelis, ſi beatitudinem ſemel nobis promiſſam non daret: quia conſtantia illius poſtulat: vt quoniam beatitatem operibus noſtris promiſit, propoſitum non ſine cauſa mutet; veritas, vt quod dixit, verum efficiat; fidelitas, vt impleat promiſſa; hinc virtutes, quæ ſupponunt debitum ſtrictiſſimum, non ſunt propriè in Deo; quæ autem longiùs à debito ſtricto recedunt, ipſi Deo inſunt; vt liberalitas.

IX. Non tantùm conſervationis immediatæ, ſed concurſus etiam immediati immediatione ſuppoſiti, neceſſitas cum cauſis ſecundis ex ſupremo Dei dominio infertur, vt oſtendimus tom. I. Phyſ. vniverſ. part. 2. diſp. 5. art. 3. §. 1. quia ratio perfectiſſimi dominii poteſtatem in Deo exigit in actionem agentis tantam, quanta cogitari poteſt: ergo eam exigit, quæ poſſit actionem ſuſpendere, limitare ad vnum effectum, juvare & corroborare ad alterum, aut etiam penitus tollere: at vis concurrendi immediatè immediatione ſuppoſiti,

hanc tribuit Deo poteſtatem, quâ ſuſpendere, limitare, imminuere vel augere, denique tollere actionem poſſit.

x. Dei obſequio nihil nobis potius & antiquius eſſe debet juxta illud pronuntiatum, *Majori ſervi.* Atenim bonorum omnium jactura, & proximum vitæ periculum imminet, ferrum, flammam, crucem minantur viri in ſumma poteſtate conſtituti, niſi Deum ejuro? *Contemno poteſtatem, quia majorem timeo poteſtatem:* vnius Dei obſequium fortunis & morte ipſa redimendum. Hoc animi robore & conſtantia invictiſſimus Eleazar minas hoſtium ſuppliciáque ſibi intentata contempſit, dum ipſum à veri Dei cultu abducere nitebantur. Quid Deo ſupremo vitæ ac mortis arbitro debeam, ſat me jam provectior ætas & veneranda canities monent, inquiebat, non eſt Eleazaris fingere; abſit vt nobiliſſimæ juventuti, cui exemplum conſtantiæ debeo, offenſioni vnquam ſim. Statui omnem cruciatum perferre potiùs, quàm officium aut fidem Deo datam ſemel prodere.

x i. Dei dominium vtcunque imitantur, qui cupiditates ſuas domitas habent, ipſiúſque rationis & gratiæ imperio ſubdunt. De hoc paſſionum dominio plura diximus part. 5. Eth. diſput. vnica de Paſſion. in communi, art. 5. §. 3.

x i i. Quamvis dominium Dei vbique eluceat, eluxit tamen potiſſimùm in creatione mundi, cùm res creandas, ſuppreſſis aliis, elegit. Uſus quippe tunc eſt illo jure, quod ſummum habet in ea etiam entia, quæ non ſunt: quod jus majus vtique eſt quàm jus vitæ & necis, quia dum aliquibus creaturis vitæ & exiſtentiæ, qua carebant, beneficium contulit, denegavit infinitis, quas nolebat vel

naſci; hinc Moſem initio Geneſis Tertullianus lib. contra Hermogenem iurerpretatur, quaſi voluerit Deum in principio, hoc eſt *in principatu, in regia ſummáque poteſtate*, ἐν ἀρχῇ creaſſe cœlum & terram. Et Theophilus Antiochenus lib. 2. ait λόγον, quem Deus pater ante omnia eructaverat, dictum eſſe ἀρχὴν, ſive *principium*, quo Deus creavit vniverſa, quòd in ea quæ per ipſum creabantur, principatum & dominatum haberet: οὗτος λέγω, ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει τῶν αὐτῷ δεδημιουργημένων. Non tantùm in creatione, ſed etiam in reſtauratione hominis peccatoris & morte vis dominii & omnipotentiæ Dei cernitur. Ex triplici quippe nihilo præſtantiſſima opera quaſi eduxit; ex nihilo naturæ angelos & animas rationales, ex nihilo peccati Verbi incarnationem, ex nihilo mortis Chriſti & martyrum eccleſiam, chriſtianam ſobolem, & miracula. Hinc placitum Tauleri, ſerm. de Aſſ. *Cùm Deus propriè & divinè operaturus eſt, nullo ad id opus habet, niſi nihilo: nihilum enim operationis ejus quàm quodlibet aliud capacius eſt.* D. Gregorii, *Fœlix culpa, qua talem meruit habere redemptorem.* Tertulliani in Apolog. *Probatio enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra: exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ? plures efficimur quoties metimur à vobis. Semen Chriſtianorum ſanguis Martyrum.* hinc ipſa humilitas, quæ nos quaſi in nihilum redigit, & Deo vt ſupremo domino ſubmittit, tot divinorum operum molitrix, & accommoda recipiendæ gratiæ; ipſáque virginitas, quæ in ſpeciem ſterilis, Chriſtianorum fœcunda parens extitit. Vide quæ diximus in Eth. vniv. part. 6. diſp. 3. art. 4. §. 7. fol. 1246.

XIII. Potentia & majeſtas principum, ſi cum divina componatur, inſtar fumi, & vmbræ, im-

mo & nihili eſt. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores ejus ſunt quaſi locuſtæ.* Quidquòd horum gloriam, potentiam, felicitatem Deus momento diſſipare poteſt? *Velut ſurgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Sed nullibi potentia & majeſtas Dei clariùs lucebunt, quàm in extremo judicio; cùm potentiſſimi mundi reges nudo latere palpitabunt. Hîc enim videre erit Neronem trepidantem, ſolum cum ſua potentia; Alexandrum inglorium cum ſuis triumphis, &c. Exſcindetur dæmonis regnum, ipſéque Deus omnibus ſummo cùm imperio dominabitur, erítque omnia in omnibus. *Tunc erubeſcet luna, confundetur ſol, cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.* Iſai. 24.

ARTICULUS VI.

De Deo vt eſt finis vltimus.

DUM quæritur an Deus ſit finis ſimpliciter vltimus, duplex huic quæſtioni ſenſus ſubeſſe poteſt; alter relativus ad omnia entia creata, an res creatæ omnes tendant in Deum tanquam in finem ſimpliciter vltimum: alter, an Deus in ſingulis operibus ſuis intendat gloriam ſuam tanquam finem operationum ſuarum. Utraque quæſtione breviſſimè defungor, quia jam in Ethica vniverſali copioſiùs pertractavi.

§. I. *Solvitur prima quæſtio variis pronunciatis.*

I. PRON. DATUR ex natura rei finis rerum omnium ſimpliciter vltimus: tum

quia niſi daretur finis ſimpliciter vltimus, & quidem ex natura rei, nullus daretur finis: ergo nec actio, quia cauſa efficiens determinatur à fine vt agat: tum quia natura perpetuò ſe cruciaret, inaniſque foret appetitus cuilibet rei innatus, quo fertur ad finem ſuum, & qui nunquam quieſceret.

II. Deus ex natura ſua & per ſe eſt finis ſimpliciter vltimus omnium appetitionum creaturæ. Probatur 1. quia finis per ſe & ex natura rei omnium appetitionum creaturæ eſt ſummum ſimpliciter bonum: Deus eſt ſummum ſimpliciter bonum, vt patet ex dictis de bonitate Dei, diſp. 3. de attrib. tranſc. art. 2. §. 3. Ergo Deus ex natura ſua & per ſe eſt finis ſimpliciter vltimus omnium appetitionum creaturæ. 2. finis ſimpliciter vltimus appetitionum creaturæ eſt beatitudo objectiva: vnus Deus eſt beatitudo objectiva omnium appetitionum creaturæ, vt probavimus tom. 1. Eth. vniverſ. diſp. 3. art. 1. §. 2. Denique vt Deus eſt prima omnium cauſa efficiens, ita eſt vltimus rerum omnium finis; hinc

III. Omnia agentia creata tendunt in Deum tanquam in finem ſimpliciter vltimum, ſi non formaliter & expreſſè, ſaltem implicitè & virtualiter. Ratio eſt, quia nullum eſt agens creatum, quod beatitudinem ſuam implicitè ſaltem non quærat.

IV. Homo, etiam dum peccat, fertur in Deum implicitè & confuſè tanquam in finem vltimum: quia ſatietas & quies appetitus eſt beatitudo, quæ eſt vnus Deus: at homo ſemper agit vt ſatietur ejus appetitus & tandem quieſcat. *Quidquid enim aliud homo latenter velit*, inquit Auguſtinus l. 13.

de Trinit. cap. 3. *ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus nota eſt, non recedit*; hinc beati eſſe volunt tam boni quàm mali, vt diximus in Ethica vniverſali.

v. Deus eſt finis vnicus hominis. Hujus pronuntiati veritas patet ex 3. & 4. pronuntiato. Nam finis ſimpliciter vltimus eſt qui propter ſe expetitur & cætera propter ipſum: ergo tam certum eſt Deum eſſe finem vnicum hominis quàm certum eſt duos fines ſimpliciter vltimos non poſſe eſſe reſpectu ejuſdem; eſſent enim fines ſimpliciter vltimi, & non eſſent. Deinde vt Deus eſt vnus in eſſentia, vnicus in ratione principii, ita vnicus in ratione finis vltimi. Certè vt non poſſunt eſſe duo prima principia, ita nec duo fines ſimpliciter vltimi.

vi. Deus vnica quoque hominis beatitudo objectiva ex natura rei. Ratio eſt, quia finis & beatitudo idem ſunt: ergo ſi Deus eſt vnicus hominis finis ſimpliciter vltimus, eſt quoque illius ſimpliciter beatitudo objectiva. Ut finis, terminus eſt omnium deſideriorum; vt beatitudo, ſatietas omninm appetitionum; vt finis & beatitudo, quies animi & centrum. Tolle à me Deum vnum, vt cætera adſint, deſunt mihi omnia: vnum mihi Deum relinque, vt cætera abſint, mihi adſunt omnia. Cum ipſo in paupertate dives, felix in miſeria, in abjectiſſima fortuna glorioſus; ſine ipſo in divitiis egens, in voluptatibus miſer, in honoribus inglorius. Hunc mihi dona vel vnicum, omnia mihi dediſti, etiam me ipſum, & aliquid me ipſo melius; ipſum adime, vt reliqua largiaris, eripuiſti omnia, etiam me ipſum; ſatius enim mihi foret ſine ipſo non eſſe, quia eo ſublato, ni-

hil de me mihi ſupereſt, niſi pœnarum materia & ſeges. Ne plura, ipſum poſſidere tota mea felicitas eſt, perdere tota miſeria; hinc Deum tanquam finem homo reſpicit & quà viator, & quà comprehenſor; viator quidem in hac vita, ſed comprehenſor in altera. Ut viator reſpicit tanquam finem obtinendum per creaturarum vſum; vt comprehenſor, tanquam finem obtentum, vt viator, ad ipſum effuſo curſu contendere debet; vt comprehenſor, in eo ſuaviſſimè conquieſcere; ſic ergo curre vt aliquando comprehendas: ſed velociùs curre, vt citiùs comprehendere valeas; citiùs autem curres, ſi creatura qualibet vtaris vt inſtrumento, non fruaris vt termino.

VII. Si Deus vnicus hominis finis ſimpliciter vltimus, ſeu objectiva beatitudo: eſt ei quoque ſimpliciter neceſſarius. *Porrò vnum neceſſarium.* Luc. 10. Cætera nonniſi conditionatè & relativè ad hunc finem neceſſaria; quare circa hujus finis adeptionem nulli hominum eſt deliberandum, quia de neceſſariis non deliberatur. Adjumenta quoque huic fini comparando idonea neceſſaria ſunt; ſi plura ſunt, disjunctivè quidem neceſſaria; ſi vnicum, illud ſimpliciter neceſſarium.

VIII. Deus vt finis ſimpliciter vltimus, eſt primum amabile & primum movens in eſſe intentionali, ſicut primum efficiens eſt primum movens in eſſe reali. Eſt primum amabile, quia nihil eſt ſupra ipſum amabile, & quidquid infra ipſum eſt, propter ipſum eſt amabile: eſt primum movens, quia nihil eſt vltra ipſum quod moveat in eſſe intentionali, quia movet per modum illecebræ, ſeu quatenus bonus.

IX. Deus licèt vt finis vltimus, ſit primum ama-

bile in intentione, tamen in executione eſt vltimum parabile, quia parabilis eſt per mediorum vſum, ab aliis quidem citiùs, ab aliis autem tardiùs:; breviſſimo tempore ab angelica natura, quia ſtatim ab ortu perfecta; longiori autem temporis ſpatio à natura humana, quæ rudis & imperfecta in ortu, vt ſuos corporis, ita virtutis & ſanctitatis progreſſus habet. Ut primum amabile, excitat in nobis affectum, & appetitionem ſui, vt vltimò parabile, terminat & quietat ſui poſſeſſione affectum.

x. Ut primum amabile, primum voluntatis creatæ amorem ſuo ſibi quodam jure depóſcit, qui aliorum amorum princeps & amor dominans à D. Thoma dicitur, 1. quia eſt amor primi amabilis; 2. quia cæteros amores ſecundos imperat, ſi ordinati ſunt, 3. quia cæteris ſe amoribus, ſi non apertè, ſaltem furtim & latenter inſerit. Ut vltimum parabile, ſingulas ad ſe actiones noſtras referri poſtulat.

xi. Primus amor ille dominans, major aut minor eſt pro majori aut minore finis vltimi cognitione; quare vt efficaciter moveat, cognitio finis vltimi debet eſſe actualis, diſtincta, & particularis; actualis quia nemo operatur ex cognitione tantùm habituali; diſtincta, quia etiam qui peccat, ex confuſa cognitione finis vltimi agit; particularis, quia cognitio finis vt acquirendi, practica eſſe debet; adeóque hunc mihi finem vt obtinendum hîc & nunc proponere debet. Ex hac porrò cognitione finis vltimi, non tantùm ſimplex complacentia ſeu amor inefficax circa finem vltimum ſequitur, ſed etiam amor efficax ſeu intentio, quæ eſt actus voluntatis in finem vt obtinendum per media; hinc

XII. Amor mediorum, qui electio dicitur, eſt amor ſecundus & ſubalternus, ideóque amori finis vt motori ſubjici debet, vt rectus ſit & ordinatus, & imperari ex amore finis.

XIII. Amor efficax finis vltimi redditur ſæpe inefficax tum ex obſcura & confuſa cognitione finis vltimi, tum ex affectu inordinato, quo adhæret creaturæ tanquam fini, qui ab Auguſtino amor manſorius appellatur. Ex hoc quippe gemino fonte perturbatio ordinis qui finem inter & media eſſe debet, *& perverſitas, qua vtendis fruitur, & fruendis vtitur*, ortum ducit. Sæpe enim mens hominis ad Deum vt finem vltimum, leviter attendit, aut voluntas nimio plus quàm par eſt, creaturæ adhæreſcit, vel finem non cognoſcit in ratione finis, vel licèt cognoſcat, melioráque videat, deteriora tamen ſequitur ex perverſo affectu, nec rectà tendit in Deum, ſed obliquè ad ſe ſuaſque cupiditates trahit, cúmque creaturis, quæ media tantùm eſſe poſſunt, turpi præpoſteróque famulatu ſubjicit; hinc

XIV. Omnis amor voluntatis inordinatus eſt, qui Deum titulo finis ſimpliciter vltimi, quantum eſt in ſe, ſpoliat, vt in creaturam interdum transferat, dixi interdum: nam inordinatus amor voluntatis creatæ aliquando in creatura leviter ſibi complacet, & ita venialiter tantùm peccat, vel efficaciter amat, hærétque in creatura amore manſorio, tanquam in fine vltimo, & ita peccat letaliter. Veritas hujus pronuntiati nititur his duobus principiis. Primum ſit, *Vnuſquiſque quod præ cæteris colit, hoc ei Deus eſt.* Deus, inquam, quem peccans ſibi fabricat, & colit quadam voluntatis & actionis

idololatria, non mentis. Secundum, *Duo amores efficaces circa objecta oppoſita, cujuſmodi ſunt Deus & creatura, non poſſunt ſimul ſtare*: ergo quandiu voluntas creata creaturam efficaciter amabit in ratione finis vltimi, & in ea acquieſcet, amare Deum efficaciter in ratione finis vltimi non poterit, & viciſſim. De hac idololatria voluntatis conqueritur Deus apud Jeremiam, cap. 2. text. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Ubi Deum fonti aquæ vivæ comparat propter eminentiam, qua continet in ſe omnes omnino perfectiones; & propter influentiam, qua in creaturas jugiter ſeſe effundit; creaturam autem cum ciſterna componit, quia ſicut ciſterna nihil habet aquæ ex ſe ſe, ſed à pluviis ſupernè defluentibus accipit, ita creatura nihil à ſe, ſed omnia à Deo accipit; & tamen prô pudor! quiſquis peccatum mortiferum committit, ciſternam fonti, hoc eſt creaturam Deo per ſummam injuriam præponit: Deum creaturæ, quam deperit, cupiditati, cui obſequitur, dæmoni, quem colit, fœdiſſimè ſubjicit. Conqueritur & Paulus ad Phil. 3. *Quorum Deus venter eſt*, & regius Pſaltes Pſal. 82. *Non erit in te Deus recens.* Quem locum interpretatur Hieronymus: *Cui Deus venter eſt, ei Deus recens eſt: quæcunque vitia habemus & peccata, tot recentes habemus Deos. Vidi mulierem & concupivi, libido mihi Deus eſt, &c. Quoties vitiis vincimur, Deum negamus.* Conqueritur & Dionyſius, dum peccatores *energumenos* vocat. Quin etiam ipſe Chriſtus originis infamiam peccatoribus his verbis exprobrat. *Vos ex patre diabolo*

eſtis. Denique Baſilius Seleucienſis oratione 27. perverſum hujus amoris ordinem ita inſectatur. *Non fruſtra homo vectigal de creatura legere doctus eſt. Neque ſine cauſa mundus vniverſus hujus vſibus ſubſervire juſſus; nam ſi ſolem loquaris, ideo curſus ſui peragenda mandata cepit: ſi terram, ideo fructum homini ſufficere juſſa eſt: ſi mare, hominum curſibus ſubſtratum eſt ſi aërem, ſuas auras ſurſum ventilatus offert, quo creatura fruens homo creatorem agnoſcat, & gratitudine creatori reſpondeat. Quòd ſi datas creaturas in luxum homo vertat, perverſa ratione creatorem deſpicit, diabolum lætitiis implet, quod ejus animo voluptas eſt, faciens, & à bene merente Deo fugit, tranſfugitque ad hoſtem.*

XV. Deus centrum cordis humani vt finis vltimus & beatitudo noſtra, quia centrum attrahit corpus ſi diſſitum ſit, attractum quietat, denique conſervat. Deus vt primum amabile, cor hominis trahit ad ſe, attractum ſibique conjunctum in patria quietat vt terminus, & conſervat. Age porrò, ſi centrum cordis tui Deus, cur ipſum non trahit? ô cor excors, cur non curris ad dominum cordis?

XVI. Menſura & regula, ad quam bonitas mediorum, quæ hic eligimus, exigenda. *Finis quippe principium*, ex Ariſtotele, *ad quod intuentes, vnumquodque bonum aut malum dicimus.*

XVII. Quamvis ad Deum vt finem vltimum tendere omnes homines debeant, incerta tamen illius & rara adeptio, ex parte Dei, ex parte noſtræ libertatis, & ex parte gratiæ. Ex parte Dei, qui felicitatem qua nos beat, & gratiam, qua nos ad illam conſequendam juvat, liberrimè lar-

gitur; qui vt miſericors, ad gloriam poteſt evehere, ita vt vltor, ab eadem poteſt excludere. Ex parte libertatis creatæ, quæ ægra, debilis, in ruinam ſui prona, poteſt momento ſuis omnibus meritis excidere, quæ vigiliis & laboribus plurimis longiori temporis tractu ſibi comparavit. Ex parte gratiæ, quæ delicatiſſimi faſtidii, *tener* quippe *& delicatus Spiritus ſanctus*, ſi Tertullianum audimus. Lux menti præmicans illa quidem, ſed quæ ſtatim deficere poſſit: pia voluntatis motio, ſed quæ rebellium cupiditatum motibus turbulentis oppugnetur ſæpius, interdum expugnetur: vis planè cœleſtis, ſed cujus efficientiam durities cordis humani ſæpius impediat, aut certè multùm imminuat. Emarcuit ſcilicet in primo parente, in quo vigere plurimùm videbatur: in angelis recèns ab ortu extincta eſt, in ipſo Juda Apoſtolo exaruit: quantò faciliùs in tanta hominum corruptela, inter tot pericula, quæ ipſi à dæmone imminent, deficere poteſt? *Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe*. Hebr. 4.

§. II. *Conſectaria ex variis pronuntiatis* §. I.

1. MAXIMA in natura rationali ad Deum vt finem vltimum propenſio. 1. quia etiam cùm peccat, hunc in finem implicitè & virtualiter fertur, patet ex pron. 4. 2. quia in eum finem duplici appetitu fertur, & vt creatura, & vt creatura intelligens; innato quippe pondere fertur in Deum vt creatura, & amore

naturali : vt natura intelligens, quatenus agit ex cognitione finis. 3. Hæc propenſio in Deum tam altè animæ rationali imprimitur, vt avelli nunquam poſſit, nec temporis diuturnitate remitti, nec qualibet alia contraria debilitari; viget etiam poſt mortem in anima ſeparata, & quidem ardentior quàm in hac vita mortali; hinc in damnatis cruciatus perpetui cauſa eſt, quia dum Deum fugiunt vt vindicem ſcelerum, ad eundem inſitis viribus tendunt tanquam in vitæ auctorem, finémque vltimum.

II. Maxima item tendendi neceſſitas, cùm enim ſit ſupremum animæ noſtræ bonum, itáque ſummè amabile & ſummè deſiderabile, in eum duobus motibus perpetuis tendere cor noſtrum debet : primo quidem, vt ſe totum illi tradat & in ejus ſinum effundat; altero, vt illo ſe totum impleat; primus eſt excellentiæ, ſecundus indigentiæ. Primus bonum ſpectat, vt primum, adeóque vt ſummè amabile, ſecundus, vt ſummè deſiderabile.

III. In omnibus deliberationibus, propoſitis & conſiliis ad Deum tanquam finem reſpiciendum. Quod enim eſt primum principium in ſpeculabilibus, idipſum eſt finis vltimus in operabilibus. Ex primo principio ſingulæ concluſiones ducuntur; à fine pendent quælibet deliberationes & conſilia. *In omnibus reſpice finem*, inquit Seneca. Rurſus vt primum principium in qualibet ſcientia omnes concluſiones, & ſemen totam arborem in ſe continet, ita finis vltimus omnia media, quibus comparari poteſt, aliquatenus complectitur. *Fine ſuo omnia definiuntur*. inquit Ariſtoteles; hinc

IV. Cætera bona creata eatenus cenſentur bo-

na, quatenus ad hunc finem adipiſcendum prodeſſe nobis poſſunt, itáque nonniſi per ordinem ad principaliſſimum hunc finem expetenda vel fugienda. Ratio eſt, quòd tota mediorum expetibilitas ex vſu ad finis conſecutionem metienda ſit. Nemo, ait Caſſianus collat. 21. c. 15. ferramentum propter ſe appetit, vel artem cui ferramentum ſubſervire debet, appetit propter ferramentum, niſi inſanus ſit, & rationem vſúmque ferramenti ignoret, ſed è contra: ſic omnia bona creata amanda aut quærenda ſunt, quatenus ad finem vltimum conferunt; hinc

§ v. Omnia bona creata tandiu nobis indifferentia eſſe debent, quandiu huic fini comparando inutilia apparent. Finis quippe vltimi intentio pretium rebus ſingulis addit aut adimit, ſordida illuſtrat, abjecta & humilia extollit; ab hujus finis amore ſua paupertati beatitas, ſua afflictationibus corporis felicitas, ſuæ ſuppliciorum acerbitati inſunt deliciæ, quòd iis quaſi adjumentis liberiùs ad Deum feramur, citiùs perveniamus, pleniùs poſſideamus. Hic amor omnem vitæ noſtræ rationem componere, cupiditates regere & moderari, perfectioni noſtræ modum & menſuram præſcribere debet: quare finis ille immobilis ſimul & movens; immobilis in ſe, quia fixus & ſtabilis cujuſlibet motionis terminus; movens, quia ab eo omnis motus cordis noſtri vim & robur accipit; ideo enim incipit, vt ad eum tendat; ideo continuatur, vt propiùs attingat; ideo deſinit, vt in illo tanquam in centro conquieſcat: immobilis in mente humana, quia ejus cogitationi debet perpetuò obverſari; ſed movens voluntatem, vt ejus amores rapacibus ille-

illecebris ad ſe trahat, *Trahe me poſt te, & curram, &c.*

VI. In hujus vnius finis poſſeſſione ſatietas & quies animæ noſtræ, in aliis rebus eſuries & labor, quia Deus vnum centrum cordis noſtri & terminus appetitionum, &, vt ait Auguſtinus, finis *non conſumens, ſed conſummans*; cætera animum occupare poſſunt, non implere: vnus Deus cupiditati illius implendæ par. *Cùm inhæſero tibi ex omni me, omnino nuſquam erit dolor aut labor, & viva erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam plenus tui non ſum, oneri mihi ſum*, ait Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 18. *Hoc tantùm ſcio, quia malè eſt mihi præter te, non ſolùm extra me, ſed etiam in me ipſo; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.* Lib. 13 Conf. cap. 8. ſed clariſſimè lib. 6. Confeſſ. cap. vlt errorem eorum oſtendit, qui ſe alibi quàm in Deo, animi tranquillitate fruituros putant. *O tortuoſas vias! væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, aliquid melius habituram! Verſa & reverſa in tergum & in latera & in ventrem; & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.*

VII. Receſſus ab hoc fine & aberratio quædam eſt morum corruptela, & certa animæ ipſius ruina, quia vnicus hominis finis eſt. *Si elongant à te, peribunt.* Pſal. 72. Ad hunc enim finem non tendere, regredi eſt & retrorſum incedere, &, vt ait Auguſtinus, *Deum in regione mortis quærere*; poteſtque in eos qui ab hoc fine aberrant, ſcomma Diogenis intorqueri, quem Stobæus ſerm. 4. ait in Stoïcorum Gymnaſio, cùm retrorſum incederet, ridentibus nonnullis graviter repoſuiſſe: *Non vos pudet vivendi iter facere retrogradum; mihi verò*

deambulando tantùm id facienti, vitio dare? Prodigo non abſimiles, qui cùm ſolidam ſubſtantiam paterna in domo reliquiſſet, extra eam fame tantùm non periit. *Ipſi quippe diſpergentur ad manducandum, convertentur ad veſperam, famem patientur vt canes.* Pſal. 58.

VIII. Firmum & conſtans illius finis obtinendi propoſitum: nam ſi finis ille ſummum bonum eſſet, ſed reſpectu mei adiaforum; vt ſummum ambire poſſem, vt adiaforum negligere; ſi neceſſarium, ſed multiplex, vt vno exciderem, ſaltem alterum aſſequi poſſem: at cùm vnicus ſit, idemque neceſſarius finis, vtique fixum ratumque nobis eſſe debet illum conſequi, ad eum toto conatu impetuque conniti. *Aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam, Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere.* Num. 13. Felix planè neceſſitas, quæ vni Deo me obligat, dum à rerum terrenarum ſervitute liberat, cupiditates, quæ ſparſæ & effuſæ in res terrenas, impleri non poterant, in vnius ſummi boni poſſeſſione colligit, cui impar deſideriorum inſatiabilis aviditas, anguſta facultatum vis & amplitudo. *Porrò vnum eſt neceſſarium*, inquit Thomas à Kempis in ſolit. anim. cap. 12. *Hoc vnum quæro, hoc vnum deſidero, propter vnum omnia. Hoc ſi habuero, contentus ero; & niſi potitus fuero, ſemper fluctuo, quia multa me implere non poſſunt.*

IX. Contemptus & deſpicientia omnium bonorum terrenorum, quia animum, cujus natura cæleſtis & æterna, cujus amplitudo immenſa, cujus dignitas angelis ipſis ſuppar, perficere & ſatiare non poſſunt. *Tu ergo, ô anima, ſi rectè ſapis, ſi tecum lumen oculorum eſt, deſine ſequi quæ con-*

ſequi miſerum eſt; quæ poſſeſſa onerant, amata coinquinant, & omiſſa cruciant; & ama vnicum bonum in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, & ſatis eſt. Quid enim caro mea, quid deſideras anima mea? ibi eſt quidquid deſideras. D. Bonav. de 4. ment. exercit.

x. Peccati mortalis gravitas ex eo, quòd creaturam Deo ipſi præferat, Deum cupiditati ipſique dæmoni ſubjiciat. Certè in hac prælatione multa crimina continentur. Inobedientia quædam eſt; deficit enim à Deo quiſquis letaliter peccat, in ejus ſupremam auctoritatem contumax & rebellis. Duo quippe ſummi amores in voluntate eſſe non poſſunt, nec quiſquam Deum cupiditati, & cupiditatem Deo ſimul & ſemel præferre poteſt. Præcipit Deus vt ipſum magis ames quàm qualibet creata; cupiditatem, dæmonem, creaturam Deo vno potiorem ducis, primatum in corde tuo ſupremæ Dei auctoritati, etiam cùm pro ſuo jure petit, abjudicas, vt creaturæ vni impendas: igitur rebellas in Deum, & ab eo turpiſſimè deficis. Injuſtitiæ crimen incurris, quia te ipſum Deo, cui te tot titulis debes, per ſummam injuriam eripis, vt te infenſiſſimis illius hoſtibus dedas, & amorem in creaturas quem non merentur, immo quo prorſus indignæ ſunt, prodigè effundas. Vim Deo maximam infers; cùm enim Deus primum & ſupremum omnium entium ſit, nihil illi violentius quàm depreſſio & abjectio; & tamen proh ſcelus! ipſum infra cupiditatem tuam demittis, infra dæmonem, quo nullus ei capitalior hoſtis, abjicis atque deprimis. Quin etiam contemnis ac deſpicis præ ipſa creatura; comparationem enim dæmonem inter & Deum inſtituiſti,

vtrius potior & honorabilior ſervitus foret, diu perpendiſti, & rebus multùm quæſitis diſcuſſiſque, creaturam Creatori, dæmonem Chriſto, cupiditatem gratiæ prætuliſti. Ampliùs dico, ſtupidum te eſſe oportet, qui tuis cupiditatibus lites. Indignabatur olim Auguſtinus falſorum numinum cultoribus, qui capris, allio, & ſerpentibus hoſtias immolabant. Reprehendebam, inquit, quando adorabas imaginem hominis; quid tibi faciam, quando adoras imaginem canis, imaginem colubri, imaginem crocodili? & jure quidem. Quid enim magis à ratione alienum magiſque ferinum, quàm homines, vivas Dei & ſpirantes imagines, in genua ante capras & ſerpentes procidere? Dicam tamen liberè quod ſentio, graviùs quodammodo atrociúſque peccas, dum cupiditati tuæ indulges. Adorarunt illi quidem ſimulacra ex ligno aut lapide confecta, tu verò ex carne & ſanguine compacta. Thura illi capris adoleverunt, tu cupiditatibus tuis: illi ſerpentes in deliciis habuerunt, tu concupiſcentiis adblandiris; in hoc paganis diſſimilis, quòd illi idola extra ſe poſita colerent, tu inſita naturæ tuæ ac penitus inhærentia; illi pagani, tu Chriſtianus; illi cæcis errorum tenebris impliciti, tu majori lumine colluſtratus.

§. III. *Solvitur altera quæſtio variis pronuntiatis.*

1. Pronunt. DEus in operationibus ad intra non habet cauſam finalem propriè dictam. Probatur: datur tantùm cauſa finalis reſpectu eorum quæ fiunt.; finis enim eſt id cujus gratiâ

aliquid fit : operationes Dei internæ, cujuſmodi ſunt intellectio & volitio, non fiunt de novo, cùm ſint Deo ipſi coæternæ, & realiter identificatæ : ergo nec habent cauſam finalem propriè dictam.

Dixi non habere cauſam finalem propriè dictam, quod non impedit, quominus divina bonitas finis actuum Dei ad intra dici poſſit, &, vt ait D. Thomas lib. 1. cont. Gent. c. 86. *Ratio finalis illorum, cauſa tamen finalis dici non debet, quia hac diſtinguitur ab illo, cujus eſt cauſa.* Conſule D. Th. 1. part quæſt. 19. a. 5. vbi probat non dari cauſam divinæ voluntatis.

11. Deus in operationibus ad extra, qualis eſt creatio, agit propter ſe vt finem vltimum, ideóque ſe ipſum intendit vt finem vltimum objectivum. Probatur 1. Prov. 1. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Ad Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum & in ipſo*, Græcè εἰς αὐτόν. Sunt enim omnia *ex ipſo*, quia artifice ſapientia omnia ſolertiſſimè excogitavit ; *per ipſum*, quia ſuopte marte abſque vllius ope omnia condidit ; *in ipſum ſeu ad ipſum*, quia omnia ad ſe tanquam ad finem vltimum ordinavit. Confirmatur ex Marſilio c. 15. Mundum Deus fecit voluntate, id eſt, bonitate ſua, tam voluntariè quàm naturaliter, ob immenſam fœcunditatem exuberantem ; quæ primùm quidem ſe ipſa gaudet, ob idque deinde hac ſua delectatur imagine ; ita tamen vt non in hac ſua imagine, ſed in ipſo exemplari atque principio delectationis hujus conſtituat finem. Quoniam igitur bonum fecit mundum, idcirco boni gratiâ fecit ipſum. Marſilio ſuffragatur Suares Granat. lib. 1. de libert. ſect. 2. num. 21. Deus nihil intuetur vt per ſe amabile præter ſuam bonitatem ; &

ideo eam in omnibus actibus ſuis intendit, tanquam proprium finem vltimum ſuorum actuum externorum; & hinc dicitur Deus omnia extra ſe poſita velle vt media. Meritò igitur Callicrates lib. de felici familia: *Mundus ad vnum optimum dirigitur; eſt verò vnum illud optimum Deus ipſe.* Ratio eſt, quòd omne agens intellectuale agat propter finem: ergo optimum agens propter finem optimum: ergo non propter alium à ſe ipſo, cùm infinitam bonitatem habeat: porrò dum Deus agit ad extra, non intendit finem acquirere, ſed ſe ipſum communicare.

111. Finis primarius, quem Deus intendit in molitione mundi, eſt gloria. Patet ex Iſaiæ cap. 43. *In gloriam meam creavi eum, & feci eum.* Id ipſum ſeriò inculcat D. Paulus ad Rom. cap. 1. *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque virtus ejus & divinitas.*

Duplex ratio hujus pronuntiati; prima ſit: Deus cùm ſit ens perfectiſſimum, gaudet ſe multiplicare extra ſe; non in eſſe reali per productionem ſui ſimilis, quia alium extra ſe Deum producere non poteſt: ergo ſupereſt vt ſe multiplicet in eſſe intentionali per ſui notitiam, quam rebus creatis imprimat: illa notitia eſt Dei gloria, quippe quæ ſit clara Dei cum laude notitia: ergo, &c.

Secunda: Deus mundum condidit ob aliquem finem, quia ſapientiſſimus artifex: ergo vel ob vtilitatem ſuam, vel ob gloriam; non ob vtilitatem ſuam, quia cùm ſit ens ſimpliciter, nulla re planè indiget: ergo propter gloriam. Confirmatur ex Patribus; Gregorio Nazianzeno, qui mundum admirabilem divinæ majeſtatis præconem

pronuntiat ; D. Proſpero lib. de vocat. Gent. cap. 4. *Quod eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſervivit, & nunquam de ejus bonitate ac poteſtate contituit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulcritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis & publicæ divinæ inſtitutionis doctrina legeretur ; nempe eſſe vnum omnium conditorem potentiſſimum, ſapientiſſimum, optimum, quem omnes amare, timere, colere, cui omnes obedire ac ſervire debeant.* Deinde ſubjicit : *Cælum ergo cunctaque cæleſtia, mare & terra, omniaque quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque conſenſu proteſtantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquuntur auctoris.*

Ex hoc pronuntiato duo inferuntur ; alterum, mundum perfectum Deus condere debuit, quia cùm ſapientiſſimus ſit, propter finem condere debuit, quem congruè & decenter poſſet intendere : finis ille non eſt alius, quàm manifeſtatio divinæ bonitatis, & gloria ex perfectione operis in artificem redundans ; gloria autem eſt clara cum laude notitia : ergo ſi mundum condere voluit, vtique perfectum condere debuit, vt laudem ex tanti operis nobilitate, non contemptum referret ; nec enim decebat tanti artificis peritiam angelis & hominibus, à quibus laudem juxta & venerationem expectabat, opus mancum & mutilum exhibere.

Alterum, ſine creatura intelligente condi quoque non potuit, quia finis quem intendit, non eſt, niſi gloria extrinſeca, in eo præſertim ſita, vt

ipſius excellentia ab aliis cognoſcatur, æſtimetur, ametur: at hæc peragi non poſſunt niſi à naturis intelligentibus, angelo nempe & homine. Eccui enim annuntiare gloriam Dei cæli poſſent, ſi nemo foret intelligentiæ particeps, qui ſapientiam agnoſceret conditoris, potentiam pro merito æſtimaret, operis elegantiam juſtis laudibus efferret? fruſtra ingens mundi volumen quot ornatum creaturis, tot caracteribus ſignatum explicaſſet Deus, ſi nullus Antonius legere noſſet; fruſtra pulcherrimam rerum ſcenam aperuiſſet, ſi nullus in orcheſtra ſpectator aſſideret: fruſtra demum hoc, vt ita dicam, poëma naturæ elegantiſſimum divinus auctor concineret, ſi à nemine exaudiretur caperetúrque. Debuit igitur Deus ad contemplationem hujus divini operis mentem advocare aliquam, pulcritudini & elegantiæ tanti moliminis cogitandæ parem.

IV. Finis minus principalis, quem Deus in creatione mundi intendit, eſt vtilitas ipſius hominis. Ratio eſt, quòd homo cùm ſit ex non ente, indigens eſt ex natura ſua: ergo perfici interiùs & poteſt & debet, & quidem à creaturis quas proinde Deus in vſum ipſius procreavit. *Ad hominum*, inquit Tullius lib. 1. de leg. *commoditates & vſus tantarum rerum vbertatem natura largita eſt, vt ea quæ gignuntur, donata conſilio nobis; non fortuitò nata videantur. Nec ſolùm ea quæ frugibus atque baccis terra fœtu profunduntur, ſed etiam pecudes, quod perſpicuum ſit, partim eſſe ad vſum hominum, partim ad fructum, partim ad veſcendum procreatas.* Hinc commodum hominis cum Dei gloria ita conjunctum eſt, vt quantùm hanc promovet homo, tantùm & illud promoveat; quan-

tùm gloriæ Dei detrahit, tantùm illius vtilitati detrahatur, vt jam obſervavi in Ethica vniverſali.

v. Deus ita eſt finis vltimus naturæ rationalis & irrationalis, vt finis ſit proximus ipſius hominis; homo verò finis proximus naturæ irrationalis. Patet prima pars, quia nihil eſt extra Deum à quo homo beari poſſit; nihil quod ejus appetitum exſatiare queat, vt pluribus confecimus tom. 1. Ethic. vniverſ. diſp. 3. de Beat. art. 1. §. 2. ergo nihil eſt præter Deum, ad cujus gloriam proximè ordinari poſſit; hinc homo non ſui juris eſt, ſed Dei vnius; non ſibi, non ſuis commodis, non arbitrio ſuo aut ſenſui vivere debet, ſed Dei gloriæ, ſed ejus honori; & quidem ex ejus voluntate & arbitrio, quæ regula eſt ſuprema vitæ illius.

Probatur ſecunda pars, 1. ex Ariſtotele 2. Phyſ. tex. 34. vbi noſtri causâ omnia parata eſſe fatetur, ideóque nos eſſe quodammodo mundi finem. Et 1. Polit. cap. 5. plantas ait eſſe animalium causâ, & cætera animalia causâ hominum; denique naturam, quæ nihil fruſtra facit, omnia hominum gratiâ feciſſe. Ratio à priori eſt, quòd finis ex Ariſtotele ſit quid optimum & maximè expetendum, à quo proinde omnis appetibilis bonitas in media derivetur: in hoc mundo ſpectabili nihil nobilius & excellentius homine: ergo totius vniverſi corporei finis proximus eſt homo, cui omnia entia creata famulantur. Deinde Deum producere creaturam, eſt velle ei bonum, ſeu amare: at amare naturas irrationales Deus non poteſt amore amicitiæ, quia talis amor inter duo extrema moralia & rationalia intercedit: ergo amare tantùm poteſt amore concupiſcentiæ: at

omnis amor concupiſcentiæ ſubordinatur alicui amori amicitiæ : ergo ſi Deus amat naturas irrationales, amat propter ſe & gloriam ſuam : porrò gloria Dei exiſtere non poteſt è creatura irrationali, niſi quatenus eſt objectum creaturæ rationalis, quo cognito, veniat in cognitionem & amorem Dei : ergo omnis creatura irrationalis facta eſt propter rationalem, ſaltem proximè & immediatè.

Confirmatur vtraque pars ex Juſtino in Apologia : *Hunc mundum, ait, non temerè conditum eſſe dicimus, ſed generis hominum causâ ; ipſum verò hominem vt eſſet Dei auctoris.* Hinc fluxit Hermetis effatum, teſte Stobæo : *Vt mundus propter hominem, ita homo propter Deum.* Porro naturæ corporeæ factæ ſunt propter hominem erudiendum, juvandum, caſtigandum. Duo primi modi per ſe ſunt, tertius per accidens, & ex hypotheſi quòd iis malè vtatur.

Patet ex dictis, 1. mundum angelorum gratiâ, licèt homine præſtantiores ſint, non fuiſſe à Deo procreatum. Non enim victu indigent, cùm ſint ſpiritus ; nec veſtitu, cùm ſint incorporei ; nec mundo corporeo ad intelligendum, cùm ingenitas habeant in ortu ſuo ſpecies, & in Deo objecta clariùs intueantur, quàm in rebus creatis. Deinde ipſum hominem tuentur & inſtruunt ; dum cuncta animalia ipſi ſubſerviunt, vtpote in cibum, delectationem & vſum à Deo facta.

Patet 2. cur mundus à D. Baſilio dicatur auditorium quoddam ſeu ſchola publica, in qua multa nobis philoſophiæ moralis documenta proponuntur : cur à Tertulliano de reſurrect. carnis cap. 12. homo naturæ diſcipulus nuncupetur, qui

ex publicis mundi paginis mores ſuos ad Dei obſequium componere diſcat: cur ab Epicteto Deus hominem ſpectatorem ſui & operum ſuorum; nec ſpectatorem modò, ſed & interpretem in mundum induxiſſe perhibeatur: cur mundus curioſum innumerabilium prodigiorum theatrum à multis appelletur, in quo ſapiens non otioſus tantùm ſpectator aſſideat, ſed negotioſus actor creaturarum in ſui commodum labores indefeſſo conatu æmuletur, ac ſe totum conditoris ſui cultui & obſequio gnaviter impendat.

Patet 3. in hunc finem partes orbis vniverſas conſpirare, ideóque inter ſe aptè diſpoſitas, vt fines intermedii ſimul & vltimi optimè inter ſe cohæreant. Hunc ordinem bellè exprimit D. Th. 1. part. quæſt 65. art. 2. *Conſiderandum eſt*, ait, *quòd ex omnibus creaturis conſtituitur totum univerſum, ſicut totum ex partibus. Si autem alicujus totius & partium ejus velimus finem aſſignare, inveniemus primò quidem, quòd ſingulæ partes ſunt propter ſuos actus, ſicut oculus ad videndum. Secundò verò quòd pars ignobilior eſt propter nobiliorem, ſicut ſenſus propter intellectum, & pulmo propter cor. Tertiò verò omnes partes propter perfectionem totius, ſicut & materia propter formam; partes enim ſunt quaſi materia totius. Vlteriùs autem totus homo eſt propter aliquem finem extrinſecum, putà vt fruatur Deo. Sic igitur & in partibus univerſi vnaquaque creatura eſt propter proprium ſuum actum & perfectionem. Secundò autem creaturæ ignobiliores ſunt propter nobiliores, ſicut creaturæ quæ ſunt infra hominem, ſunt propter hominem. Vlterius autem ſingulæ creaturæ ſunt propter perfectionem totius univerſi. Vlteriùs autem totum vniverſum cum ſin-*

gulis ſuis partibus ordinatur in Deum ſicut in finem, in quantum in eis per quandam imitationem divina bonitas repræſentatur ad gloriam Dei. Quamvis creaturæ rationales ſpeciali quodam modo ſupra hoc habeant finem Deum, quem attingere poſſunt, ſua operatione cognoſcendo & amando. Et ſic patet, quòd divina bonitas eſt finis omnium corporalium.

Patet 4. quàm injurioſi ſint in Deum qui peccando ordinem illum à Deo conſtitutum perturbant. Ei enim cuncta ſubjecta ſunt, vt factori atque artifici Deo eſſet homo ipſe ſubjectus : at dum Deum letaliter quis offendit, eum ſeque ipſum creaturis ſubjicit, illius munificentiam in ſceleris inſtrumenta vertit, & ipſis beneficiis contra liberaliſſimum largitorem turpiter abutitur. Quantò cautiùs illi & prudentiùs? qui monitis Auguſtini acquieſcunt? *Miraris fabricam*, inquit in Pſal. 145. *ama fabricatorem. Non occuperis in eo quod factum eſt, & recedas ab eo qui fecit. Hæc enim quibus occuperis, ſub te fecit, quia ſub ſe ipſo te fecit. Si hærebis ſuperiori, calcabis inferiora ; ſi autem recedas à ſuperiori, iſta tibi in ſupplicium convertentur.*

VI. Ita Deus hunc mundum propter gloriam ſuam condidit, vt illum à ſe in creaturam transferre non poſſit. Ratio petitur ex infinita Dei excellentia atque eminentia, & ex ipſius gloriæ præſtantia, enti quippe omnium perfectiſſimo & eminentiſſimo neceſſariò debetur præſtantiſſimum bonum externum : Deus eſt ens omnium perfectiſſimum & eminentiſſimum, quia eſt primum principium & finis ſimpliciter vltimus juxtà & eminentiſſimus ; gloria autem extrinſeca, quam requirit ac pro ſuo jure à nobis poſtulat, eſt inter

bona externa præſtantiſſimum : ergo Deo vni gloria ex ipſo & creaturis reſultans, neceſſariò debetur, nec alteri à ſe dare poteſt. *Gloriam meam, ait*, Iſaiæ 46. *alteri non dabo*, cùm non poſſit ſe ſpoliare titulo vltimi finis & ſupremo in omnes creaturas dominio; ſpoliaret autem ſe ſe, ſi gloriam in creaturam transferret, adeòque hæreret in bono creaturæ tanquam in fine vltimo, cujus gratiâ reſpectu operationis illius & volitionis, & ſic inordinatiſſimè ageret; hinc in Deum maximè injurioſus, qui gloriam vni Deo ex creaturis debitam, ſibi quærit, quia illius excellentiam infinitam infra ſe deprimit : quare hanc injuriam ſibi illatam ſemper atrociſſimis pœnis vltus, vt patet in angelis rebellibus, qui ſibi per peccatum adhæſere, vt docet Gregorius Magnus lib. 34. Mor. cap. 11. *Relicto*, inquit, *eo cui debet inhærere principio, ſuum ſibi appetiit quodammodo eſſe principium. Relicto eo, qui verè illi ſufficere poterat, ſe ſibi ſufficere poſſe judicavit; & tanto magis infra ſe cecidit, quantò magis ſe contra gloriam ſui conditoris evexit.*

VII. Gloria extrinſeca Dei in eo præſertim conſiſtit, vt habeat filios ſibi ſimiles, & gloriæ ſuæ participes, qui ipſum cognoſcant, ament, laudent, in admiratione ac veneratione habeant. In his enim filiis gloria Dei objectiva externa præcipuè ſita eſt, quia in illis tanquam in imagine perfectiſſimè relucent & exhibentur divinæ perfectiones multò magis quàm in aliis rebus creatis; laus autem quam Deo pendunt, dum cognoſcunt, amant, admirantur & ſuſpiciunt, eſt gloria formalis, quam in Deum refundunt, imperfectè quidem in hac vita, quia adhuc impor-

fectè filii Dei, nec patri ſatis adhuc ſimiles; perfectiſſimè autem in altera, quia perfectè *filii Dei* erunt & patri ſimillimi. Ut ergo ſolus Deus ſibi reddit gloriam infinitam formalem intrinſecam per cogitationem ſui ſeu verbum, quod eſt naturæ divinæ ejuſque perfectionum infinitarum abſolutiſſima notitia, vtpote naturalis & ὁμοούσιος imago patris: ita angelus & homo reddunt Deo gloriam formalem extrinſecam, dum ipſum cognoſcunt, æſtimant, amant, admirantur & ſuſpiciunt in ſtatu tum naturæ, tum gratiæ, tum gloriæ. Quomodo autem Deum glorificent, & quid ſit gloria Dei tum objectivâ, tum formalis, accuratè explicuimus tom. 1. Ethic. vniverſ. 1. part. diſp. 2. art. 3. §. 4. Porrò ex ſexto & ſeptimo pronuntiato multa inferuntur. Ex ſeptimo,

1. Sicut nulla eſt res creata, quæ à Deo vt prima cauſa efficiente, jugiter influente, non ſit; ita nec vlla eſt, quæ ad Dei gloriam tanquam finem vltimum non neceſſariò ordinetur.

2. Sicut nullum eſt excellentius bonum, propter quod Deus agere poſſit, quàm gloria; ita nec vllum præſtantius ſibi homo poteſt proponere, quàm gloriam Dei, ad quam proinde ſe ſuaſque actiones referre debet.

Incitamenta autem ad gloriam Dei promovendam hæc ſunt, 1. quia hæc gloria quam in Deum refundimus, eſt excellens divinum & quodammodo infinitum bonum. Quamvis enim creaturæ & earum operationes, ex quibus divinæ perfectiones innoteſcunt, per ſe finitæ ſint, ipſe tamen divinarum perfectionum ſplendor, qui inde exiſtit & in Deum refunditur, eſt quid infinitum: ſic opus creationis infinitam Dei ſapientiam bo-

nitatemque indicat commonſtratque, atque adeo infinitum bonum gloriæ Dei oſtendit. Quin etiam operationes hominum, præſertim ſupernaturales, theſauros divinæ ſapientiæ bonitatis & miſericordiæ detegunt.

2. Excellentia hujus finis patet ex eo, quòd non alium finem habeat Deus operationum ad extra, quàm gloriam ſuam & bonitatis manifeſtationem. Idem itaque tibi, qui Deo finis præſtituitur. Nihil Deus habet majus ad quod opera externa tum naturæ, tum gratiæ, tum gloriæ referat, nihil quoque tu melius ſublimiúſque: neque verò majus ſibi velle Deus ipſe poteſt; bonum enim divinum eſt gloria Dei, primus radius divinitatis, & extra ſe ſplendor divinarum perfectionum in creatura relucens, ejuſque ex operationibus bonis & ſanctitate reſultans: itaque bonum quodammodo infinitum, bonum vniverſale, bonum continens alia omnia bona, quæ eatenus bona habentur, quatenus gloriam Deo reddunt; eò vtique majora, quò major ex iiſdem Deo gloria accreſcit.

3. Tuum commodum cum gloria Dei tam arctè conjungitur, vt iiſdem gradibus creſcat, quibus gloria Dei per te augetur & amplificatur: quantum gloriæ Deo procurabis, tantumdem tibi vtilitatis paries. Vt enim Deus dum ſibi gloriam acquirit, nobis bona naturæ, gratiæ & gloriæ liberaliùs communicat: ita dum gloriæ ejus ſtudemus impenſiùs, omnia naturæ, gratiæ & gloriæ nobis bona comparamus.

4. Non aliud bonum quæſivit Chriſtus in terris, dum ſe ad naturæ noſtræ vilitatem demiſit, & quodammodo exinanivit. Uni Patris æterni

gloriæ labores, vigilias, vitam, ſanguinem impendit; huic ſe Apoſtoli, huic ſe Martyres devoverunt.

5. Hoc vnum Deo bonum tribuere poſſumus. Eſt quidem ſe ipſo plenus. *Deum* enim *maximè addecet*, inquit Baſilius in cap. 1. Iſaiæ, *plenus vt ſit ſuamet beatitudine, nec extra ſe indigus opis alienæ.* Quod ſcitè & eleganter Theodoretus quæſt. 3. in Geneſ. ita expreſſit: *Non indiget Dominus Deus laudatoribus, quippe qui naturâ nullius indigeat, ſed ſola bonitate ductus, angelis, archangelis & univerſæ creaturæ largitus eſt vt eſſent.* Voluit tamen pro ſua in nos bonitate, illud externum gloriæ bonum ita ex noſtro pendere arbitrio, vt penes nos ſit ipſum alia atque alia ratione procurare, in quo ſanè quanti nos fecerit, quos in partem tanti muneris vocarit, ſatis oſtendit. Ut autem ad hanc gloriam magis ac magis promovendam potentiùs incitaret, vtilitatem noſtram voluit cum illius procuratione ita conjunctam; vt quantum ipſi gloriæ afferimus, tantùm inde nobis commodi accreſcat. *Quando* enim *Deum glorificamus*, ait Auguſtinus in Pſal. 39. *nobis prodeſt, non illi; eum nempe glorificamus, glorioſum dicendo, non faciendo.*

6. Ad hujus gloriæ procurationem nos excitant omnes & ſingulæ creaturæ conſtanti ſuo famulatu, & dum illam tacito quodam præconio annuntiant, divinaſque perfectiones, quarum vel veſtigia ſunt vel imagines, nobis inculcant, ad conditorem agnoſcendum, laudandum, amandum, noſtris ſe obſequiis ſtrenuè impendendo, invitant.

7. Multùm debemus Deo, vt filii patri, ſervi

domino, creaturæ conditori magnifico, & ſubditi regi noſtro: hac vna gloriæ divinæ procuratione tot debita exolvimus.

Denique dum in gloriam Dei ferimur ardentiùs, ſimiles illi quodammodo efficimur; intrat enim in ipſam divinitatem animus noſter per cognitionem & amorem; hinc

Patet 1. Deo à beatis longè perfectiorem gloriam quàm ab hominibus, quandiu ſunt in via, conciliari; mens enim lumine gloriæ corroborata, vivam Dei imaginem in ſe exprimit, quæ Deo ſimillima redditur; voluntas autem menti ſocia ac ſuppar, in Deum clarè cognitum fertur per amorem, vt ei arctiſſimè vniatur, penitúſque abſorbetur, & ita deiformis efficitur: ex qua vnione ſuavitas quædam mirabilis exiſtit, qua perfunditur anima & colliqueſcit, oblita ſui, Dei tantùm memor; hinc cælum gloriæ divinæ regnum appellatur.

Patet 2. naturas intelligentes longè perfectiùs ordinari ad Dei gloriam, quàm intelligentiæ impotes, tum quia immediatè Deum attingunt, percipiúntque vitali modo: tum quia gloriæ, quæ in aliis naturis elucet, eſt tantùm repræſentatio objectiva & imago velut mortua; hæc autem vitalis ſpiranſque gloria, vtpote vitalis Dei perceptio, quæ ab anima ſentitur guſtaturque: at quomodo hæc gloria Deo procuratur?

Per intentionem, quæ ad ſuî perfectionem quinque conditiones requirit, 1. debet eſſe actualis, & quantùm fieri poteſt, ad ſingulas actiones applicari, non enim habitualis ſufficit, aut certè virtualis requiritur, hoc eſt, quæ actualis fuerit quidem & expreſſa, ac deinde ita pura virtute perſe-

veret, vt nullo affectu inordinato furtim & quaſi latenter ſe ſe inſinuante vitietur. Ratio eſt, quòd actualis illa intentio ad gloriam Deo conciliandam voluntatem jugiter ſollicitet atque inflammet.

2. Summa, vt aiunt appreciativè, pluris nempe faciendo minimam Dei gloriam, quàm quodlibet creaturæ aliud bonum. Minimum quippe Dei bonum quolibet bono creaturæ potius: itaque omni bono creaturæ quod cum Dei gloria ſtare nequeat, ſemper præferenda: aut ſi quod cum ea ſtare poſſit, non tam ſpectandum illud nobis, quàm divinæ gloriæ bonum.

3. Univerſalis tum ratione materiæ, tum ratione formæ ſeu objecti formalis. Porro vniverſalis erit ratione materiæ, ſi ad omnem vitæ ſtatum, & ſingulas vitæ actiones ſe ſe exporrigat, nec vlla ſit pars vitæ, actio planè nulla, quam ad vnam Dei gloriam non referas: ratione verò formæ, ſi non ad vnam tantùm Dei gloriam, ſed etiam ad majorem, eo optimo, quo fieri poteſt, modo, cùm vitæ ſtatum omnem, tum omnes & ſingulas actiones dirigas. Quod facilè præſtabis, ſi non vtilia modò, ſed vtiliſſima quæque & opportuniſſima media adhibeas: non tantùm peccata mortifera & venialia fugias & averſeris, quæ eſt pars negativa Dei gloriæ; ſed etiam ea vſurpes adjumenta quæ præſtantiſſima videbuntur: non vitæ, non ſanguini parcas, cùm major Dei gloria poſitiva agetur.

4. Puriſſima, hoc eſt, nulli pravæ voluntati admixta, à qua infici poſſit. Porrò Dei gloriæ intentioni adjungi poteſt duplex genus boni: alterum, quod non poſſit niſi pravè & inhoneſtè appeti,

cujuſmodi ſunt delectatio inhoneſta, propria gloria aut commodum: alterum, quod honeſtum ac laudabile per ſe quidem ſit, ſed bono gloriæ divinæ ignobilius, cujuſmodi eſt ſalus animæ aut gloria cæleſtis: hæc enim bona dum à nobis appetuntur explicitè, in Dei gloriam implicitè tendunt. Circa vtrumque bonum multiplex cautio.

1. Ut voluntas gloriæ Dei pura illimiſque ſit, debet ab affectu primi boni creati prorſus eſſe immunis, tum quia eam ſemper inquinat, tum quia interdum penitus deſtruit, poſtpoſitâ huic bono creato Dei gloriâ: vel certè tantum intentionis divinæ gloriæ puritati detrahit, quantum ejuſdem gloriæ ſtudio affectus depravatus ille adimit. Hinc error in electione ſanè gravis, vel cum media nobis vtilia potiùs eligimus, quàm Dei gloriæ conciliandæ opportuna: aut certè media non tantùm primario fini comparando idonea, ſed ſecundariis finibus accommodata. Quæ autem nihil propriæ vtilitatis habent adjunctum, quamvis ad procurandam Dei gloriam multùm valeant, repudiantur.

Fas quidem eſt, cùm bonum inferius gloriæ Dei intentioni adjungitur, quod honeſtum ſit, id ipſum appetere & ex ejus ſtudio agere. Quandiu enim explicita divinæ gloriæ intentio cum intentione boni honeſti inferioris cohæret, corroborant ſe mutuò. Quin etiam paulatim fiet, vt proprii commodi, honeſti licèt & laudabilis, voluntas oblita, vni Dei gloriæ ſerviat; nam dum quis ad vnum terminum propiùs accedit, ſenſim ab altero recedit, ſed omnium puriſſima intentio illa, qua voluntas de proprio bono, etiam honeſto & ſupernaturali, nihil ſollicita, in vnicam Dei

gloriam rectà collineabit, cui puritati intentionis, ſi ardor deſiderii accedat, tum enimverò intentio Dei gloriæ erit vſquequaque perfecta, zeluſque dicetur, qui ex tribus coaleſcit, 1. ex deſiderio jugi ac perenni gloriæ in omnibus & ſingulis actionibus Deo conciliandæ, & quidem majoris: 2. ex puritate illius deſiderii, cui nihil amoris proprii admixtum ſit: 3. ex fervore ejuſdem deſiderii, quo incenſi difficillima quæque ſuperemus.

Hoc flagrantiſſimo Patris gloriæ ſtudio arſit Chriſtus imprimis toto vitæ ſuæ decurſu; nam 1. ſe ſingulaſque actiones ad eum finem quem Deus ipſe, dum nobiſcum vnà agit, ſpectat, ſemper explicitè retulit. 2. Non aliud bonum quàm puram Patris gloriam quæſivit vnquam, quam vt inſtauraret, exinanivit ſemetipſum, ſua gloria etiam poſthabita, neglectiſque commodis, vt quanti Patris gloriam faceret, propriæ jactura, ſumma ſui demiſſione & exinanitione declararet. 3. Media efficaciſſima adhibuit, dum paupertatem divitiis, honoribus opprobria, deliciis vitæ auſteritatem antetulit. 4. Nihil ardentiùs expetivit vnquam, quàm vt vitam ſuam gloriæ Patris cauſâ prodigeret. Hic ſcopus, hæc meta laborum Chriſti fuit; & ita meritum Dei æquavit, poteſtatem & vires æquant beati, dum claræ illius cognitioni juxtà & amori jugiter incumbunt. Tuæ erit induſtriæ, quiſquis hæc leges, gloriam Dei rebus omnibus anteponere, quandiu hîc vives. Hæc tibi menſura præſcribitur, hac te tuaſque actiones metiri ac definire debes, donec cælo invectus, eandem cum angelis menſuram nactus, tantum Deo gloriæ, quantum poteris, impendas.

Quinque ex dictis inferuntur: 1. non eſt ſervile quiddam & abjectum, Dei gloriæ ſervire, quia nullum majus Deo excellentiúſque bonum, immo hoc vnicum procurari ab homine poteſt: 2. hoc vno gloriæ tributo, dum illud Deo fideliter pendit, omni debito erga Deum abſolvitur: 3. progreſſus ejuſdem in virtutis & ſanctimoniæ ſtudio ex gloria, quam Deo pendit, potiſſimùm æſtimatur: 4. ratio meritorum ejuſdem ex gloria quam in Deum ex actionibus refundit, maximè pendet: 5. curandum ei, vt rectiſſimam puriſſimamque in agendo ſemper habeat intentionem, huic vni Dei gloriæ omnia vitæ momenta impendat, hanc denique vnam, ſive vivat, ſive moriatur, ſpectet; ſpectabit autem, ſi quæcunque creavit Deus, ad eam ſedulò, omnibus aliis poſthabitis & gnaviter referat.

§. IV. *Canones in vſu mediorum ad Dei gloriam conducentium ſervandi.*

I. QUÆCUNQUE Deus creavit in tempore in ordine tum naturæ, tum gratiæ, adjumenta quædam ſunt procurandæ Dei gloriæ opportuna; indita quippe ſingulis vis quædam ab eo ad hunc finem conſequendum, proſuntque nobis, 1. ad Dei cognitionem, 2. ad amorem, 3. vires addunt & robur ad obſequium eidem præſtandum; ſed vis illa & opportunitas ex vſu hominis pendet, in quo ne quid graviùs peccet, ſit

II. Sicut bonitas Dei in ratione finis vltimi eſt abſoluta, ita bonitas mediorum eſt ad eum relativa, quia bonitas eſt affectio & modus entis: ergo bonitas entis ſupremi quod eſt à ſe & pro-

pter ſe, abſoluta, quia propter ſe expetibilis; bonitas entis creati, quod eſt ab alio & propter aliud, relativa, quia propter finem expetibilis.

III. Eorum mediorum ad hunc finem major eſt relatio, quorum major proportio, juxta pronuntiatum: *Vniuſcujuſque rei, quæ eſt propter finem, neceſſe eſt, quòd formâ determinetur ſecundùm proportionem ad finem: ſicut forma ſerræ talis eſt, qualis convenit ſectioni.*

IV. Proportio mediorum ex triplici capite petitur; ex parte finis, ex parte deliberantis, ex parte mediorum inter ſe collatorum. Magis proportionata ſunt fini, quæ eidem propinquiora, magiſque ſub ordinem cadunt, qui eſt ad finem, juxta pronuntiatum: *Ea quæ ſunt propinquiora fini, magis cadunt ſub ordinem qui eſt ad finem. nam eis mediantibus etiam alia ordinantur ad finem.* Hinc ſi finis ſit ſupernaturalis, media ejuſdem ordinis ſunt ad hunc finem opportuniora. Magis deliberanti congruunt, quæ indoli aptiora. Denique mediorum proportio major ex majori vtilitate ad finem petitur: cùm autem plura ad eundem finem conducunt, aliquatenus inter ſe vniuntur. *Eorum enim, quorum eſt vnus finis, oportet aliquam vnionem eſſe, in quantum ordinantur ad finem*: ſic milites in acie inter ſe vniuntur ad victoriam conſequendam; hinc etiam iſtud pronuntiatum fluxit, *multa ad vnum, multa vt vnum.*

VI. Quamvis ex intentione Dei omnia entia creata ad ipſius gloriam condita ſint, non tamen omnia pari modo ſerviunt nobis, proſuntque ad ſalutem. Quædam enim nocere magis ſolent, quàm prodeſſe vitio infirmitatis humanæ & quædam naturæ corruptela. *Non creaturæ Dei in odium*

facta ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium Quædam ſemper proſunt; quædam adiaphora, quorum vſus nec multùm nocet, nec admodum prodeſt. Rurſus inter ea quæ proſunt, alia aliis aptiora; hinc

VI. Opus multa conſultatione vt mediorum rite electio fiat, & cautione in eorumdem vſu.

VII. Conſultationi officit ſæpe ignorantia ex parte intellectûs: comparationi mediorum & decreto, quo vnum alteri præfertur per judicium practicè practicum, peculiaris affectus ex parte voluntatis: in vſu ordo ſæpe perturbatur: negligentia, inconſtantia, denique infidelitas aliquando interveniunt. Quæ vitia vt fugias,

VIII 1. Bonitatem juxtà ac nobilitatem finis ad quem aſpiras, iterum ac ſæpius animo retractabis. penetrandus enim eſt intimè, non modò vt terminus in quem deſinas, ſed vt ſcopus in quem tendere debeas. Penetrabis autem intimè, ſi cognitio illius ſit actualis, diſtincta, & particularis, vt jam monui. 2. Removenda ab intellectu ignorantia vel proprio marte, vel conſultoris ope, qui prudens, probus, fidelis, invidiæ & odii expers ſit. 3. Affectus pravi exuendi, quia indifferentiæ in conſultando requiſitæ officiunt, & animus in æquilibrio ſtatuendus, vt ſaniùs de bonitate finis & de medii cujuſque majori aut minori opportunitate judices.

IX. Dum de mediis conſultas, cogita 1. Deo tibi fruendum duntaxat, creatura verò vtendum: 2. non de adjunctis tantùm mediorum, ſed de ipſa etiam ſubſtantia ſæpe deliberandum. Quàm multi de vnis circumſtantiis mediorum, non de capite

rei conſultant! v. g. non quærunt, an ſtatum religionis, ſed qualem ingredi debeant: 3. fugienda multitudo, quia confuſionem parit: 4. attendendum ad honeſtatem aut inhoneſtatem, facilitatem majorem aut minorem, vt honeſtiora minùs honeſtis, faciliora difficilioribus, niſi fortè hæc illis magis proſint, anteferas: 5. hæc propoſitio conſultationi ſemper præluceat: Eligendum mihi eſt illud medium, quod ſecuriùs, efficaciùs, promptiúſque ad finis propoſiti conſecutionem juvabit; itaque magis erit ei proportionatum: 6. pervidendum, quæ major medii proportio, ideóque penetrabis intimè vim & poteſtatem iſtarum vocum, *mihi*, *finis*, *medium*: quia finis proponitur deliberanti, vt hîc & nunc à te acquirendus per talia media, quæ ſunt propter finem amabilia.

x. Peracta conſultatione, ſi quæ noxia media deprehenderis, hoc eſt, quæ te à fine propoſito abducant, cujuſmodi ſunt peccatum mortale, quod nos ab vltimo fine prorſus avocat: 2. veniale, quod in via retardat, moramque injicit ad finem properanti: 3. vitioſi habitus, qui peccati partus cùm ſint, ad idem nos incitant, & longiorem in Dei cultu atque obſequio moram afferunt, ea toto animi niſu & contentione fugies, quamvis alioqui naturæ perplaceant. Quæ juvabunt, vltro eliges: ita vt ea lubentiùs amplectaris, quæ magis profutura, ardua licèt ac difficilia ſint; nam ex Ariſtotele 3. Top. cap. 2. *cujus conſequens eſt majus bonum, id potiùs eligendum*. Quæ demum media erunt ſeu adiaphora, ad ea ſic te affici velim, vt ea diligas tantùm propter Deum, nec te in iis vnquam quæras: avarus ad ea, in quibus nihil lucri aut damni, non multùm afficitur; qui

gloriæ

gloriæ appetens & avidus laudis, quæ ad honorum gradus non promovent, non admodum curat: nec dolet, ſi procul abſunt, nec gaudet, cùm propiùs adſunt: denique cùm duæ ad terminum viæ pari facultate & celeritate ducunt, perinde viatori eſt, quam ineat: ſic homini Chriſtiano perinde eſt, cùm multa occurrunt, quæ ad finem propoſitum paria habent momenta, quænam ex iis eligat. Sed mens ipſius in quodam æquilibrio poſita, nec divitias paupertati, nec honorem contemptui, nec vitam breviorem longiori præferet, ſed ex omnibus ea demum ſeliget vna, quæ ad finem tutiùs, efficaciùs & celeriùs ducent. Quanquam.

XI. Hanc cautionem adhibent, qui in via perfectionis acutiùs vident, vt velint, quamvis par gloria in Deum tum negativè, tum poſitivè redundaret; tamen inter eligendum in ea nos magis propendere debere, quæ mundus horret & fugit, idque eam ſolùm ob cauſam faciendum, ut ſimiles Chriſto ſimus, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Certè ratio perfectæ amicitiæ id exigit, ut amico in omnibus conſentiamus, idque ſequamur inprimis, cùm par vtrinque ratio honeſtatis allucet, quod eidem arridet.

XII. Juxta hoc placitum, præferenda confuſio honori, paupertas divitiis, crux ipſis deliciis, quamvis in vtroque nulla eſſet Dei offenſa, atque adeo par gloria negativè in Deum redundaret: quia nihil ipſius gloriæ periret, parque foret manifeſtatio divinæ bonitatis, itáque æqualis gloria poſitivè, quod poſtremum contingere vix vnquam poſſit: quia ex majori Chriſti imitatione

major gloria poſitiva exiſtit.

XIII. Ubi facta eſt mediorum magis idoneorum electio, tum Deo offerenda, vt eam gratia ſua ſtabiliat, ſuo calculo comprobet, vires demum ad exequendum præſtet.

XIV. Ordo in executione diligenter ſervandus: quia *ſi quis eo, quod eſt ad finem, inordinatè vtitur, non ſolùm fine privatur, ſed etiam aliud nocumentum incurrit*: patet in cibo inordinatè ſumpto, qui non ſolùm ſanitatem non affert, ſed etiam morbum ſolet inducere. Servabis autem ordinem, ſi quod medium ex natura rei in executione primum eſt, & ex quo alia pendent, primum adhibeas; alia deinde vſurpaturus, quæ ex ſe ſe aptiora ad finem erunt.

XV. Diligentiam quoque adhibebis, vt quod ſemel ſtatuiſti celeriter exequàris: *conſultare enim lentè oportet, conſulta autem exequi feſtinanter*: conſtantiam in perficiendo, quæ animum nec difficultatum metu frangi, nec temporis diuturnitate debilitari ſinat. Fidam denique ſedulitatem, quæ nullum ex adjumentis fini comparando opportunum vnquam prætermittat, ſed ſingula non præpoſterè, ſed ſuo ordine, eoque ad finem obtinendum aptiſſimo, gnaviter & induſtriè vſurpet. Porrò harum virtutum neceſſitas in vſu mediorum petitur ex hoc effato. *Quod in aliquem finem dirigitur, oportet quòd habeat continuum ordinem in ipſum. Nam movens quotidie mutat, quouſque mobile per motum finem ſortiatur.* Plura circa intentionem finis, conſultationem, electionem & vſum mediorum ſcire ſi cupis, vide tomum 1. Eth. vniverſ. in appendice, quomodo facienda ſit electio, pag. 427. vbi hæc omnia quæ

Hîc contraxin us, accuratiſſimè explicuimus Poſtularet ordo doctrinæ, vt de operationibus Dei tum internis, tum externis ageremus: ſed quoniam de externis jam diſſeruimus in Phyſica vniverſali & particulari, & internarum tractatio ad Theologos potiſſimùm pertinet, Metaphyſicæ finem imponimus.

FINIS.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Lege*
7	2	omnes	*dele*
11	23	loqutur	loquitur
30	11	phrænetici	phrenetici
39	29	punien	puniendi
75	5	ut	at
96	7	tributum	attributum
128	17	perpetuò orta	perpetuo ortu.
190	11	acciperent	immunitatem acciperent
197	13	recta	creata
288	17	cognoſcibilia	cognoſcitiva.
338	1	procidit	procedit
432	19	oer	per
492	23	radis	rudis
504	29	po	poteſt
507	29	levitætis	levitatis
525	12	imprimis	minimis
529	5	carpiur	carpitur
624	9	conſtituendo	conſtituendum
632	1	poſſet	poſſit
639	2	curſam	curſum
648	30	ſigulus	figulus

SUMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in ejus regno, aliiſve locis ejus ditioni ſubjectis, intra decem proximos annos librum, qui ſic inſcribitur*, Accurata totius Philoſophiæ inſtitutio juxta principia Ariſtotelis, in plures tomos diſtributa, ad vſum ſtudioſæ juventutis, Auctore P. JACOBO CHANNEVELLE, Societatis JESU Sacerdote, *abſque Edmundi Martini Pariſienſis Typographi permiſſu excudat, aut vendat, à die publicationis exemplarium: qui ſecùs fecerit, mulcta ei indicta. prout ampliùs in diplomate regio continetur. dato Pariſiis die 4. menſis Martii 1666. & ſignato ex mandato Regis*, MABOUL. *Quod & in acta Typographorum & Bibliopolarum Pariſienſium relatum eſt die 5. Martii ejuſdem anni 1666. à* SIMEONE PIGET *Syndico.*

Prima editio METAPHYSICÆ abſoluta fuit die 12. Junii 1677.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2006938

33